CONCIONES ADVENTUALES

DE

CAPTIVITATE PETRI,

FIGURANTE

CAPTIVITATEM PECCATORIS

HABITÆ

PER

F. LEONEM à S. LAURENTIO

S. Ord. FF. Beatiſſimæ M. V. de Monte Carmelo Jubilarium.

PARS SECUNDA.

ANTVERPIÆ,
Ex Typographia Knobbariana Apud FRANCISCUM MULLER, 1699.
Cum Gratia & Privilegio.

INDEX CONCIONUM

Quæ in hoc Adventu de Captivitate Petri Continentur.

DOMINICA PRIMA. pag. 1

Quem cùm apprehendiſſet, miſit eum in carcerem. Actorum 12.

PEccans mortaliter fit mancipium diaboli, ejuſque in carcerem mittitur, in quo captivus tenetur ad ipſius voluntatem, quæ eſt perdere & præcipitare. Oſtenditur quòd nulla ſervitus, nulla captivitas huic valeat comparari, quòdque ex illo carcere non liberetur; niſi per Deum, qui ſolus carceris clavem habet.

FERIA SECUNDA. p. 11

Petrus ſervabatur in carcere. Act. 12.

DIabolus captivum ſuum illicò exarmat, & univerſa ejus arma aufert, ſcilicet arma lucis, quibus contra principes tenebrarum decertet. Undè manum ſuam mittit ad omnia jejunia, pœnitentias, eleëmoſynas, confeſſiones, omnia anteacta opera bona, quæ omnia addicit Fiſco, ſic ut omnia vaſa gloriæ ejus captiva abducantur, & durante captivitate non poſſit producere vel minimum actum vitæ æternæ meritorium.

FERIA TERTIA. p. 19

Tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum. Act. 12.

DIabolus inermem captivum ſuum, omnibus bonis expoliatum, tradit quatuor quaternionibus militum, id eſt undecim paſſionibus animi ſævis & crudelibus militibus ſuis, qui diu noctuque miſerum captivum cuſtodiant, quibus adjungit quinq; alios qui armatâ manu & paribus viribus in ipſum ſæviant, à quibus, ipſi dominantibus, ad contraria cogitur, rixantibus inter ſe tyrannis iſtis, cujus potiſſimùm eſſe videatur.

FERIA QUARTA. p. 29

Petrus ſervabatur in carcere, vinctus catenis duabus. Act. 12.

DIabolus captivum ſuum tetro incluſum carceri, quatuor quaternionibus militum traditum, ad majorem ſecuritatem, ne carcerem effringat vincit catenis duabus, intellectûs excæcatione, & voluntatis induratione. Excæcat intellectum, ne videat miſerum ſtatum ſuum, nec ea quæ ſalutis ſunt, cognoſcat, quaſi tunc ſecurus quòd facilè eum in omnem impellet iniquitatem.

FERIA QUINTA. pag. 39

Petrus ſervabatur in carcere vinctus catenis duabus. Act. 12.

ALtera catena, quâ diabolus vincit captivum ſuum eſt induratio voluntatis: hâc ita indurat cor ejus, ut tandem nec compunctione ſcindatur, nec pietate molliatur, nec precibus moveatur, nec Deum timeat, nec homines revereatur, factus lapide inſenſibilior, & in omne malum præceps.

† 2 FERIA

FERIA SEXTA. pag. 48.

Servabatur in carcere vinctus catenis duabus inter duos milites. Act. 12.

Diabolus anxius ne captivus ejus (quamquam à quatuor quaternionibus militum cuſtoditus, & vinctus catenis duabus) carcerem & catenas effringat, ſic vinctum ponit inter duos milites, qui ab utroq; latere illum circumſtent, tenentes manibus catenas, ne effugiat. Hi ſunt: *Caro* & *Mundus* diu noctuque agentes vigilias, unus ab intra, alter ab extra. His demandat, ut inſigniter partes ſuas agant, ſignanter primo, tanquam primario militi ſuo, cui ſoli plus fidit quàm ſibi.

DOMINICA II. pag. 59.

Vinctus catenis duabus inter duos milites. Act. 12.

Diabolus timens ne captivus ejus, effugiat manus unius, adjungit ei ſecundum militem, non gregarium ſed veteranum, ſcilicet mundum, qui captivum recreet, exhilaret, & oblectet, ne ultrà ſentiat captivitatem, nec amplius cogitet de liberatione ſua, illectus & faſcinatus oblectamentis ejus. Oſtenditur quàm proditoriè & inſidiosè hic miles agat cum ſuo captivo, cujus oblectatio ruina eſt, cujus finis mors eſt.

FERIA SECUNDA. p. 68

Cùm autem producturus eum eſſet Herodes, ipsâ nocte erat Petrus dormiens. Act. 12.

Captivus diaboli carnis delitiis recreatus, & mundi oblectamentis inebriatus, tetro ſuo in carcere catenis vinctus, plenus indignatione Domini, dormit ſecurè, fortè hodiè, à Deo Judice citandus, ut in eum ſententiam ferat, à qua pendet æternitas. Quæritur undè illi hæc tam pernitioſa tepiditas? Undè hæc ſecuritas maledicta? ſecuritas iſta tempeſtas eſt, & *Anima* ſimilium *in tempeſtate morietur.*

FERIA TERTIA. pag. 79

Cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem. Act. 12.

Captivus diaboli ſuo in carcere tam ſecurus dormit, & commodè cubat, ut eſſe ſub ſentibus delitias reputet, unde, ne quis eum à ſomno excitet, & diaboli manus effugiat, ponit ante oſtium carceris alios collegas ſuos, qui oſtium illud obſervent, ne per confeſſionem aperiatur: ſed ſemper clauſum maneat, peccata ita longâ conſuetudine frequentando, ut carceris moleſtias ultrà non ſentiat, nec de exitu cogitet.

FERIA QUARTA. p. 88

Et ecce Angelus Domini aſtitit illi. Act. 12.

Magni Conſilii Angelus, miſericordiâ motus ſuper captivo diaboli, de ſupernis deſcendit, ut factus homo eum de carcere liberet, & clavem, quam ad aperiendum carcerem de cœlo portavit, dedit Petro ejuſque ſucceſſoribus, & Confeſſariis, ut eum, modò per confeſſio-

ſeſſionem oſtium carceris aperiat, ſolvant à vinculis, & de carcere educant; & miſer oblatam clavem reſpuit, malens ſubeſſe tanto tyranno, etiam cum periculo animam perdendi.

FERIA QUINTA. p. 100
Angelus Domini aſtitit illi. Act. 12.

NOn ſolùm diabolus ſuos habet cuſtodes, qui oſtium carceris cuſtodiant, ne captivus confitendo illud aperiat, & ſic ſolvatur, ſed etiam Deus ſuos habet cuſtodes, qui ad captivorum indulgentiam & clauſorum apertionem poſiti, illos in carcere detinent, id eſt conſcientiæ portam clauſam tenent, ne confiteantur, & ſic ſolvantur, alieni à Spiritu Chriſti, qui de cœlo deſcendit, ut ſolveret compeditos, durè & ſeverè nimis tractantes eos, qui in confeſſione ſibi carcerem cupiunt aperiri.

FERIA SEXTA. pag. 112
Lumen refulſit in habitaculo. Act. 12.

DEus, ut captivum diaboli à ſomno ſuo excitet, & catenam excæcationis ſolvat (cùm nullus illuminetur niſi à Verbo) lumen gratiæ ei ob oculos ponit, ut in lumine lumen videat, & ſtatum miſerum, in quo verſatur, cognoſcat; at miſer rebellis lumini, tegetibus & ſtragulis ſe involvit, ut altiùs dormiat: ſicque, ut filius tenebrarum, per tenebras ad tenebras ambulat, & manet in carcere, amans carcerem.

DOMINICA III. pag. 122
Percuſſoque latere Petri excitavit eum. Act. 12.

CAptivus diaboli, necdum ex lumine poſito ante oculos ejus excitatus, ne æternæ mortis ſomno dormiat, miſerens ejus miſericors Dominus percutit eum interiùs & exteriùs. Interiùs per remorſum conſcientiæ, exteriùs per flagella, morbos calamitates, perſecutiones &c. ut, ſicut lumine ſuo excæcatum intellectum voluit illuſtrare, ita & percuſſionibus ſuis obduratam emolliat voluntatem, ſicque duas catenas ſolvat, quibus eſt vinctus.

FERIA SECUNDA. p. 134
Excitavit eum, dicens: Surge. Act. 12.

CAptivus ex lumine & Dei percuſſionibus de ſomno excitatus, adhuc ſtertens in lecto, monetur ut ſurgat, tollat, lectum ſuum, & vadat in domum ſuam, hoc eſt à torpore & ignavia ſe erigat, conſcientiam ſuam intret, & miſerum animæ ſtatum intueatur, ne alioquin, ſi oſcitare, conquiniſcere & oculos tergere incipiat, differatque circumdare ſibi veſtimentum gratiæ, iterum in ſomnum cadat, & ſuperatus ſoporis altitudine remergatur, & de ſomno in letargiam incidat.

FERIA TERTIA. p. 144
Surge velociter. Act. 12.

CAptivus, de ſomno excitatus, non ſolùm monetur ut de lecto ſurgat, ſed ſurgat velociter, & non differat, de die in

 diem,

diem, de menſe in menſem de anno in annum, ne demoretur in errore impiorum dicentium quòd in fine vitæ ſurgent de lecto ſuo, quòd tunc ſe convertent ad Deum, & pœnitebunt ſicut oportet, quia pœnitentia ſera rarò vera, & confeſſio in mortis articulo à ſimilibus facta ſæpè quaſi mortua.

FERIA QUARTA. p. 156
Ceciderunt catenæ de manibus ejus. Act. 12.

CAptivus antè vinctus catenis duabus, qui nec manus, nec pedes, nec ullum corporis membrum meritoriè movere poterat, per Sacramentalem abſolutionem à vinculis ſolvitur, & cadunt catenæ de manibus ejus, & priſtinæ ſuæ libertati reſtituitur, ſi tamen confiteatur totam ſpeciem captivitatis ſuæ, nihilque omittat aut immutet, ne aliàs fieret error noviſſimus pejor priore.

FERIA QUINTA. p. 169
Calcea te caligas tuas. Act. 12.

LIcèt per abſolutionem Sacramentalem ceciderint catenæ de manibus captivi quondam diaboli, niſi cuncta quæ ei occaſionē captivitatis ſuæ præbuerunt, tollat, facilè denuò iiſdem vinculis conſtringetur, quia malo non ſubvenitur perfectè, niſi etiam mali occaſio amputetur, ſtudet enim diabolus detinere aliquid ad eum pertinens, pro cujus obtentu ad carcerem redeat.

FERIA SEXTA. pag. 179
Circumda tibi veſtimentum tuum. Act. 12.

SI captivus à vinculis ſolutus, liberationem ſuam certam velit, non ſolùm peccandi occaſiones fugere, ſed & circumdare ſibi debet veſtimentum ſuum externum & internum: id eſt pœnitentiam externam & internam, quia parùm eſt peccatorem pœnitere, niſi egerit pœnitentiam. Agitur in hoc ſermone de veſtimento externo, ſcilicet ſatisfactione, parte integrante Sacramenti Pœnitentiæ, quo indutus in mare contritionis ſe mittat, ut mare diluat, quod peccatum ſordidaverat, quia unicâ ablutione non perfectè ſemper abluitur anima ſordidata.

DOMINICA IV. pag. 193
Sequere me, & exiens ſequebatur eum. Act. 12.

NOn ſufficit quòd captivus ſit à vinculis ſolutus & libertate donatus, niſi Chriſtum ſequatur, id eſt Chriſtum induat, & virtutes ejus imitetur; Abſque illo de ſua liberatione non poteſt eſſe ſecurus: Juſtitia enim Chriſtiana eſt divertere ſe à malo, & facere bonum: undè ſi cucurrerit per vias mortis, jam Chriſti veſtigiis innixus, debet currere per vias vitæ, convertens ad virtutum numerum, numerum ſuorum peccatorum.

FE-

FERIA SECUNDA. p. 204
Pertranſeuntes primam & ſecundam cuſtodiam venerunt ad portam ferream. Act. 12.

NOn ſolùm debet captivus de carcere liberandus Chriſtū ſequi, ſed pertranſire primam & ſecundam cuſtodiam. Id eſt quatuor quaterniones & duos milites, carnem ſcilicet & mundum, alioſque carceris cuſtodes, quibus neceſſe eſt bellum indicat, carnem crucifigat cùm vitiis & concupiſcentiis, & verè dicat cum Apoſtolo: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.*

FERIA TERTIA. pag. 216
Venerunt ad portam ferream, quæ ultrò aperta eſt eis. Act. 12.

CAptivus de carcere eductus impoſterùm virtutes amplexurus, totumq; ſe traditurus Deo, viſus eſt ſtare ante portam ferreā, more puerorum, quibus metum incutit umbra, quaſi verò virtus, ſeu pœnitentia monſtrum ſit horrendum, ingens, quod feriat, perdat & devoret: at operi manum adhibens, videt quod porta ferrea ultrò aperta ſit ei, quæ facilè omni captivo aperitur per gratiam.

FERIA QUARTA. p. 229
Et exeuntes proceſſerunt vicum unum, & continuò diſceſſit Angelus ab eo. Act. 12.

CAptivus libertate donatus conſiderans quàm facilè de temporali in æternum carcerem detrudi potuiſſet, peccando liberiùs, quia viderat aliquos concaptivos de carcere educi, ideoque temerè ſperabat ſe ſimiliter ex illo liberandum, Divinâ abuſus eſt miſericordiâ, dicens fortè centies: bonus eſt Deus, miſericors eſt, faciam quod libet, laxem habenas cupiditatibus meis, expleam deſideria animæ meæ. Oſtenditur quàm temerè, & quomodò luſerit cum anima ſua.

FERIA QUINTA. p. 240
Petrus ad ſe reverſus dixit: Nunc ſcio verè, quia miſit Deus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis. Act. 12.

CAptivus noſter per pœnitentiam ita rediit ad priſtinam libertatem, ut non ſolùm omnia opera bona in captura ejus mortificata revixerint, & omnia merita, quæ addicta erant Fiſco, ſint ei reſtituta: ſed ita poſuit Deus Immaculatam vitam ejus, ut nullum veſtigium in eo maneat, undè colligatur captivum fuiſſe, quin imo factus ſit ditior quàm fuerat ante incarcerationem, ac priſtinæ innocentiæ ita reſtitutus ſit, acſi nunquam peccâſſet.

FERIA SEXTA. pag. 250
Conſiderànſque venit ad domum Mariæ Matris Joannis. Act. 12.

MOnetur liberatus captivus, ut, cùm ereptum ſe ſciat de manu Herodis infernalis, impoſterùm longè ſit à carcere, cùm nemo diu tutus ſit periculo expoſitus, & ſeriò conſideret, quàm facilè iterum poſſet incidere in manus ejus, & in carcerē mitti, ſemper moniti Apoſtolici memor:

mor: *Noli iterùm jugo ſervitutis contineri*, ne poſterior captivitas fiat pejor priore.

In feſto Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti. p.263

Verbum Caro factum eſt & habitavit in nobis. *Ioan.* 1.

Venit ad domum Mariæ, Matris Joannis. Act. 12.

HOdie Verbum Patris Caro factum eſt, & ad ima noſtra deſcendit, ut hominem captivum de carcere diaboli liberaret, & formam ſervi accepit, ut peccatum ſolveret, cùm culpam non haberet, ſic redimens captivos, ut faceret cohæredes; quantâ amoris vehementiâ, oſtendit, dum hodie in ſtabulo naſcitur, & in præſepio reclinatur, ubi agnoſcitur exinanita Majeſtas, Verbum abbreviatum, Sapientia æterna amoris nimietate quaſi infatuata.

In feſto Immaculatæ Concept. B.V. Mariæ. pag.281

De Captivitate Petri.

Cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem. Act. 12.

OMnes naſcimur filii iræ & captivi diaboli, Immaculatâ Virgine Mariâ exceptâ (quæ ſub ly omnes non comprehenditur) utpotè ab æterno in Dei Matrem electa, à qua Deus avertit captivitatem. Ne tyrannus infernalis eam, ut cæteros Adæ poſteros, captivam duceret, ſingulariter à Deo præſervata fuit. Oſtenditur quod tres perſonæ Divinæ fuerint Mariæ Cuſtodes, qui ante oſtium cuſtodiebant carcerem, ne per peccatum originale incideret in illum.

FERIA QUARTA.

Miſſus eſt. pag.294

De Captivitate Petri.

Ceciderunt catenæ de manibus ejus. Act. 12.

HOdie Deus liberaturus hominem de domo carceris ſedentem in tenebris & umbra mortis, mittit Angelum ſuum ad Virginem Mariam, ut ejus conſenſu Incarnationis myſterium perficeretur, & ſicut ab uno per unam ruina, ita ab uno per unam fieret reſtauratio, quæ facta non fuiſſet, niſi Angelo nuntianti dixiſſet Fiat. Hinc dicitur: *Captivorum redemptio & omnium ſalus*; hinc cantat Eccleſia: *Solve vincla reis, profer lumen cæcis mala noſtra pelle, bona cuncta poſce. Tu nos in hoc carcere ſolare propitia, Dei plena gratiâ.*

CONCIO-

CONCIONES ADVENTUALES
De captivitate Petri.
DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

Videns quia placeret Judæis, appoſuit apprehendere & Petrum, quem cum apprehendiſſet miſit in carcerem. Actor. 12. 3.

Chriſti Adventus ut captivos liberet.

1. FInis Adventûs Dominici fuit redimere captivos: ita ſonant patentales litteræ ejus, quas dedit ei Pater, mundo exhibitæ in prima ſua Concione Lucæ 4 habita. Ibi Synagogam ingreſſus, volumina Sacræ Scripturæ aperit, & Iſaiæ verba, quæ primò offenderat, de ſe interpretatus, ſic exorditur. *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, Evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde: prædicare captivis remiſſionem:* Hoc eſt, inquit Ugo Cardinal. *Ut peccatoribus, qui à dæmone captivi detinentur, prædicem & afferam liberationem per pœnitentiam & gratiam meam.* Finis mei huc Adventûs eſt, ſacro hoc Adventuali tempore, *prædicare captivis remiſſionem*: hoc eſt. *peccatoribus, qui à dæmone detinentur prædicare liberationem per gratiam Dei & pœnitentiam.* Triſtem illam captivitatem demonſtro in captivo, de quo Lucas Actor. 12. cap. ipſe eſt Petrus Apoſtolus ab Herode in carcerem miſſus, & ab Angelo Dei miraculosè liberatus. Cum hic captivus, ſecundùm S. Laurentium Iuſtinianum, S. Vincentium Ferrerium, Ugonem Card. & Lyranum, peccatorem, diaboli captivum adumbret, & liberatio ejus ex carcere, ſignificet Dei miſericordiam, quâ ſuo ex carcere peccator liberatur. In toto decurſu (cum Lyrano loquor) videbitis: *Captivitatem injurioſam, & liberationem miraculoſam* Oſtendo ergò hodie pro primo punčto, quod peccans mortaliter, captivus fiat diaboli. Pro ſecundo, quod captivus ille iſto ex carcere non liberetur, niſi per Deum, qui ſolus habet claves carceris, & portas ejus aperit. Dignemini me benignâ attentione, Deo auſpice incipio à primo.

Lucæ 4. 18
Iſaiæ 61. 1.
Ugo Card.
Petrus in carcerem miſſus figura peccatoris.
SS Laurent. Juſtin. Vincent. Ferrer. Ugo Cardin. & Lyran.

Mortaliter peccans fit diaboli captivus.

2. Quiſquis ergò mortaliter peccat, captivus fit diaboli, ejuſquè in carcerem mittitur: ita ſpiritus S. Iſaiæ 46. ℣. 2. *Anima eorum in captivitatem ibit. Peccator*, inquit S. Chryſol. Serm. 6. *fit peccati ſervus, captivus mortis, mancipium dæmonum, vitiorum verbero, criminum compeditus, iſque malis dominis talibus, tantiſque exhibet malam & miſeram ſervitutem.* Tunc verificantur horrendæ Dei minæ Iſaiæ 19. *Tradam Ægyptum in manu Dominorum crudelium & Rex fortis dominabitur. Tunc*, inquit Bonaven-

Iſaiæ 14. 9.

S. Bonavent. tura Coll. 42. in cap. 8. Ioann. *Ponitur prævaricantis ignominioſa captivatio.* N. N. ſi Ephrem Eremitæ oculos haberemus, qui in Templo orans multos videbat variis ligatos vinculis, à diabolo captivos duci, non illos in Templo tantùm videremus, ſed & in plateis occurreremus ejuſmodi innumeris. At, quia hæc abſcondita ſunt ab oculis noſtris, ideò non apprehendimus, nec credimus nos captivos eſſe, imò improperantibus nobis captivitatem non minus indignamur, quàm Judæi Chriſto.

Captivatio peccatoris miſera, crudelis, ignominioſa.

Et tamen quia non videt, non credit ſe captivum.

3. Ioan. 8.

3. Ioann. 8. Chriſtus captivis aliquot Iudæis loquens ea, quæ Patris ſunt, dummodò aure cordis percipiant, & in ſermone ejus maneant, liberationem promittit: *Veritas liberabit vos.* (Joann. 8 32.) His auditis, indignabantur captivos ſe dici: quid? inquiunt, *ſemen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus unquam, quomodò tu dicis liberi eritis?* (Vers 33.) compatitur illis S. Hieronymus (S. Hieronym.): *Neſciebant, inquit, quod omnis, qui facit peccatum, ſervus peccati ſit.* Unde Chriſtus dicit illis palam (Joan. 8. ℣. 34.): *Amen, amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Non dicit, qui facit peccatum ſervit peccato, ſed ſervus eſt peccati: *A quo enim quis ſuperatus eſt,* inquit Princeps Apoſtolorum, *hujus & ſervus eſt.* (2. Pet. 2. 19.) Hanc authenticam & infallibilem doctrinam confirmat Angelicus 1.2. q. 50. a. 4. ad 2. (D. Thom.) dum ait: *Non ſolùm fit ſervus alicujus, qui ab eo ſuperatur, ſed etiam qui ei voluntariè ſe ſubjicit, & hoc modo fit ſervus diaboli, qui motu proprio peccat.* Te pauper captive teſtem volo: nunquid ipſâ experientiâ fateri cogeris, quod diaboli captivus ſis, ejuſquè mancipiū? Avaritia tua, ambitio tua, vindicta, luxuria tua, &c. Ipſæ, ipſæ, ſunt quæ te carceri mancipârunt. Eloquere jam ſeriò, antequam ad intentum deveniſti, ad quæ & qualia non coëgerunt te? Accumulandis pecuniis inhians, debebas currere de civitate in civitatem, inſuper decipere proximum, falſas merces obtrudere, doloſos inire contractus, plus juſtò accipere, &c. numquid hoc ſervile eſt? Ambiens officiū, dignitatem, &c. quot duros & amaros bolos non cogebaris deglutire? Debebas ſæpè aſſurgere minori, currere poſt majores, fungentem officio ex illo deturbare, concurrentes denigrare, &c. Dic, obſecro, contra conſcientiam loqui, & malè dicta poſteà cum infamia debere revocare, anxiari, & in timore continuo verſari, quod tandem Deus innocentem defendet, numquid ſervitus magna? Illatas vindicaturus injurias, debebas inimicum occidere, aut ſaltem inſigniter vulnerare, honorem & famam ejus lædere &c. Reſponde mihi, ſi potes, in continuo vitæ periculo verſari, relictâ uxore, liberiſque relictis ſemper exulare, poſſetne dari ſervitus major? Et tu libidinoſe, ut carnalibus deſideriis tuis indulgeas, qualia ſuſtinere non cogeris: (ab enarratione) tu ipſe teſtare & candidè eloquere, eſtne mancipium tibi æquiparandum? habes de tua & avarorum ſimul ſervitute lamentantem Eccleſiæ Doctorem D. Ambroſ. Lib. de Ioſeph cap. 4. *Quomodò non ſervus omnis avarus, qui pro exiguo pecuniæ lucro ſeipſum auctionatur? Timet enim* ne

Peccator eſt ſervus peccati.

Avaritia in ſervitutem redigit.

Ambitio ſimiliter, & in qualem.

Vindicta quoque.

Luxuria facit ſervum.

ne congeſta amittat, qui non uenda congeſſit, majori periculo ſervaturus, quo majora quæſivit. Quomodò non & ille ſervus, qui ſubditus eſt libidini, primùm ſuis ardet incendiis, & peccati ſui facibus exuritur. quibus rectè dicit Propheta: AMBULATE IN LUMINE IGNIS VESTRI, ET IN FLAMMA, QUAM ACCENDISTIS; *ſuſcipit omnes metus, Inſidiatur ſomnis ſingulorum. Ut unius cupiditate potiatur, fit ſervus omnium. Servit igitur, ac miſeram quidem ſervitutem: Qui ipſe ſibi dominos facit, ipſe vult habere quos timeat.* Ambroſii veſtigiis inſiſtit S. Thomas à Villa Nova Dom. 2. Quadr. Conc. 2. *Nulla eſt ſervitus, nulla captivitas, quæ vitiorum ſervituti valeat comparari. O quàm humiliatum & concatenatum detinet iniquitas peccatorem! Si quis tyranno, quantumvis ſævo & crudeli ſerviat, & diebus ac noctibus, catenis & ferro ligetur, quantum eſt hoc? Manus & pedes ligare potuit, ſed mens & voluntas liberæ ſunt; In peccatorum mancipio non ſic, ſed mens, ſenſus, ratio, judicium, voluntas, affectus, deſiderium, & quidquid in homine præcellit, ligatum eſt.* Infelicis peccatoris anima omni libertate ſpoliatur, degradatur, & omni nobilitate privatur, deciditque ab illa Regia & altiſſima dignitate, quâ ante non agnoſcebat ſuperiorē ſe, quando, ut rectè S. Gregorius Nyſſenus, ſolum ejus arbitrium regula erat, & norma omnium actionum *Animus Regiam, excelſamque dignitatem ſuam ab humilitate privata in eo declarat, quod Dominum neminem cognoſcit, & ſuo arbitrio agit omnia, meroque & ſummo imperio, ut ipſi libet, ſemet gubernat.*

Iſaiæ 50. 11.

Thomas à Villa-Nova.

Peccatorum ſervitus peſſima.

S. Gregor. Nyſſen.

Sed, quid SS. Patres, miſeram illam ſervitutem deplorantes, adduco, dum ſuper illâ ingemiſcentem habeo Jeremiam Prophetam?

4. Thren. 1. inter alia luctuoſa lamenta, quæ in exterminio Jeroſolymorum edidit, primum hoc fuit: *Princeps Provinciarum facta eſt ſub tributo.* Scilicet poſtquam Jeroſolyma multis ante ſeculis varios debellâſſet populos, tandem & ipſa Barbarorum tributaria, ſerva, & mancipium facta eſt. S. Hieron. in ſenſu ſpirituali hæc exponit. *Myſticè plangitur anima, quæ quondam plena numeroſitate virtutum, imperabat diverſis affectibus, dominans concupiſcentiis carnis: poſteà autem à malignis ſpiritibus flammis libidinum incenſa, deſtituta Angelorum ſolatio, & carens Divino conſortio, tot ſervit ſceptris, quot dedita vitiis.* Tot habet Dominos quot pravos affectus, & ſic anima peccatoris de templo Dei, fit ſtabulum beſtiarum infernalium. *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritûs immundi,* Apoc. 18. Jam argumentor: Si ſervitus ſit omnium malorum peſſimum, eò quod mancipia non ſint juris ſui: ergo tantò majus erit malum ſervitus peccatoris, quantò illa cæteris omnibus eſt vilior & miſerior, quâ ſit non unius, ſed omnium diabolorum mancipium. Et necdum credis prævaricator hæc omnia de te dici, captivum te eſſe, & ſervum omni libertate privatum? De te ſentias quidquid volueris, aliis imperes, plateas obambules licet, ego equidem tibi dico, quod mancipium ſis miſerrimum: & hoc eâ libertate pronuntio,

Jeroſolymæ devaſtatio figura peccatricis animæ.

Peccator tot habet dominos quot vitia.

Apoc. 18. 2.

Servitus malorum peſſimum.

Mandatorum transgreſſio malorum cauſa quâ S P. meus ELIAS olim Achabo Regi.

5. 3. Regum 18. Rex ille furibundus Eliam obvium aggreditur: 3 Reg. 18. 17. 18. *Tune es ille, qui conturbas Iſraël?* Sed hic imperterritus: *non ego turbavi*, inquit, 4 *Iſraël, ſed tu & domus Patris tui, qui* S. Chryſoſt. *dereliquiſtis mandata Domini*. S. Chryſoſt. Hom. 8. ad populum, ſuper his verbis, quaſi in ſtuporem datus, quærit: cur Elias Achabum Regem non dignetur titulo Regio? re maturè perpenſâ, pandit ſenſa cordis ſui. *Corona temporalis à ſervitute non eximit peccatorem.* *Elias non ſpectat diadema & exteriorem apparentiam, ſed animam ſordibus indutam, reſpiciebat & ipſum interius captivum, vitiorumque ſervum: & ideò ipſius principatũ contempſit*; Et meritò, quia eodem teſte: *Qui committit peccatum ſervus eſt peccati, etiamſi decem millia coronarum habeat in capite*: Sic eſt, etiamſi Rex fores & mortalium feliciſſimus, dum in peccatò mortali es, captivus diaboli es ejuſque mancipium. Hoc poſito: dicat mihi jam aliquis, ſi poteſt, quid ſit in carcere eſſe diaboli. Demetior ego captivitatem illam à captivitate corporali.

6. Apoc. 2. Enarrans Primus Chriſto à ſecretis, mala noviſſimis Apoc. 2. 10. temporibus à diabolo fidelibus infligenda, ait: *Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini, & habebitis tribulationem.* *Diabolicarcer omne malum.* Expectaſſem hìc longam ſeriem pœnarum, rotarum, flammarum, gladiorum, æquuleorum, &c. Et ſolius carceris meminit. Eſtne tibi pœna carceris res tanta Ioannes? eſt, eſt, inquit modernus, ſolummodò carcerem minatur: *Quaſi nihil ſit carcere efficacius, ad tentandos & tribulandos Sanctos, nemo enim ſcire poteſt quantum liceat diabolo affligere eos, qui carcere detenti conſervantur*: hinc Paulus Hæb. 11. 36. de S. Martyribus Hebr. 11. 36. loquens ait: *Alii verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres.* Supra ludibria & verbera ac omnia tormenta, tamquam ſummum omnium malorum, ponit vincula & carceres. D. Anſelmus ibi: 5 Anſelm. *Quaſi parùm eſſet pertuliſſe ludibria & verbera, pertulerant inſuper & vincula & carceres.* *Nihil eſt durius carcere.* Ac ſi omnia ipſa flagella parva videantur, factâ collatione cum carcere & vinculis. Ita de ſe teſtatur Iob. cap. 7. 11. *Non parcam ori meo, loquar in tribulatione ſpiritûs mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ: numquid mare ego ſum, aut cetusquia circumdediſti me carcere?* Job 7. 11. Non erat Iob carceri incluſus, ſed ſolummodò furenti tribulationum mari, ac furibundo ceto circumdatus: cur ergò dicit ſe carcere circumdatum? ad explicandam ſævam ac vehementem tempeſtatem innumerabilium malorum, perſecutionum, infirmitatum, quæ in ipſum irruerant, & acutiſſimè premebant: non poterat illam meliori methodo ac phraſi declarare, quàm ſe incarceratum dicere, nam homo in carcere vivens, anguſtias ac mortis dolores ſuſtinet non ſemel, ut rectè Caſſiodorus Lib. 11. Variar. cap 4. Caſſiodorus. *In carcere non unum tormentum ſuſtinet reus, qui antequam incurrat necis exitus, jam à ſupernis probatur abſcitus.* Carcer enim eſt quædam mors viva, quot dies carceris, tot dies necis ſunt. Veritas horum clareſcit in Petro captivo noſtro.

7. Quæro cur Herodes Petrum captivum non ſtatim occiderit, ſed in car-

Sanchez. Carcer eſt ipſâ morte durior.

carcere detinuerit mortis executionem poſt Paſcha differens? rationem dat nobis Sanchez: *Ut durâ cuſtodiâ, qualis poſteà deſcribitur, diutius torqueretur Petrus*, ſicque pœnam ſubiret ipſa morte crudeliorem. Sed quid incarceratio corporalis ad animæ captivitatem? Certè ſi dura illa eſt, hanc dicere oportet incomparabiliter eſſe duriorem. Explicet hoc qui poteſt, ego hîc calamum & linguam ſiſto. Solùm inquiro, quomodò tractet diabolus captivos ſuos? Antequam ad hoc reſpondeam, peto à vobis, quomodò illos tractet, quos corporaliter tantùm poſſidet? non eſt quod vos reſpondeatis, hoc ad vivum deſcribit Evangeliſta.

8 Luc.8 *Jeſu* in terram Geraſenorũ venienti, occurrit vir quidam habens dæmonium: hic à temporibus multis, nec veſtimentis induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis quaſi vivus à diabolo ſepultus erat; ut Jeſum vidit, procidit ante illum exclamans voce

Lucæ 8. 29. Carcer animæ omnium horribiliſſimus.

magnâ: *Quid mihi & tibi eſt Jeſu fili Dei altiſſimi? obſecro te ne me torqueas, præcipiebat enim ſpiritui immundo, ut exiret ab homine: multis enim temporibus arriepiebat illum, & vinciebatur ca'enis, & compedibus cuſtoditus, & ruptis vinculis agebatur à demonio in deſerta.* Quid videtur vobis N N. de paupere illo patiente? Ne putetis unum tantùm dæmonem ſic eum tractâſſe, interroganti enim Jeſu: *Quod tibi nomen eſt? Ille dixit, legio, quia intraverant dæmonia multa in eum.* Quot, obſecro? Legio, 6656. Certè pejus tractat, quem captivum tenet ſatanas ſecundum animam. Dicat Doctor Seraphicus hic ſenſa cordis ſui: *Horribile videtur, inquit, quod tot millia dæmonum', ſcilicet Legio, obſederit hominem: ſed certè horribilius eſt multa habere peccata, imò unum mortale*, Et ob illud in carcerem ejus detrudi. Jam reſpondeo petitioni à me factæ quomodò diabolus tractet captivas animas: & idipſum dico, quod Paulus dixit, hujus quondam carceris captivus, & hanc tyrannidem expertus. Scribit hic Diſcipulo ſuo Timotheo Epiſtolam, ut reſiſtentes veritati ſeriò moneat & hortetur, *Ut Reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem. Hoc eſt*, inquit Ugo Card: *ad ipſius voluntatem exequendam.* Ad ipſius voluntatem? qualis quæſo illa? *voluntas diaboli eſt ſtatim perdere & præcipitare.* Pauper captive necdum ſentis tyrannidem illius, à quo captivus teneris? ſi non ſentias, es ipſis brutis factus inſenſibilior.

S. Bonavent. *peccatum in anima horribilius legione dæmonum in corpore.* 2. Tim. 2 26. Ugo Cardin.

9. Matth 8. Dæmones, de quibus ſupra, exire compulſi: *Clamaverunt, dicentes quid nobis & tibi Jeſu fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos? erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum paſcens: dæmones autem rogabant eum dicentes: ſi ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite: at illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui ſunt in aquis.* Optarem ſcire an dæmoniacus ille. vel ut Matthæus, duo illi habentes dæmonia tempore illo, quo dæmonia ipſos poſſederunt, comederint, biberint & dormiverint? quis vel dubitet? itane? duo homines tot millium dæmonum tyrannidem

Matth. 8. 30. *Porci minus ſuſtinent dæmonum tyrannidem quàm homines.*

S. Chryſol. ſuſtinent, & non ſuſtinent porci? Sanctus Pater Chryſologus ſuper hoc in ſtuporem actus, ait: *Grex in gregem mittitur, ut appareat hos duos poſſe homines, quod tot porci non poſſunt ſuſtinere.* Pauper captive certè tui me miſeret, dum te ſub majori tyrannide incarceratum video, & quidem abſque ullo animi ſenſu. Comedis, bibis, epularis, benè dormis, jucundaris, ludis, rides in tuo carcere, nulla dari tibi poſſet dies jucundior: imò licet quis tibi periculum, in quo verſaris, ob oculos ponat, non plus moveris, quàm Judas proditor.

Peccatorum deflenda inconſideratio

10. Matth. 26. Comeſturus Chriſtus paſcha, diſcumbebat cum duodecim Diſcipulis ſuis, & edentibus illis dicit: *Amen dico vobis, quia unus veſtrûm me traditurus eſt*: inde contriſtati: *Cœperunt ſinguli dicere: Numquid ego ſum Domine?* quibus reſpondens ait: *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet*: & tandem: *Unus veſtrûm diabolus eſt*, id eſt captivus diaboli. Sciebat Judas ſe captivum & proditorem eſſe, nihilominus fronte meretriciâ, mittit manum in paropſidem, ex qua manducabat Chriſtus, *Retrahentibus cæteris manum*, teſte S. Hieronymo Epiſtolâ ad Heliodorum, *ut audacia bonam conſcientiam mentiretur.* O impudentem! tu Captive, tu ipſe es, de quo loquitur Hieronymus, tu qui cæteris retrahentibus manum, cæteris exhorreſcentibus, hunc carcerem, audaciâ infrunitâ manum mittis in paropſidem Comedis, bibis, lætaris, ſaltas & tripudias. Si tibi adhuc intellectus eſt, hoc ſolùm conſidera, quod ſervus ſis & mancipium diaboli, adeòque privatus omni bono honeſto, utili, & delectabili. *Honeſto*: quia ſumma ignobilitas & ignominia eſt ſervitus, ipſâ confitente captivâ filiâ Sion Thren: 1. *Vide Domine & conſidera quoniam facta ſum vilis.* *Utili*: quia mancipium ex natura ſua nullius, ne quidem ſui, eſt Dominus: *Servies inimico tuo in fame & ſiti & nuditate & omni penuria.* Deut. 28. *Delectabili*: Quia vita ejus nil niſi labor & verbera, uti patuit in Hebræis, Exodi 5. *Flagellatique ſunt ab exactoribus Pharaonis dicentibus, quare non implêſtis menſuram laterum ſicut prius, nec heri, nec hodie?* Centuplò pejor eſt ſtatus tuus captive. Primò, quia eò vilius eſt mancipium, quo vilior eſt Dominus ejus: quis autem dari poſſet Dominus diabolo vilior? Secundò Mancipium ſuâ quam Domino præſtat, fidelitate, tandem ſperare poteſt libertatem: at tu quantò ſervis fidelius, tantò ſtrictiori te mancipas ſervituti: *Et ponet jugum ferreum ſuper cervicem tuam donec te conterat* Deut: 28. Tertiò, ſi patiatur in corpore, poteſt ob virtutes, quas poſſidet, gaudere in anima. Tu autem ob malæ conſcientiæ ſtimulos, plus pateris in corde, quàm corpore, nec gaudere potes in anima. *Arguet te malitia tua, & averſio increpabit te* Jerem. 2. Et his omnibus non moveris, ut jugum adeò tyrannicum & diabolicum à te excutias? non te miſeret tui, dum habes Deum tui miſerentem?

Matth. 26. 21.

Monſtratur in Iuda.

S. Hieronym.

Peccator privatur omni bono.

Thren. 1. 11.

Deut. 28. 48.

Exodi. 5. 14.

Peccator mancipium viliſſimum.

Deut. 28. 48.

Jerem. 2. 19.

11. Gen. 3. Videns Deus miſerum ſtatum Adæ primi captivi diaboli, ejus miſerens quærit: *Adam ubi es?* Ad hanc interrogationem. D. Ambroſius Eccleſiæ Doctor ait: *Non in-*

S. Ambroſius. *interrogatio eſt, ſed increpatio, de quibus bonis, de qua beatitudine; de qua gratia, in quam miſeriam incidiſti? dereliquiſti vitam æternam, & accumulatus es morti, conſepultus errori. Ubi ergo es? hoc eſt, non in quo loco es, quæro, ſed in quo ſtatu, quo te deduxerunt peccata tua?* Pauper captive, dum Deus Adæ loquitur, qui in eodem carcere jacuit, in quo tu modò es, dic, obſecro: *Ubi es? non in quo loco es, quæro, ſed in quo ſtatu.* Ubi imago Creatoris? ubi templum Spiritûs ſancti? ubi fraternitas Jeſu Chriſti? ubi Mariæ protectio? ubi innocentia? ubi veſtis nuptialis? ubi converſatio in cœlis? ubi dulcedo orationis? ubi Divinæ conſolationes, etiam in tribulationibus? ubi dulces lacrymæ & amoroſa ſuſpiria? ubi divitiæ virtutum & meritorum? ubi magnum capitale bonorum operum? *Adam ubi es?* D. Baſilius miſertus tui etiam te alloquitur: *Ubi es? ad qualem locum ex tanta altitudine deveniſti?* Et ego te verbis Chriſti Matth. 26. compello: *Amice ad quid veniſti?* Ad qualem locum ex tanta altitudine deveniſti? quando eras in ſtatu gratiæ, quid non eras? quid non habebas? nihil tibi deerat, omnibus abundabas, modò ad extrema redactus, factus es mancipium diaboli. Eras ſocius Angelorum, modò ludubrium dæmonum. Eras civis cœli, & modò tamquam rebellis, miſſus es in carcerem. Erat nomen tuum ſcriptum in libro vitæ, & modò video deletum: Sic ut eamdem tibi ſcribere poſſem Epiſtolam à D. Ambroſio ſcriptam Virgini lapſæ lib. 1. cap. 2. *Unde incipiam? quid primum, quid ultimum dicam? bona commemorem, quæ perdidiſti, an mala defleam, quæ inveniſti? eras Virgo in paradiſo Dei, utique inter flores Eccleſiæ, eras Sponſa Chriſti, eras templum Dei, eras habitaculum Spiritûs ſancti: & cum dico toties eras, neceſſe eſt ut toties ingemiſcas, quia non es, quod fuiſti. Incedebas in Eccleſia tanquam columba illa, de qua ſcriptum eſt* Pſalm. 67. *Pennæ columbæ deargentatæ, ſplendebas ut argentum, fulgebas ut aurum, quando cum ſincera conſcientia procedebas; Eras tanquam ſtella in manu* Dei, *nullum ventum, nullius belli nebulas pertimeſcebas. Quæ eſt iſta ſubitanea converſio? Quæ eſt iſta repentina mutatio? de* Dei *virgine, facta es corruptio ſatanæ, de habitaculo Spiritûs ſancti, tugurium diaboli: Quæ incedebas ut columba, nunc lates in tenebris ſicut ſtellio: Quæ fulgebas ut aurum propter virginitatis honorem, nunc vilior facta es luto platearum, ut etiam indignorum pedibus conculceris. Quæ fueras ſtella radians in manu* Domini, *velut de alto ruens* Cœlo, *lumen tuum extinctum eſt, & converſa es in carbonem.* Vide miſer captive an vel verbum ſit, quod non verificetur de te: unde cum D. Bernard. dico tibi: *Pudeat te tantæ dejectionis, ne ignores pulchritudinem tuam, ac de fœditate amplius confundaris.* Et ſi his omnibus non movearis, nec ſervitus, nec ignominioſa captivatio, nec tenebricoſus carcer te pungant, ſaltem hoc tangat cor tuum, quod nullus, quantumcumque potens, ex illo carcere niſi per Deum liberetur. Audi magnum Patrem Auguſt. Tract. 14. in Ioann. *O miſerabilis ſervitus! plerumque homines cum Dominos malos patiuntur, venales ſe petunt, non quærentes Dominum non habere, ſed ſaltem mutare.*

Marginal notes: D. Baſilius. — Matth. 26. 50. — S. Ambroſius. — S. Auguſtin.

Peccator à ſervitute non liber-tur niſi per Deum.

tare. ſervus peccati quid faciat? quem interpellet? apud quem venalem ſe petat? ſervus hominis aliquando ſui Domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requieſcit: ſervus peccati quo fugit? quantumcumque ſtricto carceri quis mancipetur, vel poteſt illum effringere, vel ex eo per alios liberari. Sed illum carcerem, nec effringere potes, nec ab ullo mortalium ex illo liberari, niſi à ſolo Deo, qui habet claves carceris, & portam ejus Solus aperit. Veritatem ex ipſo ore æternæ veritatis accipe.

11. Apoc. 1. Loquitur Chriſtus dilecto ſuo Joanni: *Habeo claves mortis & inferni.* Si claves mortis habeat & inferni, cur non dicit etiam claves cœli ſe habere, aliis multò nobiliores? Matth. 16. Illas Petro tradidit: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* In clavibus iſtis conſiſtit Poteſtas remittendi peccata, quibus peccator ſibi cœlum claudit; Poteſtas illa eſt in Chriſto, in quantum Deus eſt, per authoritatem: in quantum homo, per excellentiam. In Petro autem & in ſucceſſoribus ejus & Sacerdotibus, ratione miniſterii. Jam quæro, cur Petro det claves cœli, inferni autem ſibi reſervet? vel de quo inferno, & de qua morte loquatur Chriſtus? ad omnia reſpondet D. Thom. Doctor Angelicus in Addit. q. 17. a. 1. ad 3. *Claves inferni, quibus aperitur & clauditur, eſt poteſtas gratiam conferendi, per quam homini aperitur infernus, ut de peccato educatur, quod eſt inferni porta: & clauditur ne ultra homo in peccatum labatur, gratiâ ſuſtentatus. Poteſtas autem gratiam conferendi, ſolius Dei eſt, & ideò claves inferni ſibi ſoli retinuit.* Poteſtas remittendi peccata & conferendi gratiam miniſterialiter data eſt Petro & Sacerdotibus, quâ poſſunt cœlum aperire: & *ideò* concludit Doctor Angelicus: *magis poteſt homini dari clavis regni, quàm inferni,* quam Deus ſibi reſervat. Potuiſti captive in carcerem diaboli te conjicere, & portas ejus ipſe claudere: aperire autem ſolius eſt Dei, qui infinitâ ſuâ miſericordiâ & bonitate claves hujus carceris dare debet. Hanc veritatem expreſſam habes in captivo Petro Apoſtolo, qui tuam in omnibus adumbrat captivitatem.

Apoc. 1. 18. Matth. 16. 19. D. Thom.

Solus Chriſtus habet claves carceris infernalis.

12. Actor. 12. Cap. *Cum producturus eum eſſet Herodes, erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus. Et ecce Angelus Domini aſtitit illi, & lumen refulſit in habitaculo, percuſſoque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter, & ceciderunt catenæ de manibus ejus.* Sanctus Laurentius Juſtinianus de Caſto connubio Verbi & animæ cap. 16. Gloſſator egregius ſuper hunc locum ait: *Non ipſe*, ſcilicet Petrus, *catenas abſtulit, nec aliquis alius, ſed angelicâ hoc factum eſſe virtute, certiſſimum eſt.* Et addit: *nullus niſi per gratiam ſolvitur.* Fac quidquid potes, captive, implora opem omnium, nemo liberare te poteſt, aut carceris oſtium effringere, niſi ſolus Ieſus. Ad carceris apertionem gratia ejus requiritur: *Ego Dominus Deus veſter qui confregi catenas cervicum veſtrarum, ut incederetis erecti.* Levit. 26. & interim non dignaris ab eo clavem petere, vel ſupplicare ut hunc carcerem tibi aperiat. Quando diaboli ſatellites

Actor. 12. 6. S. Laurent. Juſtinian. Levit. 26. 13.

tellites te captivabant, tradebas te in manus eorum, & ſinebas te ligari, modò ut de carcere educaris, nequidem aperires os tuum. Certè non minus oſtendis te cæcutire, quàm quondam Samſon.

Judic. 15. 12.

13. Judicum 15. cap. Philiſtæi offenſi ob damnum per vulpes ſegeti ipſorum illatum, mittunt tria millia virorum, ut capiant eum, mittantque in carcerem. Illi interrogati, in quem finem veniſſent, dicunt apertè: *Ligare te venimus, & tradere in manus Philiſtinorum.* Quid hîc exſpectatis NN.? Numquid inſurget in illos? Numquid delebit illos? Non ſanè; è contrà, extendit manus ſuas, ligari ſe ſinit, & captivum duci. Hoc fortè mirabimini, ſed non caret myſterio; licet ligari ſe permiſerit, manus tamen eorum non ſemel evaſit, & vincula diſrupit: imò in mandibula aſini poſteà delevit eos. Sed, Captive, audi quid de te & concaptivis tuis dicat Seraphicus Bonaventura: *O mirabilis cæcitas! permittimus, imò procuramus nos ligari funiculis peccatorum, & per conſequens jugo pœnæ, & nolumus ſolvere vincula colli noſtri, donec facti ſimus impoſſibiles ad ſolvendum.* Nunquid tu unus ex illis es? O cæcitas inaudita! captivam habere animam, diſſolvi poſſe à vinculis, liberari poſſe ex carcere, & non dignari vel verbum loqui pro liberatione ſua! Non capio. Quis (etiam ob rem grandem) conjicere ſe vellet in manus Turcarum aut Barbarorum, ſciens quales ſint hoſtes nominis Chriſtiani? Plus dico, quis, ut de manibus illorum eriperetur, non daret libenter omnia, quæ poſſidet? & cœcus adeò es, adeò mente captus, ut gemiſcens ſub jugo tanti tyranni, & tam duro incluſus carceri, liberari ex illo nolis? O hominem ipſis beſtiis magis inſenſatum! Fugit ovis lupum, cæteraque animalia leonem ob crudelitatem eorum, & prædam te facis non lupi aut leonis, qui ſolâ corporis vitâ privare te poſſunt, ſed diaboli infernalis, qui corporis & animæ ſtragem infert, nolens de ſervitute & carcere ejus liberari, etiam dum potes. Qui captivi tenentur in carcere materiali, magis ſunt pro corpore ſolliciti, quàm tu pro miſera anima tua: & necdum pudore ſuffunderis?

Peccator voluntariè ligari ſe ſinit.

S. Bonavent.

14. Geneſ. 39. Ob nefarium Putiphariſ uxoris ſcelus, innocens Joſeph in carcerem conjicitur. *Tradiditque Joſeph in carcerem, ubi vincti Regis cuſtodiebantur, & erat ibi clauſus:* addit textus Sacer: *Fuit autem Dominus cum Joſeph:* nihilominus movet cœlum & terram, ut de carcere liberetur, concaptivis enim Pincernæ & Piſtori, habentibus ſomnium, & enarrantibus, poſtquam prædixerat quæ eis eventura eſſent, rogat obnixè Pincernam: *Memento mei, cum bene tibi fuerit, & facias mecum miſericordiam, ut ſuggeras Pharaoni, ut educat me de iſto carcere:* Et tu, Captive, non loqueris verbum pro tua liberatione, à qua tota pendet anima? Qui intelligunt quid ſit captivam habere animam, rem aliter apprehendunt, & magis pro ſua liberatione ſolliciti ſunt, quàm tu. Unum tibi adduco, quem noſti ex nomine: eſt David Rex.

Gen. 39. 20.

corporaliter captivi magis ſolliciti pro ſua liberatione.

15. Sciens hic ſeſe à ſolo Deo de carcere ſuo educi poſſe, ingemiſ-

Pſalm. 87. 10. cens clamat. Pſalm. 87. *Traditus ſum, & non egrediebar, oculi mei languerunt præ inopia*, Et rurſus Pſalm. 141. *Educ de cuſtodia Deus animam meam, ad confitendum nomini tuo, me exſpectant juſti*: Ut juſtis annumerer, & laudem te. Et cum ſciret non ſolùm liberationem à Deo dependere, verùm etiam ipſam voluntatem, quâ quis velit liberari, Deum inclamat ferventius Pſalm. 129. *De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam*: O me miſerum! in quàm profundum carcerem cecidi per peccatum, quod commiſi! ad te Deus, qui claves habes, ſuſpiro, ad te clamo, ut liberes me, & non ceſſabo clamare, donec extraxeris me. Duo hìc conſiderat Magnus Pater Auguſtinus, locum ſcilicet & perſonam clamantem. Quale hoc profundum? Carcer diaboli ſeu peccatum, quod eſt infernus infernorum. *Videte fratres*, clamat Auguſtinus: *Quale ſit profundum, ubi contemnitur Deus.* Quis clamat de profundo? Propheta, peccator, qui ſe in profundo carcere eſſe cognoſcit. Putatisnè Davidem motu proprio clamare, ut ex illo carcere liberetur? nihil minus inquit Auguſtinus: Sed *Dominus Jeſus Chriſtus, qui nec profunda noſtra contempſit, qui uſque ad iſtam vitam venire dignatus eſt, promittens remiſſionem omnium peccatorum, jam de profundo excitavit hominem, ut clamaret de profundo ſub molibus peccatorum, & perveniret vox peccatoris ad Deum.* Iterum Auguſtin. in Pſalm. 129. *Homo eſt idoneus ad caſum ſuum, non eſt idoneus ad reſurrectionem ſuam, ſemper in profundo eſt, niſi liberetur.* Ita etiam Iob. 18. 8. *Immiſit in rete pedes ſuos, tenebitur planta illius laqueo*, uſquedùm ſolvat Altiſſimus: niſi ergò Deus captivum gratiâ ſuâ prævenienté moveat, ut clamet de profundo, niſi ipſe carcerem aperiat, eumque de illo educat, non eſt qui eripiat. Cur ergò non clamas ad Deum toties ab illo præventus, cum ſcias Divinitatis ejus aures apertas eſſe, ut te exaudiat? dic ergo cum Davide: *De profundis clamavi*, & ut efficaciter dicas, rogat te Propheta Iſaias cap. 52. *Solve vincula colli tui captiva filia Sion.* Jeremias Propheta jungit preces ſuas cap. 30. *Contere jugum ejus de collo tuo & vincula ejus diſrumpe.* S. Thomas à Villa nova miſeratione tui ductus Dom. 1. Quad. Conc. 2. etiam te alloquitur: *Abjice jugum, rumpe catenam, projice onus, declina ſervitutem, egredere à peccatis, elongare à miſeria, clama poſt Jeſum, non ceſſes à clamore, donec audias: Magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis, tu ergò leva oculos tuos: ecce Salvator venit ſolvere te à vinculo.* Fac pro captiva anima tua, quod Jacob fecit pro captivo filio ſuo Simeone.

Pſalmus 141.

David pro ſua liberatione à peccato ſollicitus.

Pſalm. 129. 1.

Auguſtin hic.

Idem. Ibid. *Nemo poteſt etiam velle liberari niſi per Deum.*

Job. 18. 8.

Iſaiæ 52. 2.

Jerem. 30. 8.

S. Thom. à Villa-Nova.

16. Geneſis 43. Fame præmebatur domus ejus: ad ſuſtentandam familiam miſerat in Ægyptum filios, frumentum empturos: Pro-Rex tamquam proditores excipit, Simeonem pro omnibus in carcerê conjicit, reliquos autem ad patrem reduces mittit abſque fratre. Dicite mihi Auditores, quot lacrymas non fuderit ſenex pater? quid pro liberando filio non egerit ut eũ vinculis eripiat? Pro-regi munera obtulit: *Sumite*, inquit, *de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera, modicum reſinæ & mellis, & ſtoracis, ſtactes & tere-* Gen. 43. 11.

Quomodo obtinenda clavis inferni. *terebinthi & amygdalarum.* Vis & tu liberam captivam animam tuam? *Defer viro*, ſcilicet Deo *munera* hoc ſancto Adventuali tempore; non *modicum*, ſed multum *reſinæ & mellis* emendatæ vitæ: & *ſtoracis* fervidæ orationis: *ſtactes & terebinthi* jejunii corporalis, & pravæ conſcientiæ mortificationis, ſic liberabitur captiva anima, ut benedicat & laudet Deum in ſecula Amen.

FERIA II. DOMINICÆ I. ADVENTUS.

De Captivitate Petri.

Petrus autem ſervabatur in Carcere. Act. 12.

1. QUod heri dixi, iterum dico cum *Iſaia* Propheta; Si quis peccet mortaliter: *Anima eorum in captivitatem ibit.* Et eo ipſo fit mancipiũ diaboli, à quo captivus tenetur ad ipſius voluntatem, quæ eſt ſtatim perdere, & præcipitare. Audi de hoc crudeli Domino loquentem S. Joannem Chryſoſt. in Pſalm. 125. *Qui peccati captivus factus eſt, habet ſævum & barbarum Dominum, qui cogit eum facere res turpiſſimas: non enim parcere & miſereri novit hæc vitii Tyrannis.* Si ſervus eò vilior eſt & deſpicabilior, quo viliori Domino ſervit, & in abjectioris Heri tranſivit poteſtatem: quanta ergò vilitas tua, Captivè, qui iſti viliſſimo Domino te ſubmittis? Et necdum ſentis hanc miſeram ſervitutem? Certè miſeret me tui. Tamen initia tantùm dolorum ſunt hæc. Graviora te manent dum incidis in manus ejus. De his tamen ne vel verbum niſi prius dixero. Ave.

Peccator fit captivus diaboli.

S. Chryſoſt.

Mancipium vileſcit à Domino.

2. Videbamus herì Petrum captivum duci ad carcerem Herodis: quanta ibi ſit paſſus, docebunt nos dies aliquot ſubſequentes. Tentet interim Herodes quidquid eructat bilis, & crudelitas ejus ſuggerit, ego cum Tertulliano pro Petro non angor: quia *Licet corpus carceri includatur, animus eſt in cœlo.* Captive diaboli, videns heri injurioſam captivitatem tuam, miſerebar tui, dum à miniſtris divinæ juſtitiæ in conſpectu ſanctiſſimæ Trinitatis tam ignominioſè ac probroſè ducebaris ad carcerem diaboli. Compaſſio impulit me, ut inquirerem de ſtatu tuo: Credo & vos Auditores, non parùm cupidos, ut ſciatis quàm miſerè ſuo in carcere captivus noſter jaceat; Dicam: quando reus, ſignanter læſæ Majeſtatis captivatur, illicò exarmatur, & omnia bona addicuntur fiſco. Idipſum agit diabolus cum ſuo captivo. Primò exarmat: Secundò omnia, quæ poſſidet, ſubjicit fiſco. Hæc erunt duo puncta præſentis Concionis, Attendite.

Tertullian.

Captivi exarmantur, & bonis privantur.

3. Primùm ergò, quod diabolus facit captivo ſuo, eſt, quod *Univerſa ejus arma auferat.* Si petas, qualia? dico cum Apoſt. Paulo Rom. 13. *arma lucis*, quibus in Baptiſmo erat indutus, ut illis adversùs Principes tene- *Lucæ 11.22.* *Rom. 13. 12.*

Quænam ſint arma Chriſtiani. tenebrarum decertaret. Mi homo, ne te inermem putes, meliùs tibi Deus de armis providit, quàm putes. Legas Epiſtolam Pauli ad Epheſ. 6. ibi habes eorum inventarium; Dedit in capite: *Galeam ſalutis* ad repellendos ictus ſuperbiæ; ſupra pectus: *Loricam Juſtitiæ* ad reſiſtendum ſicæ impuritatum; ad latus: *Gladium ſpiritûs*, contra improviſos aſſultus. In brachio *Scutum fidei*, ut poſſis ſtare adversùs inſidias diaboli. Verbo dictum, melius te armavit, quàm Angelum Machabæis in adjutorium datum. Epheſ. 6. 17.

2. Mach. 11. 8 4. 2. Machab. 11. cap. Judas, & qui cum eo erant, cum fletu & lacrymis rogabant Dominum, ut bonum Angelum mitteret ad ſalutem Iſraël, & ecce: *Apparuit præcedens eos eques in veſte candida, armis aureis, haſtam vibrans.* Armavit te Deus veſte candidâ innocentiæ baptiſmalis, armiſque aureis infuſarum virtutum, & auro charitatis inauratarum: dedit in manu haſtam bonorum operum, ut fuges hoſtem: *In ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.* Sed, ſi ob mortale captivus fias diaboli, illicò: *Vniverſa arma aufert*; pejus tecum agens, quàm Philiſthiim cum Iſraëlitis 1. Reg. 13. cap. ſpoliabant illi Hebræos gladiis & lanceis: & quare? ô cautelam! *Cumque veniſſet dies prælii, non eſt inventus enſis, & lancea in manu totius populi, excepto Saul & Jonathâ filio ejus.* Quod plus eſt, *Faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Iſraël: caverant enim Philiſthiim, ne fortè Hebræi facerent gladium aut lanceam.* Quid boni ſit exſpectandum à populo eò redacto, hoc veſtro lin-

Habac. 3. 11. *Diabolus inſtar Philiſthiim. ſuos captivos ſtatim exarmat.* 1. Reg. 13 22. Ibid. v. 19. Verſ. 19.

quo judicio. Gloſſa ad rem noſtram dat ſenſum moralem: *Per Philiſthæos* inquit *intelliguntur dæmones*, qui dum aliquem captivum habent, laborant ut non ſit *Faber Ferrarius*, id eſt Contritio, quæ ſupra incudem conſcientiæ fabricet gladium doloris aut lanceam. Quæret forte aliquis in quem finem? Reſpondeo cum Lyrano: *Ad eum reddendum inermem*, juxta illud Eccl. 9. v. 18. *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet.* Quàm multa? dicat pro me Jeremias Propheta, ſed flens dicat. Gloſſa. *Contritionem ab eis aufert.* Lyranus. Eccl 9. 18.

5. Thren. 1. *Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus.* dum peccas mortaliter manum ſuam mittit ad omnia jejunia, pœnitentias, eleëmoſynas, confeſſiones, communiones à te factas, ad omnia opera bona, ad quaſcumque antè actas virtutes; omnia, omnia addicit Fiſco. *Parvuli ejus ducti ſunt in captivitatem.* Thren. 1. 5. Tunc inquit Pſaltes Regius Pſ. 77. *Tradit Deus, in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* Quia, *Cum quis peccato capitur, omnis meritorum pulchritudo diſſipatur*, inquit Gloſſa. Miſer captive, ſi adhuc tibi intellectus eſt: vide, an ab orbe condito, viſa ſit bonorum temporalium jactura grandior illâ, quam tu pateris, factus diaboli captivus: omnia merita 10, 20, 30, 40, annorum uſque ad punctum, quo peccas mortaliter, aufert à te Satan, octoginta licet annis pro fide paſſus eſſes, in carnem tuam atrociſſimè ſæviiſſes, jejuniis te attenuâſſes, ciliciis domâſſes, flagris conſcidiſſes, & catenis ferreis dilaniâſſes, nec niſi humi cubâſſes totâ vitâ tuâ, imò

Thren. 1. 10. *Diabolus omnia captivi ſui bona addicit Fiſco.* Thren. 1. 5. Pſal 77, 61. Gloſſa. *Iactura temporalium minor ſpirituali.*

imò totam ſubſtantiam in pauperes erogâſſes, & tot feciſſes opera heroica, quot Apoſtoli, tot animas, quot illi, convertiſſes, tot fudiſſes lacrymas quot Petrus, aut Magdalena pœnitens; irrita & infructuoſa fiunt omnia: omnis horum meritorum theſaurus, omnis virtus ac tota ſanctitatis excellentia, omnia iſta auferuntur à te, ſic ut illud, quod de templo Jeroſolymorum dictum eſt 1. Mach. 2. ad litteram dici queat de te: *Vaſa gloriæ ejus captiva abducta ſunt*. O jacturam! ô infelicitatem! ô miſeriam cruentis lachrymis deplorandã!

1. Mach. 2.

6. D. Cyprian. lib. de lapſis de hac ſtrage tua loquitur: *Hoc ſunt peccata lapſis, quod grando frugibus*. Sicut grando arbores privat fructibus jam maturis, ſic peccatum mortale animam ſpoliat omnibus meritis, boniſque operibus, ita ut miſera cum Jeremia dicere poſſit: *Vindemiavit me*. Sic docent omnes Theologi: & Spiritus ſanctus Ezech. 18. id ipſum ſtabilivit: *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*. Quidquid, mediante gratiâ operante & cooperante plantâſti; quidquid germinare fecit gratia habitualis, fertiliſſima radix omnium aliorũ habituum & actuum ſalutarium, quidquid fructificâſti irrigatus pluviâ Sacramentorum, & Chriſti Jeſu intinctus ſanguine, totum grandine attritum, totum eſt perditum. Miſer captive, ſi non tam multa operatus eſſes ante captivitatem tuam, ſi non tam multa paſſus, non ita compaterer tibi, non ita te deflerẽ: ſed tanta operari, tanta pati, tantam meritorum meſſem, tam pulchram vindemiam habere, & hæc omnia peccati grandine dejecta videre, & perdita, hoc triſte, hoc calamitoſiſſimum eſt. *Vindemiavit me, non recordabuntur*: & hinc diabolo Jubilus, hinc ejus triumphus.

D. Cyprianus.

Peccata lapſis quod grando frugibus.

Thren. 1. 12.

Ezech. 18. 24

7. Triumphalem Chriſti in cœlum aſcenſum deſcribens Apoſtolus Epheſiis cap. 4. ait: *Aſcendens Chriſtus in altum, captivam duxit captivitatem.* Ut ſolent victores, captivos poſt ſe ducebat mundum, carnem, diabolum, mortem &c. Ad hunc triumphum fremebat infernus videns poſt triumphalem Chriſti currum inermes, & ligatos trahi duces ſuos primarios; Sed quantusècontrà jam illi jubilus eſt, dum ad currum ſuum, triumphabundus de anima tua miſerrima, in captivitatẽ abducit omnes virtutes tuas, & bona exercitia, quæ quondam tibi tanto ornamento, modò autem ludibrio ſunt, ita ut potiori jure dicere poſſint quàm Zenobia ab Aureliano cum filiabus in triumphum ducta. *Fuimus decori, nunc ludibrio.* Quantus triumphus diabolo, curru ſuo triumphali calcare cilicia, quæ macerabant corpus, pro habenis habere catenulas, pro rotis amiſſam felicem æternitatem, diſciplinas in lorum: & tamen, ita de te triumphat diabolus, miſer captive, dum te exarmat, & ne vel ſemel attendis ad damnum, quod pateris. Hoc dolendum. Sed quid hactenus dixi? ſint peccata lapſis, quod grando frugibus; ſpoliet grando arbores fructibus, majus damnum in anima cauſat peccatum, non ſolùm eam ſpolians ſalutaribus fructibus, ſed ipſam in terram dejiciens, ad ipſas uſque radices *Omnia eradicans genimina.*

Epheſ. 4. 8.

De meritorum facta præda diabolus triumphat.

Peccatum reddit animam infructuoſam.

Job 31. 12.

vellens de corde habitus infuſos
virtutum, ſic ut durante captivitate
non poſſit producere vel minimum
fructum, vitæ æternæ meritorium.
Oſeæ 9.16. *Radix eorum exſiccata eſt*: Quid in-
de ſequitur? *fructum nequaquam fa-
cient*: Hanc vaſtitatem Spiritus
Omnia bo- ſanctus innuit, cum Pſal. 79. infau-
na opera ſtam peccatoris animam, vineæ
mortificantur. aprorum dentibus devaſtatæ com-
Pſal. 79. 14. parat: *Exterminavit aper de Syl-
va, & ſingularis ferus depaſtus eſt
eam*: & rurſus quandò illam domui
à nocturnis graſſatoribus expilatæ
Jeremiæ 49.9 aſſimilat, ut fecit Jeremiæ 49. v.9.
ac tertiò, dum illam civitati militari
hoſtium furore depopulatæ dicit
Job 15. ℣.28. parem: uti Job deſcribit cap. ſuo 15.
D. Cyprianus adhuc plus vult, &
ego cum illo: non, ſoli grandini de-
ſtruenti fructus omnes anteceden-
tes, & natos, æquiparanda non eſt,
nec ſtragi, quæ tantùm viduum red-
dit autumnum, ſed & tali ruinæ,
quâ fructus naſcituri prohibeantur,
& iniens ver cogatur abortum pa-
ti. Loquor obſcurè, ſed me ſtatim
intelliges: loquatur iterum lugens
Propheta.

Thren. 1.10. 8. Threnorum 1. *Manum ſuam
miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia e-
jus.* Ad omnia deſiderabilia? hoc
mirum. Docent ſcholæ: *quod obje-
ctum deſiderii ſit bonum abſens, non
habitum, futurum aut poſſibile, non
præſens*; requiritur ut bonum deſi-
derari poſſit, illud de facto non poſ-
ſideri. Quomodò ergò diabolus ex-
tendit manum ſuam prædatricem
ad deſiderabilia? non capis? privat
animam iis, quæ poſſidet, & poſſi-
dere poſſet, dico myſteria, ſed ſta-
tim capies.

9. 1. Reg. 4. Morte extinctis fi- 1 Reg 4.19.
liis Heli, deleto Iſraëlis exercitu,
intellectoque triſti nuntio de arca
capta, nurus Sacerdotis & uxor
Phinees, Correpta dolore partûs:
incurvavit ſe & peperit, & ſubjun- Ibid. ℣.21.
git textus, *vocavit puerum Icha-* *Quare Ichabod inglorius.*
bod: Hebraicè *ſine gloria*. Quo-
modò tali titulo ſtigmatizat ra-
mum arboris tam honoratæ? quia
natus eſt puer poſt captam Domini
arcam, & populi extinctionem. Sic
illum nominavit mater, & nomi-
nando, dicit Gloſſa: *Sobolem novam* Gloſſa.
non deputat gloriæ, ſed ignominiæ.
Adhuc ſunt myſteria, & forſan nec
dum capis, quò velim.

10. Exod. 21. Dat Deus populo
ſuo præcepta Judicialia quoad emp-
titios ſervos & ancillas: Hæc ſunt
judicia, inquit Moyſi, quæ pro-
pones eis: *Si emeris ſervum Hebræ-* Exodi 21. 2.
um, ſex annis ſerviet tibi: in ſeptimo 3. & 4.
egredietur liber gratis. Hâc tamen
conditione: *Cum quali veſte intra-
verit cum tali exeat: ſi habeat uxo-
rem, & uxor egredietur ſimul. Sin
autem Dominus*, tempore ſervitutis,
*dederit illi uxorem, & pepererit filios
& filias: mulier & liberi ejus, erunt
Domini ſui, ipſe verò exibit cum ve-
ſtitu ſuo.* Scio quod *partus ſequitur*
ventrem, quod filii ſervorum ſint *Partus ſequitur ventrem.*
ſervi, ſed necdum eſt, quod volo,
myſterium, detegam ſtatim.

11. Jeremiæ 22. Vocabat Deus Ierem. 22. 30.
ore proprio Jechoniam Regem, vi-
rum ſterilem, cum tamen ei filii eſ-
ſent octo: *Scribe virum iſtum ſteri-
lem: Hæc dicit Dominus.* Quomodò
ſterilem vocat, ſi nati ſunt ei filii
octo? rationem dat Divus Hiero-
nymus: Quia ex tot filiis: *Nullus reg-* D. Hieron. hic.
nabit

Opera mortuorum mortua, & non reviviſcunt. *nabit* poſt illum in Judæa. Necdum capis quo vergam? ut ergò capias. Dicunt Theologi, quod anima exiſtens in peccato mortali non ſit capax meriti de condigno, quod opera facta in ſtatu illo infelici, ſint opera mortua. Sit ergò illa bonorum operum fœcunda mater, nihilominus, vocabo animam ſterilem, quia nullus filiorum, ſcilicet operum ejus, eſt coronâ dignus, *Nullus regnabit.* Nullus eorum umquam coronabitur coronâ meriti & gloriæ. Opera facta tempore, quo eſt captiva diaboli, & ut loquitur Apoſtolus, *ſerva peccati*, ſunt omnia mancipia, & nullum dignum præmio filiorum Dei. Et quando *per ſubſequentem juſtificationem* anima exit de carcere, filii, id eſt opera iſta facta in gratia ante incarcerationem, virtute pœnitentiæ reviviſcunt, & cum illo exeunt juxta illud Joëlis 2. *Reddam vobis annos quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo & eruca. Sed ſi captivitatis tempore pepererit filios, erunt Domini; ipſe verò exibit.* Ad hæc attende quiſquis es: quando parit anima ablatâ arcâ, id eſt perditâ gratiâ, nihil eorum feret ſecum, ſed totum dicetur *Ichabod*: quia ordinatum, ut ſit *ſine gloria.* Sicque peccatum non ſolùm captivum privat meritis præcedentibus, quæ poſſidet, ſed etiam futuris. *Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus.* Pauper captive, adeonè duro corde es, ut ad hæc verba inſenſibilem te præbeas? Non poſſum ego non compati tibi, & flere ſuper te & ſuper filios tuos. Et, ſi ſicut Adam poſt peccatum, aperires oculos tuos, cognoſceres te nudum, ubi modò

Rom. 6. 17.

Secus mortificata.

Joëlis 2. 25.

Peccator nudus, & neſcit.

dicis: *Dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis quia miſer es & pauper & nudus*: Si tuam videres nuditatem & exſpoliationem, dico tibi cum D. Chryſ. hic: *Exſpoliationis tuæ ſenſum exciperes.* Sed Proh dolor! hæc omnia tam multum curas, ac ſi te non tangerent. Interim ſi nec his movearis, attende ad argumentum, quod contra te format Propheta.

Apoc 3. 17.

D. Chryſ. hic.

12. Abdiæ cap. unico v. 5. Comminatur Deus Idumæis, poſteris Eſau, ob innatum odium, & perpetuam averſionem contra Iſraelitas à Jacob deſcendentes, horrendum ſupplicium, Chaldæorum manibus inferendum: Nempè Chaldæos omnes poſſeſſiones eorum depopulaturos, omneſque facultates ablaturos, adeòque eos per illos ad extremam redigendos paupertatem. Ex parte Dei alloquitur Propheta Idumæam: *Si fures introiſſent ad te, ſi latrones per noctem, quomodò conticuiſſes?* Si fures nocturno tempore domum tuam invaderent, & bona tua ſuffurarentur, quomodò non exclamares, & illos in fugam dares? Quid ſi non audiviſſes eos, ſed manè exſpoliatam domum videres? quæ lamenta, quos gemitus non ederes? quam diligentiam non adhiberes ad recuperanda ablata? & tamen, inquit Deus: *Nonne furati eſſent ſufficientia ſibi?* non tam rapaces forent, ut non aliqua ſaltem pretioſa intacta relinquerent: fur enim non omnia auferre ſolet. Aliter tecum agent Chaldæi, non relinquent vel minimum, auferent omnia, & tu Idumæa, dum prædico tibi e ventura pejora, taces, nec aperires os tuum,

Bonorum temporalium amiſſione non movetur Idumæa.

Abdiæ cap. unico ỳ. 4.

Verſ. 5.

tuum, ut averteres à te mala hæc. Quid minatur Deus Idumææ? totalem everſionem & amiſſionem merè temporalem; & meritò indignatur, quod de remedio adhibendo ſibi non conſulat. Pauper Captive ad te hic ſermo Dei eſt: gravius tibi malum diabolus infert, deprædatur omnia, pleno furto omnia ſubtrahit, omnia bona opera evertit, omnibus congeſtis meritis te exſpoliat, & obmuteſcis: imò nullum afflictionis indicium de tanta jactura exprimis. Rei modicæ, fluxæ & temporalis furto conturbaris, omnemque diligentiam pro illa (etiam per Judicem) recuperanda impendis: & hîc, ubi de inæſtimabili valore agitur, nihil dicis, nec vel ſemel moveris. Sunt-ne in te viſcera miſericordiæ erga animam tuam? Scis minimum opus bonum, quod in gratia conſtitutus præſtitiſti, omni theſauro totius univerſi eſſe pretioſius; & hæc omnia in ipſa carceratione tua diabolum deprædari, & taces? diligentiam nullam adhibes ut recuperes? imò lætus ac jucundus vivis, ac ſi tibi præſtitum foret beneficium grande? ſic tractas animam tuam, dum ipſe Salvator videns miſerum ſtatum tuum, pro ea lacrymas fundit? Non Capio.

Peccator verò nec ſpiritualium.

13. Lucæ 19. cap. Intraturus Jeſus Jeroſolymam, ut appropinquavit, videns civitatem, flevit ſuper illam dicens: *Si cognoviſſes & tu, &c. venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undique, & ad terram proſternent te, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Putatis, Chari Auditores mei, Chriſtum hîc flere ſuper muros & lapides Jeruſalem? Quaſi verò, inquit Origenes in Catena: *Fletur autem & noſtra Jeruſalem: quando poſt peccatum circumdant eam inimici.* Tua, tua fletur Jeruſalem. Captive vis à me ſcire quando, & quomodò hoc contingat? dico tibi cum Origine, *ſi poſt multam continentiam victus quis fuerit, lapidem ſuper lapidem non relinquent in eo, ſecundùm illud: Non recordabor primarum juſtitiarum ejus:* Non manet lapis ſuper lapidem, non manet gratia ſuper gratiam, nullum bonum deſiderium ſuper aliud, nullum bonum propoſitum, nulla virtus, nullum opus bonum ſuper aliud. *Lapidem ſuper lapidem non relinquent in eo. Primarum juſtitiarum ejus non recordabor.* Omnia opera tua bona, omnia merita tua auferentur à te, & in uno peccato mortificabuntur, atque omnia præcedentia merita addicentur fiſco. Ideò flet Chriſtus, pauper Captive: *Et, ſi cognoviſſes & tu,* non ſolùm fleres, ſed funderes lacrymas ſanguineas, videns magnam jacturam gratiæ ſanctificantis, virtutum infuſarum, habituum ſupernaturalium, donorum Spiritûs ſancti, cæterorumque (fide & ſpe exceptis) quæ quidem in te manent ſed mortuæ, & ſine merito.

Luc. 19. 42.

Chriſti fletus quid ſignet.

Origenes in Cat.

Merita univerſa amittit peccator.

14. 1. Regum 30. Intrans David cum ſuis civitatem Siceleg, ab Amalecitis devaſtatam, & in cineres datam: & videns uxores ſuas & filios & filias earum in captivitatem ductas: *Planxerunt*, inquit S. Textus, *donec deficerent in eis lacrymæ.* Threnor. 2. poſtquam in captivitatem redactus eſt Iſraël, ſedit Jeremias

1. Reg. 30 v. 4.

Plus curatur amiſſio terræ quam Paradiſi.

Threnor. 2.

mias Propbeta flens, & planxit lamentatione magnâ, & amaro animo ſuſpirans, & ejulans deplorat per quatuor capita miſerum ſtatum unius tantùm civitatis; & tu, Captive, qui tantum pateris damnú, & amittis non unam civitatem terreſtrem ſed cœleſtē, non unam Provinciam, ſed Dei gratiam, & ipſammet animam tuam, quæ pluris valet, quàm totum univerſum, poſt tantam depopulationem rides, & gaudes? proh, pudor! qui in carcere civili bonis tantùm privantur temporalibus, non reperiunt lachrymas ſufficientes, quibus miſerum ſtatum defleant, & tu in tuo carcere exultas & lætaris. Non nominabo tibi unum aut alterum ſimilem, ſed millenos dabo, ut majori rubore ſuffundaris.

Iſraëlitæ flent ſuper amiſſione bonorum. 15. Fuitne aliquando ſub cœlo natio felicior Iſraeliticâ? cuncta eos elementa venerabantur. Mare, ut appropinquant, fluctus dividit, dat ſiccum per fundum tranſitum; ſi tenebris hærent præpediti, ignea lucem præbet columna: ſi radii amburunt ſolis, nubes ſe interponunt, cœlitus mannâ cibantur: fiunt eorum ductores Angeli &c. An inveniri poterant feliciores? ecce ſors vertitur, incidunt in carcerem: ſedent hinc inde ſuper ripas fluminum, manicis & pedicis conſtricti: Audi ingemiſcentes & ejulantes Pſal. 135.
Pſal. 136. 1. *Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus dum recordaremur tui Sion*: Sedebant ſuper flumina Babylonis (fortè in carceribus ibi exiſtentibus) & flebant: ſed quando flebant? Quando ducti ſunt ad carceres? non. Quando fame & ſiti torquebantur? minime Aſt: *Dum recordaremur tui Sion.* Dum recordaremur affluentiæ bonorum, quibus gaudebamus in Sion, & quibus omnibus nos modò in carceribus noſtris, privatos cernimus, tunc flevimus. Anima captiva, quondam vera filia Sion, quid filii Iſraël reſpectu tui? quando eras in Sion, in ſtatu gratiæ, quanta tibi bona? quantę divitiæ? In una captivitate amiſiſti omnia; & omnia, quæ in tuo carcere feciſti, ad nihil proderunt pro Sion cœleſti. Cogita & recogita quantum amiſeris, & quò redacta ſis, promitto magis tibi cordi erit quàm Iſraëlitis, & potiori jure dices: *Flevimus dum recordaremur tui Sion.* Flebis indubiè tantam jacturam. Plus dico: cogita ſeriò, te in carcere diaboli eſſe, & quidem in Babylone: hoc ipſum te reducet ad Sion. Et ne fortè putes te ſpe vanâ à me lactari. *Recordatio perditæ felicitatis ad pœnitentiā excitat.*

16. Micheæ 4. Conſolans Deus Sion, quod de captivitate Babylonica eſſet redimenda, ait: *Venies uſque ad Babylonem & ibi liberaberis.* Licet permiſeris captivam te duci uſque ad carceres Babylonis, ibique diu ſederis, ne deſperes, conſidera miſerum ſtatum tuum, *& ibi liberaberis.* Sanctus Gregorius hîc moralizans quærit, quis ſit iſte, qui uſque ad Babylonem venit, & ibi liberatus eſt? Et reſpondet: *Qui poſtquam confuſus mente, perverſè perpetravit*, ſubjiciendo ſe ſervituti diaboli, *hæc ipſa erubeſcens mali, quæ fecit*, & per quæ omnia ſpiritualia bona, omnia merita ſua publico addicta ſunt, *ſe contra ſe eriget, & bene operando, ad ſtatum rectitudinis redibit. Ibi liberaberis.* Ut ergo libereris cogitando ſtatú in quo es: *Micheæ 4. 10. S. Gregor.*

C dico

Ezech. 28. 13. dico tibi quod Ezechielis 28. Deus Lucifero: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus Sapientiâ, perfectus decore; in deliciis Paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis pretioſus operimentum tuum & perfectus in viis tuis, à die perfectionis, donec inventa eſt iniquitas in te.* Quò abiit omnis decor, omnis pulchritudo, omne ornamentum, omnis prærogativa tua? hæc omnia deſtruxit iniquitas tua, peccatum tuum. *Fuiſti & non es. Fuiſti donec inventa eſt iniquitas in te.* Captive, erat anima tua pulchra, nobilis & dives, donec inventa eſt iniquitas in te, quæ tantò te profundius præcipitavit, quantò eras altius ſublimatus. *Juſtitia altior eſt Cœlo,* inquit Ugo à S. Vict. in Eccl. 11. Ugo Vict. *iniquitas profundior inferno eſt, & quantùm deſcendit, qui ad infernum deſcendit; tantùm deſcendit, qui ad iniquitatem deſcendit.* Si ergo in ignominioſo & infelici ſtatu, in quo modò es, non plangas, ſignum eſt, quod aut abſque fide ſis, aut cerebro. Ergò: Oseæ 7. 11. *Columba ſeducta non habens cor* revertere, in memoriam revoca amiſſam felicitatem & gloriam, ut cognoſcas melius infelicitatem præſentem: *Commonetur quid fuerit* (cum D. S. Hieronym. Hieron. loquor in locum ſupra citatum.) *Ut doleat ſe perdidiſſe quod habuit.* Recordare quid fueris, ut doleas te perdidiſſe quod habuiſti. Dum ſinam pauperem Captivum noſtrum ſeriò cogitare miſerum ſtatum ſuum, & rogare Deum, pro ſua liberatione & reparatione omnium bonorum, quæ ante captivitatem amiſerat: Vos, qui adhuc liberi eſtis, alloquor cum Chriſti ſupremo Secretario.

17. 2. Joannis 1. 8. *Videte vos metipſos ne perdatis, quæ operati eſtis: ſed ut mercedem plenam recipiatis.* 2. Joa. 1. v. 8. Attendite ne umquam diaboli captivi ſitis, ne bonorum omnium confiſcationem patiamini; ne umquam conſentiatis peccato, omnium horum malorum cauſæ. Deus remunerat omnia. *Videte ne perdatis quæ operati eſtis, ſed ut mercedem plenam recipiatis.* Id eſt, inquit Lyranus: *in patria ubi totaliter ſatiatur appetitus.* Lyranus. Non terrena merces, ſed cæleſtis plena eſt. Tam juſtus eſt Deus, ut nullum opus, quantumcumque parvum, irremuneratum relinquat: ſi opus bonum feceritis, mortalis peccati nexibus involuti, temporalibus compenſabit præmiis vitæ præſentis: ſed illa non eſt merces plena: quidquid enim hìc recipitur, fluxum eſt, caducum, fumi, ſomnii, umbræ adinſtar fugit. Merces plena beatitudo eſt, in qua Deus ſe ipſum communicat cum omni ſua gloria, divitiis, felicitate, theſauris, immortalitate, omniumque bonorum perennitate: hæc merces plena eſt. *Videte ne perdatis, quæ operati eſtis, ſed ut mercedem plenam recipiatis:* Et ſi verba hæc nondum vos moveant, finio cum Eccleſiaſtico cap. 9. Eccl. 9. 6. *Ne perdas te & hæreditatē tuam.* Ne perdatis animas veſtras, Chriſti redemptas ſanguine, ſatagite ut mercedem plenam recipiatis à Patre & Filio, & Spiritu ſancto. Amen.

FERIA

FERIA III. DOMINICÆ I. ADVENTUS

De Captivitate Petri.

Tradens quatuor quaternionibus militum ad Cuſtodiendum: Act. 12.

1. ERgóne in tetro incluſus carcere, inermis jacet Captivus noſter, & omnia bona ejus addicta ſunt Fiſco? ſic eſt: ſic ſolet agere diabolus cum captivis ſuis, à quibus illicò univerſa arma aufert, & in captivitatem tradit omnes præcedentes virtutes & merita, juxtà illud Eccleſiaſtæ 9. *Qui in uno peccaverit multa bona perdet.* & 1. Machab. 2. *Vniverſa vaſa gloriæ abducta ſunt in captivitatem.* Hæc omnia heri audiſti de te dici, Captive, & necdum attendis ad miſeram ſortem tuam? necdum conſideras non ſolùm tunc mortificari omnia totius vitæ merita bonaque opera, ſed quod omnia, quæ durante captivitate tuâ facturus es ita moriantur, quod non reviviſcent unquam, ſic ut te, quantumcumque bonorum fœcundum operum, dicere debeam, *Virum ſterilem*: eò quod nullum coronabitur coronâ meriti & gloriæ. O te inſenſatum & inſenſibilem! omnes virtutes ſibi ſubtrahi, omnia opera bona everti, omnibus congeſtis meritis exſpoliari, & ad tantam jacturam nullum afflictionis indicium exprimere, imò nec moveri: quis non obſtupeſcat? ſi hìc ſiſteret furibunda rabies tyranni tui, adhuc cruentis lachrymis foret deploranda ſors tua; ſed dum ſcio diabolum pejora machinari, ut in ſuo te carcere detineat, implorabo opem illuminatæ Virginis, ut aperiat oculos tuos, dum te rogo ut mecum illi dicas: *Ave gratiâ plena.*

Eccl. 9. v. 18.

Inſenſibilitas peccatoris oſtenditur.

2. Non ſufficit Herodi Petrum miſiſſe in carcerem, portâ ferreâ præmunitum, ne manus ejus effugiat, tradit quatuor quaternionibus militum ad cuſtodiendum, id eſt, ſedecim militibus, ut in qualibet noctis vigilia, ſingulis tribus horis, quatuor milites ad vigilandum, & cuſtodiendum eum adſtarent; & his primis defeſſis, alii quatuor recentes ſuccederent, ne fugeret: tantam cautelam adhibebat Herodes, inquit Oecumenius, quià ſemel carcere detentus, exierat. Act. 5. Pauper Captive, videbam te heri in carcere inermem, & omnibus bonis exſpoliatum: non conſiderâſti intereà damnum, quod patiebaris in miſero tuo ſtatu? non fuiſti ſolicitus de tua ex carcere liberatione? nondũ in illum finem media impendiſti? Potes tibi conſulere ut vis, non tam facilè evades manus ejus, quàm putas. Tradidit enim te quatuor quaternionibus militum ad cuſtodiendum, ne effringas carcerem, id eſt paſſionibus animi, quibus utitur tamquam præcipuis militibus ſuis, ut diu noctuque invigilent & cuſtodiant

Petrus 4. quaternionibus traditus, figura eſt Peccatoris traditi paſſionibus.

Actor. 5.

ſtodiant te. In hoc collimant hi milites, inquit D. Chryſ. ut pauper patiens? *Non quod vult agat, ſed quod diabolus vult.* Quàm ſævis militibus & cuſtodibus ſit traditus, hodie oſtendo. Præbete benignas aures.

D. Chryſoſt.

Sunt undecim paſſiones.

3. Undecim paſſiones ſunt in homine: *Amor, Odium, Deſiderium, Averſio, Lætitia, Triſtitia, Spes, Deſperatio, Timor, Audacia. Ira.* Ne quis putet has paſſiones ex ſe malas eſſe. Si amor ſit illicitus: quomodò amore accenſam ſe dixit Eccleſia? *Renuntiate ei quià amore langueo.* Cant. 2. 5. Poſſetne dari melius odium illo, de quo Propheta Regius Pſalm. 118. *Iniquos odio habui?* Eſtne qui reprehendat deſideria Iſaiæ Prophetæ dicentis: *Anima mea deſideravit te in nocte?* Iſaiæ 26. 9. Quis improbet averſionem Davidis à peccato: *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum:* Pſal. 118. Dijudicabitne aliquis lætitiam Apoſtolorum, de qua Act. 5. 14. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu conſilii?* Certè triſtitiam extollent omnes, de qua Apoſt. 2. Cor. 7. 10. *Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Nec diſplicere alicui poterit ſpes Prophetæ Job 19. *Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo:* Quis verò damnaverit Davidis deſperationem, quando 1. Reg. 23. non ſibi ſed Deo fiſus, *Deſperabat ſe poſſe evadere à facie Saul?* Si timor malus eſt, quomodò orabat David Pſalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas?* ſi audacia reprehenſibilis, quomodò illam laudavit Apoſtolus 2. Cor. 11. *In quo quis audet, audeo & ego?* quis audebit malè ſentire de ira Phinees contra fornicatores? Moyſi contra Idololatras? Samuëlis contra Regem Achab? aut S. Patris mei Eliæ contra falſos Prophetas? aut Ambroſii contra Theodoſium? aut Gregorii contra Mauritium? aut Chryſoſtomi contra Eudoxiam? aut Baſilii contra Valentem? Hæ paſſiones dum in bonum tendunt, ſalutares ſunt: dum in malum, hoſtes capitales. His utitur diabolus tamquam undecim militibus, qui Captivum noſtrum cuſtodiant.

Cant. 2. 5. — Pſal. 118. 113. — Iſaiæ 26. 9. — Pſal. 118. 163. — Act. 5. 14. — 2. Cor. 7. 10. — Job 19. 27. — 1. Reg. 23. 26. — Pſal. 118. 120.

Paſſiones in ſe nec bonæ nec malæ — 2. Cor. 11. 21.

Sed uſus eas tales facit.

4. Primus ex illis præpotens miles, eſt *Philautia*, amor ſui, primogenitus peccati originalis, peſtis mundi, ſtrages animarum, fons omnis mali, ſcaturigo omnis vitii, ſentina omnis abominationis, cauſa omnium malorum & ſcelerum. Hic audax miles ſuadet ut captivus ſeipſum amet tamquàm finem ſuum ultimum, ut loquitur Auguſtinus, *uſque ad contemptum Dei*, & mandatorum ejus. Miles hic judicium ejus pervertit, offuſcat rationem, intellectum obtenebrat, & ita inficit voluntatem, ut viam ſalutis obſtruat, Paradiſum claudat, & pandat portas inferi. Hic cogit neſcire proximum, peccata accumulare, ſuſcitare rixas, honores quærere &c. Huic ſe jungit *Odium*, ſecundus miles: hic vult captivum tamquam filium tenebrarum odio habere, lucem, virtutes ſpernari, leges Evangelicas ſpernere, Deum execrari ejuſque ſanctum nomen blaſphemare. Tertius, qui *Deſiderium*, ſeu cupiditas dicitur; trahit cor ejus in deſideria prava & carnalia, facitque terrenis deſideriis æſtuare, ut cœleſtia faſtidiat & exhorreſcat; hic captivo

Philautia principium mali.

S. Auguſtinus.

Odium cauſa peccati.

Deſideria corrumpunt homines.

captivo conſulit ſacrilegia comittere, furta & rapinas exercere, & prædas capere, bella gerere, & perpetrare homicidia, ſimoniacè vendere & emere, inſtare dolis, & imminere fraudibus, diſſolvere pactum, & violare juramentum. Miles
S.Greg. Mag. hic, teſte Greg. magno lib. 9. in Reg. Indict. 4. cap. 49 ad Virg. *Tenet captivum cor, & licitum ſuadet*
Averſio pœnitentiā fugit. *eſſe malum, quod imperat.* Quartus, qui eſt *Averſio*, tantum illi horrorem incutit à pœnitentia & mortificationibus, ut illas fugiat ſicut diabolus Crucem. Quarto ſuccedit quin-
Philip. 4. 4. tus, *Lætitia*, ſcilicet inordinata,
Lætitia exultat in peſſimis. non verò illa, de qua ad Philip. 4. *Gaudete in Domino ſemper*, neque
Habac. 3. 18. illa, de qua Propheta Habacuc 3. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo*; ſed iſta,
Prov. 2. 14. de qua ſcriptum eſt Prov. 2. *Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Poſt hunc aggreditur captivum noſtrum *Triſtitia*, quæ
2. Cor. 7. 10. juxta Apoſtolum 2. Cor. 7. *mortem*
Triſtitia mortem operatur. *operatur.* Miles hic pauperem noſtrum patientem in ſua captivitate perturbat, ingerit virtutum & ſalutis nauſeam, & avocat à ſancta illa triſtitia, *quæ ſecundùm Deum pœni-*
Audacia belligerat contra Deū, timet nihil. *tentiam operatur. Audacia* ſeptimus miles animat Captivum, ut ſit intrepidus, nihil timeat, imò arma ſua tendat adversùs Deum, non ſecus ac
Job 15. 27. ille, qui Job 15. *Tetendit adversùs Deum manum ſuam, & contrà omnipotentem roboratus eſt.* Ille adeò imperterritum reddit hominem, ut nec mortem, nec tremendum judicii diem, nec ipſam timeat æternitatem, imò nec ipſum Deum, *Qui poteſt corpus & animam mittere in*
gehennam Matth. 10. Octavus eſt Matth. 10. 28
Timor, qui miſerum totâ torquet die. Nonus miles eſt *Spes*: hic ſperare jubet ea, quæ odio habere oporteret, explodens illud Prophetæ dictum Pſal. 61. *Nolite ſperare in ini-* Pſal 61. 11.
quitate: illi fiduciam addens in pravis concupiſcentiis & oblectamentis; certificans quod Dei gratia non ſit ei neceſſaria, quod omnia inveniet in creaturis, conſequenter nec quidquam curare debeat, quod aſſerit Jerem. cap. 17. *Maledictus homo qui confidit in homine & ponit carnem brachium ſuum.* Utque huic *Spes in homine maledicta.* Jerem. 17. 5.
ſpei plus indat roboris & animi, pauperi patienti inſuſurrat, quod non debeat eſſe ſolicitus pro anima, quod unico, *Peccavi*, omnia facilè delebit peccata, quod Deus miſericors, non ſit denegaturus gratiam finalem. Decimus & omnium peſſimus, eſt *Deſperatio*: hic nequam, *Deſperatio*
contrarius commiſſitoni ſuo, perſuadet miſero præcepta Dei eſſe im- *peſſima.*
poſſibilia, nullam dari remunerationem divinam, ideòque facit diffidere de Dei bonitate, certò credendo malitiam ſuam divinæ bonitatis magnitudinem excedere. Undecimus *Ira* eſt: hic miles excæcat cap- *Ira excæcat.*
tivi oculum rationis, & ita illi aufert ſeipſum, ut deſinat quaſi homo eſſe, & incipiat eſſe beſtia. Hic Miles aſſumit quinque alios milites nequiores ſe, ut armatâ manu & paribus viribus in pauperem captivum ſæviant: hi ſunt *ſuperbia, luxuria, invidia, gula, acedia.* Hi, ſicut ipſe, capitales ſunt, & pauperem captivum ita inſtruunt, ut diſcipulum ſæpe reddant pejorem magiſtro. En quatuor quaterniones Cuſtodes noſtri Captivi.

5. Quid

Captivus diaboli habet plures Dominos ſibi contrarios.

5. Quid videtur, N.N. de miſera & calamitoſa conſtitutione Captivi noſtri? num cenſetis compaſſione dignum? quanta calamitas illius, qui à ſibi dominantibus ad contraria cogitur, & ad ea, quæ ſimul fieri non poſſunt, ſæpiùs ſimul & eodem tempore impellitur? *Cupiditas* jubet ut parta cuſtodiat: *Voluptas* ut in uſum & utilitatẽ ſuam impendat. *Ira* imperat ut ulciſcatur injuriam: *Timor* vetat, ne diſcrimen infamiæ aut mortis incurrat: miſerum autem mancipium tamquam in bivio conſtitutum, neſcit quo pergat, aut cujus Domini mandata perficiat. Poſſetne dari mancipium in mundo tam miſerum? mancipium in Turcia uni tantum ſervit Domino, cujus gratiam fideli ſervitio poteſt lucrari ut vidimus, at hic miſer, inquit D. Ambroſ. tot habet Dominos, quot vitia & paſſiones. *Hic plures Dominos habet: venit Libido & dicit: Meus eſt. Venit Avaritia & dicit: Meus eſt. Venit Luxuria & dicit: Meus eſt. Veniunt ſingula vitia & dicunt: Meus eſt. Quem tanti competunt Domini, quàm vile mancipium eſt? Superbia* audacem reddit: *Puſillanimitas* abjectum, *Lætitia* diſſolutum, *Triſtitia* deſperatum. *Deſideria* cogunt currere, *Timor* compedes injicit: omnes prætendunt in ipſo Dominium. Audite mellifluum Bernar. nomine ejus loquentem Serm. 4. ſuprà miſſus: *Venit Avaritia & vendicat ſibi in me ſedem: Jactantia cupit dominari mihi: Superbia vult mihi eſſe Rex: Luxuria dicit ego regnabo: Ambitio, Detractio, Invidia & Iracundia certant in me ipſo de me-ipſo, cujus ego potiſſimùm eſſe videar.* Sic inter ſe certant 4^or. quaterniones Mancipia ſubinde ſunt extra oculos Dominorum, & licet habeant compedes, ſolummodò ligantur exterius, ſed pauper Captivus noſter, inquit Ambr. *Intra ſe Dominos habet, intra ſe ſervitutem patitur.* Vultis ſcire crudelitatem horum Dominorum, horum ſedecim militum ſævitiam, quam exercent in miſerum Captivum? Audite quid ipſa veritas dicat.

S. Ambroſ. in Pſal. 100.

S. Bernard. Serm 4.

Ligatur interius.

S. Ambroſ.

6. Deut. 28. *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui .... ſervies diis alienis, qui non dabunt tibi requiem neque die neque nocte.* Nota te verba: *Servies*, non uni, ſed diis pluribus, non Dominis, ſed tyrannis. *Diis alienis*, quorum jugum intollerabile eſt. *Qui non dabunt tibi requiem, neque die neque nocte:* Non eſt inter Patres, qui Captivi noſtri miſerum ſtatum vivacius deſcribat, quàm Petrus Cellenſis tract. de panibus: *Imperant ei vitia non Domini ſed tyranni.* Agunt cum illo tamquam tyranni, *Imperant, ſed ſine miſericordia*, ſine ulla compaſſione; *Mandant, ſed ſine diſcretione*, modò hoc, modò illud, in omnibus ſibi contrarii. Nullus inter illos ordo. *Congregant ſuper uno, ſed cum diſſenſione.* Volunt omnes ſimul regnare, ſed in confuſione. *Rixantur frequenter inter ſe iſti tyranni*, pugnant inter ſe, ut primatum habeant in miſerum. *Certant in me-ipſo de me-ipſo, cujus potiſſimùm eſſe videar.* Vos modò cogitate N. N. quàm miſerè conſtitutus ſit Captivus noſter inter tot milites ſignanter ſpoliatus omni armaturâ. Habetis hæc omnia confitentem Apoſtolum.

Deut. 28. 15.

Et nullam habet requiem.

Petrus Cell.

Paſſiones Tyrannizant illum.

quon-

quondam captivum, & horum militum tyrannidem inſigniter perpeſſum.

Rom. 7. 14. 7. Rom. 7. deſcribit Paulus quàm durè & crudeliter cum ipſo egerint: *Ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato, quod enim operor non intelligo, non enim quod volo, hoc ago, ſed quod odi, illud facio.* Duo hic dicit Apoſtolus, quorum unum eſt cauſa alterius, primum, quod ſe inveniat venundatum, conſequenter mancipium paſſionum. Secundum quod non faciat, quod vult, ſed id, quod odit, agat.

Nec agit quod vult, ſed quod odit.

Quare concupiſcentia peccatum dicatur. Dicit primò *Ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato*: Notate ob quinque rationes concupiſcentiam peccatum nominari. Primò quia ipſa eſt concupiſcens contra legē Dei. Secundò quia ſemper incitat ad peccatum & tranſgreſſionem. Tertiò quia eſt effectus peccati. Quartò quia eſt pœna peccati. Quintò quia eſt inſtrumentum, quo in generatione hominis transfunditur peccatum in totam progeniem Adæ: & ſic ergò ſervus & mancipium concupiſcentiæ eſt Paulus. Hinc dicit ſecundò: *Non quod volo, hoc facio, ſed quod odi, illud facio*: & tamen hic loquitur Paulus de concupiſcentia abſque conſenſu, de paſſionibus, nec promotis, nec adjutis temeritate humanâ. Videte modò (Nam vos N. N. hìc judices volo) Videte, num de paſſionibus noſtris idipſum dicere oporteat, quod Gloſſa de Jacob & Eſau in utero matris luctantibus: *Quid facient nati qui ſic luctantur innati?* Quid facient paſſiones à nobis in lucem editæ, à cæcitate noſtra lactatæ, ab inſipientia noſtra educatæ? ita prædominantur captivis ſuis, ut illos dent in prædam concupiſcentiarum ſuarum in tantùm, ut ultrà vires non habeant ad reſiſtendum. *Venundati ſunt ut facerent malum.* 1. Mach. 1. 16. Et quidem adeò, ut dum ipſa deſinit illos inſtigare ad malum: ipſimet *Concupierint concupiſcentiam* Pſal. 105. 14. ipſam excitant, incitant, abeunt poſt eam. *Abiêrunt poſt pravitatem cordis ſui.* Jer. 9. ut probent & tentent peccare, licet non poſſint: *Vt iniquè agerent laboraverunt* Jerem. 9. 5. O miſerum Captivum tam ſævis traditum militibus! dum milites illi ſimul conſpirant & paribus viribus captivam animam aggrediuntur, tantùm faceſſunt negotii, ut fortiſſimi quique, etiam uni illorum ſuccumbant: hinc monet nos Spiritus ſanctus.

Lucta paſſionum figuratur.

1. Mach. 1. 16. Pſalm. 105. Jerem. 9. 14. *Fortiſſimi illis cedunt.*

8. Eccl. 19. 3. *Ne reſpicias mulierem multivolam, ne incidas in laqueos illius.* Mulier hæc multivola, concupiſcentia eſt, quæ non quieſcit, ſed ſemper ſtimulat, ſemper multivolè, inſtigat, ſemper premit, omni momento aggravat, donec tandem moleſtatus ſuccumbat: habent bella ſuas inducias, venti pauſas, maria malaciam, incendia materiæ ſubtractione extinguuntur, terminantur morbi periodis ſuis, ſolæ paſſiones noſtræ non habent terminum, ſemper ardent, ſemper fumigant, ſemper impugnant, ſemper in corde excitant tempeſtatem. Oſtendo in prima paſſione, primo milite, qui fortiſſimum mortalium, dejecit. Noſtis ex nomine tam bene, quàm ego.

Eccl. 19. 3. *Concupiſcentia ſimilis mulieri*

9. Judicum 16. Importuna Dalila pauperi Sampſoni machinatur ruinam: Judicum 16.

Fortiſſimos vincit, monſtratur hoc in Sampſone.

Judic. 14.
Judic. 15.

ruinam : quid agit? *Cumque moleſta eſſet ei, & per multos dies jugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, & ad mortem uſque laſſata eſt.* Dilacerat leonem, quaſi hædum in fruſta diſcerpens. In mandibula aſini percutit mille viros. Ambas portas Gazæ urbis apprehendit cum poſtibus ſuis & ſeris, impoſitaſque humeris ſuis portat in montem. Iteratò vinctus, rumpit vincula quaſi fila telarum; & ecce incomparabilis iſtius fortitudinis Sampſon, dum in ſinu Dalilæ caput reclinat, diſceſſit ab eo fortitudo, & erutis oculis ducitur Gazam vinctus catenis, & clauſus in carcere, molere cogitur, & tandem non ſolùm oculos, ſed & vitam amiſit. Loquatur nunc pro me Eccleſiæ Doctor D. Ambr. Apolog. David. *Sampſon validus & fortis leonem ſuffocavit, ſed amorem ſuum ſuffocare non potuit, vincula ſolvit hoſtium, ſed ſuarum non ſolvit nexus cupiditatum, meſſes incendit alienas, & unius ipſe accenſus igniculo, meſſem ſuæ virtutis conſumpſit.* Quanta per unum militem ſtrages! quid ſi omnes ſedecim inſiliiſſent? numquid hoc ipſum eſt, quod habetur Sap. 4. *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum ſine malitia?* Vocat concupiſcentiam faſcinationem, quæ oculis fit. Quot à concupiſcentia ita faſcinantur & incantantur ut animæ periculum non videant, Dei vocem non audiant, neque perambulent viam cœli! Sed quid innuunt verba hæc: *Inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum?* volunt quod concupiſcentia continuis propoſitionibus, aut inventionibus novis corrumpat intellectum ejus: Audite Caſſiodorum Tract. de Amicis cap. 22. *Dum poſt rei deſideratæ obtentum majoriſc ſentit indigentiâ laborare, præoptata incipit faſtidire, & denuo in alterius rei ſuccenditur appetitum, non tamen ſatianda, ſed alterius falſæ felicitatis imaginatione fallenda. Hic eſt circuitus impiorum, hæc eſt vituperatio multorum commorantium in circuitu, hæc eſt mola Sampſonis, quam deciſis virtutum crinibus, & effoſſis prudentiæ oculis circumvolvit, ſequens cupiditatum circuitum: etiam relicto compendio Charitatis* NN. non noſtis milites hos, non noſtis, non noſtis: qui inter manus illorum fuerunt, licet tantùm unius, loqui poſſunt experti. Sufficiat unus pro mille. Paulum audite ſtrenuiſſimum Eccleſiæ Athletam.

S. Ambroſ.

Sap. 4. v. 12.

Paſſiones excæcant.

Caſſiodorus.

Circuitus impii per molã Sampſonis figuratus.

10. Hebr. 12. Feritatem illorum edoctus, ut ab illis cautos redderet Hebræos, ſcribit illis: *Deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam, curramus ad propoſitũ nobis certamen.* Notate quo nomine Paulus concupiſcentiam appellet: *Pondus*, quod portatur, & *Peccatum* quod circumſtat nos, cingit, & circumdat, & non procul abeſt ab unoquoq; noſtrûm. Unde illa gravedo, unde pondus, quod ſentimus in nobis, quando mens à terrenis dirigitur in cœleſtia? à paſſionibus. Unde illa lucta continua inter carnem & ſpiritum? à paſſionibus. Unde tædium, & unde nauſea, quam experimur in exercitio virtutum? à paſſionibus: Quot vani timores invadunt nos? Quot fictæ debilitates

Hebr. 12. 1.

Omne malũ à paſſionibus noſtris.

tes retrahunt nos? Quot quæſita obſtacula detinent nos in via Domini? horum omnium cauſæ ſunt paſsiones noſtræ: Quot tenebræ obſcurant lumen rationis? Quot allicitamenta flectunt voluntatem in malum, & quaſi vi avellunt à bono? totum artificium eſt paſsionum noſtrarum. Rectè ergo dicit Apoſtolus: *Circumſtans nos peccatum.* Hoc eſt inquit Theodoretus: *Nos circumſtat more digladiatorum.* Clarius loquor cum D. Ambroſio in Pſal. 118. *Iſti ſunt perſecutores graves, qui ſine gladii terrore, mentem hominis frequenter elidunt. Multi in perſecutione publica coronati, occultâ hâc perſecutione ceciderunt.* Hâc cecidit David coronatum caput: victus eſt ille à concupiſcentia mulieris abſentis, non vicinæ, ut notat D. Ambroſius, *Mulier longè, libido propè.* Agunt nobiſcum paſsiones ſicut tyranni cum captivis, teſte Clemente Alex. *Maligna & ſerpens bellua* (*ſc. paſſio*) *homines affligit, barbarorum ritu puniens, qui dicuntur cadaveribus alligare captivos donec cum ipſis quoque putreſcant.* Dicat jam ad rem noſtram ſenſa cordis ſui D. Ambroſius in Pſal. 118. *Miraris ſi inter tot adverſarias paſſionum vires ſe juſtus tenere vix poſſit* (de Davide loquitur) *cum impares ſimus etiam ſingularum certamini?* N. ne quidem Hercules contra duos: unus iſtorum militum ſufficit, ut te etiam bene armatum, devincat, niſi bene attendas. Quid ergo faceres ſi ſedecim ſimul te impugnarent, & inſilirent in te? Hinc Colligite NN. miſerum ſtatum Captivi noſtri, qui inermis diu noctuque inter manus illorum

Theodoretus.

S. Ambroſius.

S. Ambroſius.

Interna perſecutio pejor externâ.

Clemens Alexand.

S. Ambroſius. in Pſalm. 118.

Paſſioni etiã unica homo reſiſtendo non eſt, minus pluribus.

eſt, crudeliori quo poſſunt modo, ſuam exercentium tyrannidem. Et quod præcipuum eſt, cogit illum diabolus hos inimicos diligere tamquam ſummos amicos, & quos, ut bonus Chriſtianus, teneretur diligere, jubet ita odio habere, ut diſcipulus ſæpe ſuperet magiſtrum. Tantùm do unam aut alteram probam.

Captivus diaboli odiendos diligit & diligendos odit.

11. 1. Reg. 18. Saul auditâ ſui cum Davide comparatione, malo ſpiritu agitatur. *Invaſit ſpiritus malus in Saul.* Qui factus captivus ejus, illicò privatur omni armaturâ Dei, traditurque in manus ſatellitum ejus, iræ, odii & vindictæ, in tantùm ut diſcipulus illicò ſuperârit magiſtrum. Capite. 19. Percuſſis iterum à Davide Philiſthæis: *Factus eſt ſpiritus Dei malus in Saul*, at David Pſallebat manu ſuâ, & indubiè, ut ante, recedebat ab eo ſpiritus malus, porrò Cytharizantem coram ſe Davidem, niſus eſt Saul configere lanceâ cum pariete. Quò non præcipitat ſe ſævitia hominum, quæ etiam dæmonis ſævitiam excedit? Matt. 4 ducitur *Jeſus* à ſpiritu in deſertum ut tentaretur à diabolo, quem ſtatuit ſupra pinnaculum templi dicens: *Si filius Dei es mitte te Deorſum.* Non ſic homines facti captivi diaboli, nam Lucæ 4: *Duxerunt eum* (ſc. JESUM) *uſque ad ſupercilium montis, ut præcipitarent eum*; & feciſſent certò, niſi fugiſſet Chriſtus: *Ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat:* Quia nolebat Chriſtus coram immerentibus illis miracula facere, eum vitâ privare volunt. Super his in ſtuporem datus D. Ambroſius exclamat: *O pejor magiſtro diſcipulorum hæreditas! ille verbo*

1. Reg. 18. v. 10.

Exemplificatur in Saüle.

1. Reg. 19. 9.

Peccator ſæpe pejor diabolo.

Matt. 4. 6.

Lucæ 4. 29.

Verſ. 30.

D. Ambroſius

Dominum tentat, *hi facto : ille dicit*: *Mitte te deorsùm*; *illi adoriuntur ut mittant*. Non eſt quod longè abeamus, & quæramus illud hominum genus, ſe invicem inſequentium, decipientium, vindicantium ſe ſupra ipſum diabolum. Similibus hodie ſcatet mundus, nec hoſpes ab hoſpite tutus, nec amicus ab amico, nec Frater à fratre. Non creditis? Si non mihi, Jeremiæ credite, deſuper vos monenti.

Jeremiæ 9. 4. *Homo homini inſidias ſtruit.* 12. Cap. 9. ſic loquitur. *Vnuſquiſq; ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam*, *quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit*, *& omnis amicus fraudulenter incedet*. Non ſic dæmones agunt, nam & ipſi conveniunt inter ſe. Habetis

Luc. 11. Chriſti argumentum: Luc. 11. 18. *Si autem & Satanas in ſeipſum diviſus eſt, quomodò ſtabit regnum ejus? Non enim Satanas*, inquit Angelicus, *ſibi repugnat, nec ſuis ſatellitibus nocet*: O pejor magiſtro diſcipulorum hæreditas! *Non enim ſatanas ſibi ipſi repugnat*, *neque ſuis ſatellitibus nocet*: & ſibi nocent homines, & ſibi ipſis repugnant. Quis crederet, niſi videret?

Geneſ. 4. Gen. 1. Cain occidit Abel fratrem ſuum.

Geneſ. 9. Gen. 9. Noë ridetur à

Gen. 37. filio. Gen. 37. Joſeph à fratribus ſuis venditur Iſmaelitis. 2. Par. 21. Joram ut ſe confirmaret in regno:

2. Paral. 21. *Occidit omnes fratres ſuos gladio, & quoſdam de principibus Iſrael*. Judicum 9. Abimelech *Occidit fratres*

Judic. 9. v. 5. *ſuos ... ſeptuaginta viros*. Similibus exemplis plenus eſt mundus. Videte ergò, quò paſſiones homines perducant, & quàm miſerè ſit conſtitutus, qui in horum militum manus incidit. N. N. mei, qui filii Liberæ eſtis; iſti, iſti ſunt inimici, quos odio habere debetis: Dum adhuc armati eſtis, reſiſtite illis, quia ſi ſemel in manus illorum incidatis, non tam facilè evadetis, quàm putatis. Legite, obſecro, Epiſtolam, quam Paulus Romanis inſcripſit, legite & relegite, quia etiam inſcripta eſt vobis. *Paſſionibus reſiſtendum.*

13. Cap. 6. In Chriſto baptizatos, adeòque indutos armatura Dei, ſic alloquitur: *An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus?* Oportet ergo crucifigere veterem hominem: *Hoc ſcientes quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt*, *ut deſtruatur corpus peccati, & ultrà non ſerviamus peccato*. Notate Apoſtolum dicere peccatum corpus habere. Quid ais Paule? peccatum vel corporeum eſt, vel incorporeum? ſi incorporeum? quomodo ergò dicis peccatum corpus habere? Hoc eſt corpus peccato, quod eſt mancipium Domino, ut patet ex verbis Apoſtoli *ut non ultra ſerviamus peccato*. Peccatum in homine eſt Dominus ejus, & homo eſt mancipium peccati, ſeu paſſionum, ſicut ergo corpus conſtat variis partibus, capite, brachiis, manibus, pedibus &c. ita & corpus peccati, cujus caput ſuperbia eſt, frons crudelitas, concupiſcentia oculi, gula guttur, manus avaritia &c. Si ergò non velimus mancipia eſſe peccati, deſtruatur corpus peccati, deſtruantur paſſiones, membra corporis: dum illas ſuperamus, inimicum ſuperamus, ſic numquam captivi futuri diaboli. Hoc ipſum diſcamus à muliere, licet viri ſimus. Verſ. 6. *Corpus peccati deſtruendum.* *Cujus membra ſunt Paſſiones.*

14. Judith. 9. pro populi liberatione

tione ingreſſa oratorium, induens ſe cilicio proſtrata precatur Dominum, ut ſibi virtus detur evertendi Holofernem, dicens inter alia: *Fac*
Judith.9.12. *Domine ut gladio proprio ejus ſuperbia amputetur.* Peto: quid Judith intenderit amputare? numquid caput? ſic eſt: quia apprehendit comam capitis ejus & ait: *Confirma me Do-*
Judith 13.10. *mine Deus in hac hora,* Judith. 13. 10. quomodò ergo dicit, *ut proprio gladio ejus ſuperbia amputetur?* Docet nos, quomodò oporteat inimicum noſtrum ſuperare. Caput diaboli ſuperbia eſt, amputandum ergo caput ejus, amputanda cætera membra, amputandæ paſſiones ut deſtruatur corpus peccati. Talia amputare capita glorioſius eſt, quàm unum integrum delere exercitum.

Caput peccati ſuperbia eſt.

15. 1. Reg. 17. Philiſtæis ad pugnam congregatis, gigantem Goliath in armis & fortitudine confidentem inermis David occidit, & cum præciſum caput ejus deferret in Jeruſalem: Egreſſæ ſunt mulieres de univerſis urbibus Iſraël in occurſum ejus cantantes & ludentes, atque
1. Reg. 17. 7. dicentes: *Percuſſit Saul mille, & David decem millia.* D. Chryſoſt. Hom. de David & Saüle combinat hanc mirabilem victoriam cum illa, quam 1. Reg. 24. de ſe & paſſionibus ſuis conſecutus eſt, Saüli hoſti ſuo implacabili parcens, quem tradiderat Dominus ſicut placuerat oculis ejus: tunc utrâque bene perpensâ exclamat Os aureum. *Hæc illa magnificentior erat victoria, hæc magnificentiora ſpolia, hæc præda illuſtrior, hic glorioſior triumphus.* Et adeò glorioſus, ut hinc factum putem, quod in Chriſti genealogia omnes cæteri Reges in præſentia Regis Regum detecto ſint capite & abſque corona, ſolus autem David coronatus: *Abraham genuit Iſaac, Iſaac* Matth. 1. 2.
autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam & fratres ejus: Judas autem genuit Phares & Zaram de Thamar &c. Jeſſe autem genuit David Regem, David autem Rex genuit Salamonem. Salomon genuit Roboam &c. Glorioſa & maxima victoria eſt, ſuperare & captivas tenere paſſiones ſuas & carnales concupiſcentias. Hoc enim majus eſt quàm expugnare urbes munitiſſimas. Unde magnus Auguſtinus tom. 3. ex Sent. Sent. 224. *Non* S. Auguſtinus
caret regiâ poteſtate, qui corpori ſuo (& animi paſſionibus) *noverit rationabiliter imperare.* Quomodò ab illis victus, libero imperabit animo, qui non poteſt paſſionibus ſuis imperare? refrenet primum concupiſcentiã, & libidinem, ſpernat voluptates, iracundiam temperet, coerceat odium, triſtitiam, deſperationem, timorem, audaciam: contineat averſionem, cæteraſque animi labes repellat: ac tum incipiat aliis imperare, cum improbiſſimis his militibus parere deſierit; dum quis his obedit, non Rex, ſed ſervus habendus eſt. *Reges dicuntur à regendo*, inquit Auguſtinus: Rex ergo eſt, qui S. Auguſt.
paſſiones frenat & habenis flectit. Hinc D. Gregorius in Pſalm. 5. Pœnitent. *Per regem eos intellige,* S. Gregorius
qui animorum ſuorum motus ſecundùm Dei voluntatem dirigunt; eiſque Regum more dominantur, dum in rationis eminentia, quaſi in regali ſolio præſidentes, repugnantia quæque ſervituti ſubjiciunt. Sic eſt

Gloriosius eſt paſſiones ſuperare, quàm hoſtes.

Qui non regit paſſiones ſuas, ſervus eſt.

NN. ſic eſt, ſe, & paſſiones ſuas, hos milites devincere, magnificentior eſt victoria, magnificentiora ſunt ſpolia, præda illuſtrior, glorioſior triumphus. Ne ergò diabolus & milites ejus de nobis triumphent, cum non ſimus ſufficientes ex nobis quaſi ex nobis, imitemur SS. Apoſtolos.

Venti, naviculam concutientes, paſſiones adumbrant. 16. Matt. 8. Aſcendentibus illis cum Chriſto in naviculam, motus magnus factus eſt in mari, oborta procella à decumanis fluctibus, ita ut navicula ab illis operiretur; at illi timentes ſibi, acceſſerunt ad Chriſtum (dormiebat enim) & ſuſcitaverunt eum dicentes: *Domine ſalva nos perimus .... Tunc ſurgens* Matt. 8. ℣. 25. *imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Hi ſuperbi & temerarii venti, qui audent movere bellum contra naviculam, in qua *Paſſiones cauſant tempeſtatem.* Creator ipſe & Author naturæ requieſcit, ſignificant inveteratas, & inordinatas paſſiones, quæ quaſi venti impetuoſi, fluctus movent, & procellas contra naviculam animæ, quam elegit Deus in requiem ſibi; Venti, qui omnium inquietudinum, omnium calamitatum, omnium miſeriarum ſunt & fuerunt ſemper infelix mater; Venti tunc maximè turbantes mentis malaciã, dum ſcopulis eſt vicinior; Venti, qui tunc magis impetunt naviculam cordis, dum quis vicinior eſt portui virtuoſæ actionis; Venti, à quibus omnis infelicitas noſtra originem ducit; Venti, qui ſubmergunt unionem & charitatem chriſtianam; Venti, qui pro moderatore agnoſcunt Eolum amoris proprii, & pro Neptuno, dæmonem, ideòq; in ſpiritu noſtro excitant tam violentos fluctus, ut æternum minentur naufragium, niſi Chriſtus omnipotenti voce imperet ventis & mari, & fiat tranquillitas. Imitari nos igitur oportet Apoſtolos, qui videntes periclitari naviculam, acceſſerunt ad Chriſtum, qui dormiebat, aut dormire ſe ſimulabat: *& excitaverunt eum dicentes: Domine ſalva nos perimus.* Magnus *Dum ſæviunt recurrendum ad Chriſtum.* Auguſt. Hom. 3. inter ſeptemdecim Tom. 10. nos alloquitur: ſi paſſiones, quæ, quaſi venti contrarii, naviculam noſtram, modò in brevia, modò in ſcopulos impingere conantur, ut naufragio pereat, accedite ad Chriſtum, & excitate eum. Do verba ejus. *Audîſti convitium? ventus eſt, iratus es? fluctus eſt. Excita Chriſtum, loquatur tecum.* S. Auguſt. Excita Chriſtum, qui ob acediam tuam in te dormit. Loquatur tecum. Audi loquentem: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Matth. 11. 2. Diſcite quod venti & mare voci ejus obedierint. Diſcite ſed cum rubore. Erubeſcit D. Ambroſ. quòd in nobis, ratione præditis, ſimilis obedientia non detur: *Non mediocris pudoris eſt,* S. Ambroſ. *imperio Dei inſenſibilia elementa parere, & homines non obedire, quibus ſenſus tributus eſt ab ipſo Authore.* *Inſenſibilia Deo magis obediunt quàm homo.* Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, diſcite duobus his frenis refrenare paſſiones. Diſcite dum adhuc armati eſtis, quia prædico vobis, ſi hi milites aliquando prædominentur vobis, non tam facile evadetis manus illorum, vendicabunt in vobis locum, vendicabunt dominium: Dicamus ergò, ſed in corde dicamus cum mellifluo Bernardo Sermone 4. ſuper Miſſus: *Veni*

S. Bernard. *Veni Domine Jeſu, auſer ſcandalum de Regno tuo, quod eſt anima mea, ut Regnes tu, qui debes in eo: Veni Domine diſpergere illa in virtute tua, quia tu es ipſe Rex meus & Deus meus.* Execramur tyrannum cum quatuor quaternionibus militum. Impera ventis, ut fiat in nobis tranquilitas magna. Amen.

FERIA IV. DOMINICÆ I. ADVENTUS.

De captivitate Petri.

I.

Petrus ſervabatur in carcere, vinctus catenis duabus. Actor. 12.

1. CAptive, videbam te heri inermem, traditum quatuor quaternionibus militum, qui te cuſtodiant, ne carcerem tuum effringas: necdum incipis experiri illorum ſævitiam? necdum tui aperiuntur oculi, ut videas quàm duræ te ſubdideris ſervituti? mancipium, quantumcumque miſerũ, uni tantùm ſervit Domino, cujus gratiam fideli ſervitio poteſt lucrari, & tu, miſer, à ſedecim dominantibus tibi ad contraria cogeris, & ad ea, quæ ſimul fieri non poſſunt, & hos quidem habes intra te, nullam tibi dantes requiem, nec de die nec de nocte; Intra te pateris non dominos, ſed tyrannos, qui ſimul conſpirant tuam in ruinam; Non eſt quod ipſe fatearis quantùm patiaris ab his ſedecim, dum me SS. Paginæ docent, etiam ſanctiſſimos Sampſones, Davides, &c. Ab uno eorum in ruinam perductos. Sufficit mihi, quod ab Apoſtolo ſciam, illos te circumſtare more digladiatorum, occultâ licet perſecutione: Si inter tot adverſarias paſſionum vires, vix juſtus ſe teneat, & ſi impares ſimus, etiam ſingularum certamini, ſatis colligo quantùm patiaris à ſedecim, cum ne quidem Hercules contra duos, & tu adhuc inermis diu noctuque ſis in manibus illarum. Si ibi ſiſteret diabolus, & ſolummodo in carcere ejus eſſes inter ſedecim illos circumſtantes milites, ſatis miſera foret ſors tua; ſed necdum ſecurus, alia circa tuam detentionem machinatur: De his non agam, niſi ſalutatâ prius & invocatâ Virgine, dicendo: Ave.

Sanctiſſimi uni paſſioni ſuccubuerunt, quantò magis peccator ſuccumbet pluribus.

2. Quatuor quaterniones militum ad cuſtodiendum Petrum? Sic eſt: Miſera ſanè ſors Petri! & tamen Herodianæ ſeveritati necdum eſt ſatis. Ne effugiat manus ejus, vincit eum catenis duabus: *Servabatur in carcere, vinctus catenis duabus.* Quis modò non anxietur circa liberationem ejus? Angatur qui voluerit, ſed non ego: Spero enim illum brevi ex carcere liberandum. Tui magis me miſeret, Captive diaboli, qui tetro incluſus carceri, inermis non ſolùm traditus es quatuor quaternionibus militum, qui te cuſtodiant; ſed ne carcerem effringas, vinctus jaces catenis duabus, excæcatione in-

tellectûs, & voluntatis induratione: De prima catena loquitur Sap. 17. *Unâ catenâ tenebrarum colligati ſunt*; Scilicet excæcat diabolus intellectum, ne videas miſerum ſtatum tuum, nec ea, quæ ſalutis ſunt, cognoſcas. Loquor hodie de prima catena, cras, dante Deo, de ſecunda. Dum de duabus catenis exordior, duas aures requiro corporis & cordis, dumque illas arrectas ſpero, incipio.

Sap. 17. 17.

Diabolus captivum ſuum indurat & excæcat.

3. 4. Reg. 25. 7. Nabuchodonoſor, devaſtatâ Hieroſolymâ, captivum ducens Sedechiam Regem Judæ: *Filios ejus occidit coram eo & oculos ejus effodit, vinxitq; eum catenis, & adduxit in Babylonem.* NN. intelligitis quod narro? capitis myſterium? vix credo. Quid interpretatur *Sedechias*? *juſtus Domini*. Dum quis per peccatū mortale fit captivus diaboli, illicò omnes filios ejus occidit coram eo, omnia opera bona mortificantur, *Oculos ejus effodit*. Eruit oculum intellectûs, illum excæcans, & mittit in Babylonem vinctum catenâ tenebrarum; ut vitam ibi ducat confuſione plenam, ubi nullus ordo inhabitat. Captive diaboli, te teſtem volo: Solebas eſſe *Sedechias*, *juſtus Domini*, Rex eras, dominabaris quatuor quaternionibus militum, civis eras Jeroſolymitanus: Ubi per peccatū mortale factus es captivus diaboli, hic non ſolùm univerſa arma aufert, ſed omnes filios tuos, quos ab illo tempore genuiſti, occidit coram te: omnia opera bona totius vitæ tuæ, omnia merita mortificantur; & quod dolendum magis, oculos tuos effodit, vincitque catenis duas primarias potentias animæ, intellectum & voluntatem, & adducit te in Babylonem, ubi nullus ordo, ſed horror inhabitat; ut ibi vitam ducas Babylonicam, confuſione plenam: ſicque ſecundùm D. Amb. *Nihil times quia nihil vides*, utpotè erutos habens oculos, verbis S. Antonii Paduan. *Sicut Nabuchodonoſor Sedechiæ oculos effodit, & duxit in Babylonem, ſic diabolus eruit oculos peccatorum, ne ſuam iniquitatem cognoſcant*. In eandem ſententiam abit purpuratus Ugo *Hoc eſt primum in omnibus peccatoribus; quod excæcat eos diabolus, ne cognoſcant viam veritatis, vel lucem, quod ſignificatum eſt in hoc, quod Babylonii excæcaverunt Sedechiam*: Sicut corvi, qui in cadaveribus primùm oculos petunt. Talem corvum nominat diabolum Ugo Victor. in lib. de Beſtiis cap. 35. *Corvus eſt diabolus, qui in cadaveribus primùm oculos petit*. Si miſerum ſtatum tuum ex Sedechia non ſatis cognoſcas, iterùm in medium produco Sampſonem captivum.

4 Reg. 25. 7.

Sedechias juſtus Domini interpretatur.

Diabolus captivi ſui effodit oculos.

S. Ambroſ.

S. Antonius de Padua.

Ugo Card.

Ugo Victor.

4. Judicum 16. Prodit eum Dalila, traditque Philiſtæis: *Quem cum apprehendiſſent Philiſthiim, ſtatim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt*: Auditis? *eruerunt oculos, & molere fecerunt*: Miſerum Sampſoné! hominem alioquin liberum, & rationis capacem, ſervum factum & mancipium inimicorum ſuorum, & quod peſſimū, redactum ad ſtatum jumentorum! Ne quis arbitretur Sampſonis caſum myſterio vacare. Per illum intelligit D. Greg. captivum diaboli, vinctum catenâ tenebrarum de quo Lib. 7. Mor. cap. 13. ſic loquitur: *Prius oculus conſiderationis amittitur, & poſt per carnis deſideria hujus mundi laboribus*

Judic. 16. 21.

Peccator excæcatus ad molam deputatur.

S. Gregor.

bus ac peccatis ſubjugatur, pro ut teſtatur Sampſon ab Allophylis captus, qui poſtquam oculos perdidit ad molam deputatus eſt; quia nimirum maligni ſpiritus, poſtquam tentationum ſtimulis intus aciem contemplationis effodiunt, foras in circuitum laborum ac peccatorum

Pſalm. 11. 9.

mittunt. Ipſo etiam aſſerente Davide: *In circuitu impii ambulant:* Notate, quod Sampſonem ad vertendam molam non alligaverint, niſi poſtquam oculos eruerunt. Sic tecum agit ſpiritus malignus, Captive; Statim ut eruit oculos tuos, lumen tibi eripit, ne ſtatum tuum, & gravitatem peccati cognoſcas, quaſi tunc ſecurus quod te facilè, in omnem impellet iniquitatem: ita Rupertus Lib. 2. in Jud. cap. 24. *Prius oculus intellectûs obtunditur, & poſtmodum animus captus per exteriora vagatur deſideria, ut cæca mens, quò ducitur, neſciat:* Prius oculus intellectûs obtunditur. Tunc te excæcatũ molere facit, in circuitu ambulando, & ſemper in eadem peccata redeundo cum illis de quibus pſalm. 81. *Neſciêrunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant,* Et quid ex illa cæcitate ſequatur ſubjungit. *Movebuntur omnia fundamenta terræ.* Per fundamenta terræ intelligunt docti leges, quas quaſi neceſſariò tranſgrediuntur illi, qui catenâ tenebrarum vincti ſunt; Leges Divinas non curant, ſed amplectuntur oppoſitas, quas illis diabolus proponit. Leges naturales violant, quia committunt enormia & nefanda ſcelera contra internum dictamen conſcientiæ. Leges humanas ſpernunt, quia non agnoſcentes legitimos dominos, vivunt ſecundùm proprium ductum. Leges prudentiæ exulant, quia non prævidentes futura neque æterna, ſtultè cum ſtultis repetunt: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Leges proprii intereſſe negligunt, quia non obſtante gravi damno, quod patiuntur malè vivendo; in malo perſeverant. Leges honoris ac gratitudinis non ampliùs agnoſcunt, ſignanter illam, quæ dictat, animam tam nobilem non adeò inhonorandam, neque ad tam vilia abjiciendã: minus hanc, quæ obligat tot Divinis præventum beneficiis ad dandum Deo immortali tributum devotionis aut agnitionis; *hæc omnia neſciêrunt neque intellexerunt.* Tenebræ, quibus ſunt vincti, non ſinunt diſtinguere juſtitiã ab injuſtitia, Cœleſtia à terrenis, æterna à temporalibus, veritatem à mendaciis, & ideò: *Neſciêrunt* tormenta inferni, quem non credunt; *Neſciêrunt* mercedem bonorum, illam in delitiis ſenſualibus & terrenis collocantes. *Neſciêrunt* immortalitatem animæ, quam credunt cum corpore finiendam. *Neſciêrunt neque intellexerunt,* Nec mirum: quia agit diabolus cum illis, & cum Captivo noſtro, ſicut Naas Rex Ammonitarum cum viris Jabes Galaad.

Ambulat in circuitu peccatorum.

Rupertus.

Pſalm. 81. 5.

Iſaiæ 22. 13.

Iſaiæ 44. 18.

5. 1. Reg. 11. Obſidetur Jabes à Rege Naas, circumvallatur, oppugnatur, coanguſtatur undique; Viri Jabes videntes periculum dicunt ad Naas: *Habeto nos fœderatos & ſerviemus tibi.* At ille: *In hoc feriam vobiſcum fœdus, ut eruam omnium veſtrûm oculos dexteros.* NN. qui modum belligerandi nôſtis, audîſtis umquam praxes ſimiles? cur non truncat illis manus? ſic auferre poſſet poteſtatem ultra belligerandi;

1. Reg. 11. 2

Vel

Vel ſi unum ex oculis velit, cur dexterum potius quàm ſiniſtrum? Et cur dicit *eruam*? Ad omnia paucis reſpondet D. Greg. Lib. 5. in cap. 1. Reg. ſed antequam dem verba ejus, peto quid intelligatur per oculum dexterum, quid per ſiniſtrum? *Dexter oculus noſter*, inquit, *eſt intuitivus*

S. Gregorius. *æternæ claritatis, ſiniſter verò oculus eſt concupiſcentia carnalis*: Tunc dexterum diabolus eruit: *Quando mens eâ cæcitate percutitur, ut ultrà ad videnda Cæleſtia non aperiatur*. Nec ultra videat pericula animæ, nec cognoſcat gravitatem peccati, multò minus, quàm vicinus ſit inferno, & quàm procul à Cœlo. Loquere ſecundùm

Diabolus eruit oculum dextrum. Deum & conſcientiam tuam miſer patiens; numquid oculum dexterum amiſiſti? A tempore quo in carcere ejus fuiſti, quot cæcos ictus dediſti? Quot deſperatas actiones patrâſti? Quando eras in ſtatu gratiæ ad minimum peccatum veniale angebaris tremens, modò non pudet publicè facere ea, quæ inter quatuor parietes non fuiſſes auſus vel cogitare, peccas tam liberè ac ſi nec Deus eſſet, nec infernus: Quanta ab amiſſione luminis ſtrages! 1. Machab. 1.

1. Mach. 1. 29. Superbus & crudelis Rex Antiochus, captâ Hieroſolymâ, *Intravit in ſanctificationem cum ſuperbia, & accepit candelabrum luminis*: Ante omnia *accepit candelabrum luminis*, quo illuminabatur templum Domini, illo ablato, prophanavit, & ſpoliavit Templum omnibus pretioſis ejus. Idipſum facit diabolus, ut intrat in animam, vivum templum Dei, ſtatim excæcat, privatq; recto lumine rationis & conſiderationis infelicis ſtatûs ſui, *Ut facilius quidquid prophanum libuerit circa illam operetur*, inquit Ugo.

Miſer Captive ſi ſaltem prævideres Ugo Cardin. damnũ, quod pateris in illa cæcitate, ſcires quod peccatum, tollens tibi lumen, te privet omni quiete & omni bono; tuum cum Tobia defleres infortunium, aut ſaltem cum Sampſone excæcato glorioſâ morte, ab ignominioſo ſtatu, in quo es, conaberis liberari, ſed cæcus cum ſis, & tenebrarũ vinctus catenâ, nec videre deſideras, nec malo tuo quæris remediũ, ubi tamen cæcitas tua longè ſuperat cæcitatem corporalem. Corporalis cæcus juvare ſe poteſt auditu & tactu, qui defectum viſûs utcumque poſſunt ſupplere; Si cæcus non videat viam, palpando incedit, manus aut pes vices agunt ductoris: *Cæcus ſpiritualis corporali miſerior.* Aut ſaltem ſequi poteſt directionem fidelis ductoris, ſicque evitare pericula & obſtacula: Audire poteſt clamores admonentis, ut ſibi à præcipitiis caveat, ſonus ſervit illi pro lumine. Sed ponamus caſum, quod quis cæcus ſit & ſurdus, qualis dæmoniacus ille, de quo Matth. 10. qui ſecundùm Bedam, etiam mutus erat. Matth. 12. Ponamus, inquam, quod aliquis ſit V. Beda. talis, deturque ei infidelis ductor, qui ducat eum per præcipitia, quid de illo foret exſpectandum? Quomodò ſubtraheret ſe ab offenſione, aut caſibus adverſis? Si inimicus gladio ipſum invadat, non videt nec audit appropinquantem: proximus præcipitio, nec periculum videt, nec clamantem monitorem audit ne pergat: Numquid miſerrimum diceres ſtatum ejus? Infelicior cæcus es Captive, qui lumen gratiæ amiſiſti: non ſolùm cæcus es, ſed & ſurdus: Hinc ruis in omne malum, non eſt

lapis

lapis, ad quem non offendas pedem tuum, & quod peſſimum eſt ambulas in tenebroſis: viæ, quas ambulas, plenæ ſunt laqueis, conductor, qui eſt diabolus, infidelis & deceptor eſt, duceris rectè ad infernum, & pauper cæce, neſcis quò ducaris. Verba non mea, ſed S. Cyrilli noſtri Alexand. ſunt Lib. 6. in cap. 21. Joan. *Deſtitutus lumine mentis in foveam iniquitatis agitur præceps.* Cyrilli verba confirmat D. Gregorius Hom. 39. in Evangel. *Anima perverſa dum in præſentis vitæ oblectationibus ſe deſerit, quid aliud quàm clauſis oculis ad ignem vadit?* Numquid vos ipſi NN. compatimini Captivo noſtro ad tantam miſeriam redacto?

Peccator eſt cæcis cæcior.

S. Cyril. Alex.

S. Gregorius.

7. Dicat mihi aliquis præſentium, quænam potiſſima fuerit plaga, quâ Deus afflixit Ægyptum Exodi 10.? Ego illas tenebras dixero, quæ tam denſæ erant, ut palpari potuerint; tam horribiles, ut nemo videre potuerit fratrem ſuum, nec in triduo movere ſe de loco ſuo; tam craſſæ, teſte Philone Hebræo, ut non potuerint per illas audientium voces commeare; Stabant Ægyptii in tenebris illis ſine catenis, ſine vinculis, ſine laqueis, ſine compedibus vincti. Crede mihi, Captive, horribiliores ſunt tenebræ, quibus vinciris: illę enim ſubtrahunt menti cum privatione lucis, viſum & auditum: Et quidquid eſt in anima mobile, & ſenſibile ad vitam æternam. Excæcato intellectu etiam ad Dei voces, interius clamantis, factus es ſurdus, non ſapit tibi dulcedo ſpiritus, fœtores vulnerum tuorum non nauſeant; Immobilis es, quia non vides modum te ex tenebris redimendi, ut per debitum pœnitentiam reducaris ad viam ſalutis, Præteritorum immemor, non vides futura & æternùm duratura: ſi remaneat adhuc aliquis impulſus motûs interni, ille ſuperatur ab impetu appetitûs ſenſualis, qui in ſimilitudinē equi effrenis & procacis, quando in bello ſtrepitu armorū territus, excu iens de manu ſeſſoris ſui frenū & habenas, ruit in haſtas, tela, bombardas, nec vulnera ſentit Jeremiâ Prophetâ teſtante.

Cæcitas mentis plaga maxima.

8. Cap. 8. 6. deplorans ille, natam ex illa cæcitate prophanationem ingemiſcens ait: *Attendi & auſcultavi, nemo quod bonum eſt loquitur, nemo eſt qui pœnitentiam agat de peccato ſuo dicens, quid feci?* q. d. obambulavi terram, & omnibus benè perſpectis & attentis, in quocumque ſtatu ne vel unum reperi (credite mihi, quia attendi & auſcultavi) qui vel verbum loqueretur de Deo, virtutibus, aut Cœlo: *Nemo quod bonum eſt loquitur.* Omnis illorum ſermo erat de prophanis & mundanis, & quod peſſimum, licet ſe ſcirent immerſos peccatis: *Nemo eſt qui pœnitentiam agat de peccato ſuo.* Unde quæſo originem ducunt mala hæc? quia non invenitur, qui mentis oculos habet apertos, ut videat & conſideret miſerum ſtatum ſuum: *dicens quid feci?* quia non conſiderat, quod ob commiſſa peccata mortalia in puncto ſit æternæ damnationis: *Dicens, quid feci?* Offendi Deum ſummum bonum, provocavi iram ejus, perdidi Paradiſum, captivum me feci diaboli, æternæ mortis reum: *Nemo dicit quid feci?* Unde omnes quaſi equi indomiti, & excæcati ruunt in omne malum. *Omnes converſi*

Ieremiæ 8. 6.

Captivus non videt quæ ad ſalutem ſpectant.

E *ſunt*

ſunt ad curſum ſuum ſicut equus impetu
Vers 6. *vadens ad prælium.* Ex illa cæcitate adeò deſolatus eſt Chriſtianiſmus, ut amaris lacrymis illam deſolationem deploret Propheta: *Deſolatione deſolata eſt omnis terra: quia nullus eſt qui*
Jerem. 12. 11. *recogitet corde: Excæcavit enim eos malitia eorum*: Non vident peccata, ſed ruunt cæco impetu in ruinam, & (quod mirum) cæci ſolummodò in iis, quæ Dei ſunt & ſalutis, lynceos habentes oculos in iis, quæ ſerviunt ad implenda perverſa deſideria, juxta illud Jeremiæ 4. *Sapientes*
Jerem 4. 22. *ſunt ut faciant mala, benè autem facere neſcierunt:* Sic ut Captivus noſter, & concaptivi ejus laborent cæcitate non abſimili illi, quâ percuſſi ſunt Sodomitæ.

9. Gen. 19. Loth à Sodomitis vim patitur, ut educat Angelos quos hoſpitio ſuſceperat, at illi volentes
Gen. 19. 11. effringere fores, tantâ ab Angelis percuſſi ſunt cæcitate: *Ita ut oſtium*
Sodomitæ Excæcatorū exemplum. *invenire non poſſent.* Dicit Lippomannus, quod omnia potuerint videre præter oſtium domûs, in qua juſtus Loth habitabat & Angeli ſancti.
Lippomann. *Omnia videbant præter oſtium domûs*: dupliciter cęci in corpore & anima; Videbant omnia, quæ libidinem concernebant, domum autem virtutis, domum ſanctitatis minimè: Numquid idipſum in te experiris, Captive diaboli? *Omnia vides præter oſtium domus*, in qua Deus habitat, ubi juſtitia & innocentia hoſpitatur, vides omnia quæ terrena ſunt, quæ corporis ſunt, ſed quæ Dei ſunt, quæ ſalutis æternæ, non vides talpâ cæcior. Audereſne ægrè ferre, ſi dicerem ex illis eſſe de quibus Iſaias lo-
Iſaiæ 43. 8. quitur c. 43. *Populum cæcum & oculos habentē?* Nega ſi poſſis & audeas, quid dico? prodis te ipſum, dum oculos: quos habere cum Sapiente in fronte deberes, cum ſtulto in pedibus tenes; Dum ingenii talentis ita abuteris, ut indies pejor evadas, cum illis qui *Sapientes ſunt ut faciant mala, benè autem facere neſcierunt.* Jerem. 4. Ideòne factus es in baptiſmo *Filius lucis, & filius diei*, ſicut te ante captivitatem Apoſtolus nominabat. 1. Theſſal. 5. ut de filio lucis filius fieres tenebrarum, & filius mortis? Certè oſtendis te à Principe tenebrarum non minus excæcatum, & oculum dexterum tibi ab eo erutum, quàm protoparentibus tuis, à quibus originem ducis, evenit.

Peccator non vides ea quæ Dei ſunt & ſalutis.
Eccle. 2. 14.
Jerem. 4. 22.
1. Theſſ. 5. 5.

10. Gen. 3. 1. Evam interrogat ſerpens. *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradiſi?* O ſimplices, inquit, an neſcitis, *Quod in quocumque die comederetis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii?* Quid dicis ſatan? *Aperientur oculi veſtri?* Quæ obſcuritas eſſe poterat in pupilla creaturæ tam puræ & ſanctæ? Stupet ipſe Euſebius Emiſſenus: *Cum enim*, inquit, *primo homini lignum vetitum comedere diabolus ſuaderet dicens: Comedite & aperientur oculi veſtri, nonne eum cæcum monſtrabat?* Ad ſolum aſpectum, ad ſolum diaboli alloquium, ita oculi eorum turbabantur, quod niſi cæcos illos ex nunc feciſſet diabolus, aut ſaltem oculos turbaſſet, numquam ad talem ruinam deveniſſent ipſâ Evâ fatente: *Serpens decepit me.* Ut palam fiat utriuſque cæcitas & obtenebratus intellectus, clamat Deus: *Adam ubi es?* at ille: *Vocem tuam audivi, & timui, eò quod nudus eſſem.* Ad hoc reſ-

Gen. 3. 1.
Vers. 5.
Euſeb. Emiſſ.
Ad ſolum diaboli alloquium cæcigat oculos.
Vers 10.

reſponſum in ſtuporem actus magnus Auguſtinus in Gen. cap. 3. exclamat: *Stultè reſpondit: Quaſi nudus Deo diſpliceret, quem nudum fecerat.* Quid facit Adam? *Abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie Domini Dei.* Ad hos cæcos ictus omnes nos inclamat Os verè aureum Hom. 17. in Gen. *Vide quàm inſipientes facit peccatum: abſcondere ſe tentant à Deo, qui ubique præſens eſt.* N. quando intrà quatuor parietes abſcondis peccata tua, putas omnia eſſe in tuto; exiſtimas totum eſſe ſecretum, totum tectum: nullus te vidit, imò lætaris quod tam abditè omnia ſucceſſerint: Abſcondis te à facie Domini, ac ſi te Deus non videret, ô miſer non vides te privatum oculis? non ſentis intellectui tuo injectam catenam tenebrarum? nondum experiris hæc in te? cur non reſpondes? fortè fateri renuis præ pudore? Audi ergò ex ore unius quondam captivi, te tamen excellentioris & nobilioris conditionis.

S. Auguſtin.

Verſ. 8.

S. Chryſoſt.

11. 2. Reg. 12. David nobiliſſimum totius ſanctitatis paradigma, committit adulterium, ad quod celandum ſuperaddit homicidiū Uriæ mariti adulteræ; Dic mihi, David, conſcientiæ tuæ non ſentis arteriam? non audis pulſum cordis? non te percellit vox ſanguinis Uriæ? non times quod Joab te prodet? non conſideras ex malo tuo exemplo multa oritura ſcandala, ſignanter cum tibi nuntiaverit Berſabée quod ex te conceperit? Non perpendis in corde tuo quàm graviter Deum offenderis? non cognoſcis miſerum animæ tuæ ſtatum? Nihil horum perpendit David. Ne miremini NN. David cæcus factus eſt, oculum cordis amiſit, catenâ tenebrarum adeò vinctus eſt intellectus ejus, ut per annum integrum maneat illo in ſtatu, & ne vel cogitet quidem de offenſa Dei; imò niſi miſericors Deus per Nathan aperuiſſet oculos ejus, in ſua cæcitate manſiſſet. Vultis videre quàm cæcus factus ſit per peccatum? audite inter ipſum & Nathan habitum ſermonem. Hic à Deo miſſus ait Davidi: Reſponde mihi judicium: duo viri erant in civitate una, unus dives alter pauper. Dives habebat oves & boves plurimos valdè, pauper verò nihil habebat, præter ovem unam parvulam, quam emerat & nutrierat, & quæ creverat cum eo & filiis ejus, de pane ejus comedens & de calice ejus bibens, & in ſinu illius dormiens, eratque illi ſicut filia. Cum autem peregrinus quidam veniſſet ad divitem, parcens ille ſumere de ovibus & bobus ſuis, ut exhiberet convivium peregrino illi, qui venerat ad ſe, tulit ovem viri pauperis, occidit eam, & præparavit cibos homini, qui venerat ad ſe. Quid reſpondes ad caſum? Iratus indignatione David adverſùs hominem illum dixit ad Nathan: *Vivit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir, qui fecit hoc.* Tunc Nathan ad David: *Tu es ille vir*: Et cecidit catena de intellectu ejus & aperti ſunt oculi ejus, dixitque: *Peccavi Domino.* State hîc NN. verbum habeo ad David: Domine mi Rex, tune ipſe qui loqueris? num tibi veriſimile eſt, quod homo habeat ovem in menſa, in lecto, bibatque cum ea ex eodem calice? dicis ipſe Pſalm. 118. *Super omnes docentes me intellexi.* Et credis tu iſti fabulæ? D. Ambroſ. in Apol. David,

David captivus non potuit ut videret ſtatum ſuum.

2. Reg. 12. 5. 7.

Pſal. 118. 99.

S. Ambroſ. vid, apologiſtam agit Davidis. *Sciebat Nathan, quod David neſciebat, adeò caligat animus, obumbratus quâdam nube vitiorum.* Sed undè tibi David iſta cæcitas, iſta mentis obumbratio? undè iſta catenâ tenebrarum? fatetur lubens Pſal. 39. ut peccavi cum Berſabea factus ſum captivus diaboli, & ſtatim catenâ tenebrarum vinxit intellectum meum: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem.* Pſalm. 39. 13. Verum eſt, quandò ſcribebam litteras ad Joab de morte Uriæ, debebam videre quod nihil tam ſecretum, quod non revelabitur; ſed, *Non potui ut viderem.* Sciebam ex illo adulterio ſecutura multa ſcandala, obloquia multa, ſed tunc *Non potui ut viderem.* Non me latebat quod ut homo mortalis eſſem, adeòque omni momento potuiſſem mori in illo ſtatu, & in æternum damnari, ſed *Non potui ut viderem.* Cæcus eram, vinctus catenâ tenebrarum. Numquid idipſum in te experiris, Captive diaboli? Numquid & tu eâdem vinctus es catenâ? A tempore, quo comprehenderunt te iniquitates quàm horrenda, quàm ſcandaloſa feciſti in tuo carcere? Et quomodò potuiſti ſine rubore? *Non potui ut viderem.* Fruerat diabolus oculum meum dexterum, ita contaminaverat intellectum, ut non viderem quid facerem, nec attenderem quid tandem de me fieret. *Non potui ut viderem* pulchritudinem virtutum, turpitudinem peccati, gratiæ Divinæ neceſſitatem, æternitatem gloriæ, & pœnas æternas, *Non potui ut viderem.* Non miremini NN. quod cæcus Captivus noſter non potuerit videre, quomodò enim videre poſſet, qui in continua nocte verſatur, & à tenebrarum Principe regitur, *Sub quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem?* Itane agit diabolus cum ſuis? Quis crederet, niſi nos S. Paginæ idipſum docerent, & quidem in uno ex duodecim Apoſtolis?

12. Joannes 13. recumbens Jeſus cum Diſcipulis ſuis & edentibus illis ait: *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum ſuum.* Ioan. 13. 18. Quæ cum dixiſſet: Turbatus eſt ſpiritu & proteſtatus eſt dicens apertius: *Unus ex vobis tradet me.* Aſpiciebant Vers 21. ad invicem Diſcipuli hæſitantes, de quo diceret, undè à Joanne interrogatus quis eum traditurus eſſet, reſpondit: *Ille eſt cui ego intinctum panem porrexero*, quem cum intinxiſſet Vers 26. dedit Judæ Simonis Iſcariotæ. *Cum accepiſſet ille buccellam exivit continuò.* Non exſpectat ad momentum temporis. Quo tendis Juda? exſpecta donec dictæ ſint gratiæ, aut ſaltem petas à Magiſtro tuo ſolitam benedictionem. Cur cum tanta inurbanitate exis *continuò*? Joannes, Vers 30. qui Chriſto à ſecretis eſt, feſtinum Judæ diſceſſum deſcribens addit rationem: *Continuò exivit, erat autem nox.* Quid inde? quia nox erat ideò manere debuiſſet, ne periculo læſionis aut mali occurſûs ſe exponeret. Eccleſiæ Doctor D. Ambroſ. Lib. de Caïn & Abel cap. 4. dicit, quod Judas non potuerit aliter agere, quàm nocte exire continuò: *Quia*, inquit, *introivit in eum ſatanas, & ubi ſatanas immiſcuit ſe in corde Judæ, Chriſtus receſſit ab eo*: Cum diabolus ſit pater tenebrarum non potuit aliter agere, quàm obtenebrare animam Judæ, & de tenebris per tene-

Erat Iudas durante captivitate nox continua.

S Ambroſius.

tenebras ducere, hinc continuò noćte vadit, ut divinum Magiſtrum ſuum tradat, adeò excæcatus, ut nec Deicidium horreat, nec propriam vitam, nec unicam curet animam ſuam. Numquid idem contingit tecum, pauper Captive, tenebrarum catenâ vinćte? Numquid ad perpetranda nefanda quæque exis continuò *ad ipſius voluntatem*? Quid mirum? *erat autem nox*, in noćte vivis, ubi ſatanas pater tenebrarum ita immiſcet ſe in corde tuo, ut etiam ipſa meridies tibi nox ſit: Non recedo à Juda, ut melius capias quò te velim.

13. Diaboli mos eſt, quod cum boni aliquid faciendum eſt, excæcet ſuos, cum autem peccandum, tunc mille modis illuſtret intellećtum, tunc mille ſuggerat occaſiones, media, adinventiones, tunc tædas accendit cum lucernis. Teſtis mihi eſt Judas, ille in noćte illa, de qua ſcriptum eſt: *Et nox ſicut dies illuminabitur*, ſumpturus Chriſti corpus cæcus erat; adeòque tenebrarum vinćtus catenâ, ut ſolem juſtitiæ non videret: nec mirum, quia duplex illi nox erat, ex tunc illis annumeratus, *Quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum.* Hinc bene, ut ſolet, D. Ambr. *Meritò hic non videbat, quia Chriſtum non quærebat.* At dum vinciendus & capiendus erat Chriſtus, dum executioni mandaret, quod diabolus miſerat in cor ejus, ut traderet eum: Quomodo tunc non illuſtratus? primus erat capientium eum, quot tunc facibus, quot tunc lucernis & luminibus inſtrućtus? Non erubeſcis, Captive, dum hęc audis dum ſentis & experiris illa eti-

Peccator ad bonum cæcus, ad mala videns.

Pſal. 138. 12.

Judæ vers 13.

S. Ambroſ.

am de te & in te verificari? Vis paucis quomodo tecum agat diabolus? ſicut auceps cum falcone.

14. Auceps domitor, velatum falconem ſuper manum aut brachiũm portat ſecundùm voluntatem ſuam, nec movet ſe ille ad volatum, quaſi volare neſcius; rationem ſcitis, quia velatos habet oculos: ita diabolus (*Sub quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem*) portat ſuos quò vult juxta illud 1. Reg. 2. *Impii in tenebris conticeſcent*, non moventes ſe neque ad pœnitentiam, neque ad Deum; quia velatos habent oculos intellećtûs. Velis nolis, miſer Captive, debes fateri quod ſic tecum agat diabolus, ſub quo captivus teneris ad ipſius voluntatem, ſic ut in tenebris illis conticeſcas: Si tu veritatem fateri renuas, audi illam ex ore quondã unius captivi. Magnus Aug. ex carcere liberatus & ſolutus à vinculis, Deum alloquitur cap. 33. Soliloquior: *Converſus ſum & vidi tenebras in quibus fueram, & abyſſum tenebroſam in qua jacueram, & contremui, & expavi, & dixi: Væ, væ, tenebris meis, in quibus jacui: Væ, væ cæcitati illi, in qua videre non poteram lumen Cœli:* Non cognoſcebam cæcitatem & caliginem mentis meæ. Et quis obſecro excæcaverat intellećtum ejus? Quis catenam injecerat? niſi diabolus, quando captivus ejus fastus eſt. Ille ille ipſe eſt, qui te in carcerem miſit, & vinxit catenis duabus. Si adhuc modicum lumen in te eſt, rogo te cum Jerem. cap. 33. *Contere jugum ejus de collo tuo, & vincula ejus diſrumpe.* Dic cum Pſalmiſta pſ. 17. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras*

Excæcatum ducit diabolus quo vult.

1. Reg. 2. 9.

S. Auguſtin.

Ierem. 30. 8.

Pſalm. 17. 29.

meas; ne fortè tibi contingat, quod contigit Heli.

15. 1. Reg. 3. Heli jacebat in loco ſuo, & oculi ejus caligaverant, *Nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur*: Non poterat Heli videre lucernam Dei, quæ pendebat in tabernaculo. Quamdiu ardebat videre non poterat, quando extinguebatur & fœtere cæpit, tunc deprehendit lumen extinctum eſſe. Pauper Heli, pauper peccator! qui cæcus factus es prę multitudine peccatorum, dum lampas Dei ardet, non vides, quia catenâ tenebrarum vinctus eſt intellectus tuus: Non vides clarum lumen gratiæ divinæ quamdiu ardet, quando extinguetur lucerna, quando Deus juſtè ſubtrahet ſuaves gratiæ ſuæ radios, tunc fortè illos deprehendes damno tuo infinito: tunc fortè voles aperire oculos tuos, & quęrere viam, ſed vereor ne per tenebras ad tenebras ducaris æternas.

1. Reg. 3. 3.

Excæcatio cordis quanta ſit pœna.

16. Matthæus Evang. rogat te cap. 24. *Orate ne fuga veſtra fiat in hieme vel Sabbatho.* In quæ verba commentans Eccleſiæ doctor D. Gregorius ait: *In hieme vel Sabbatho fugere conatur, qui iram diſtricti judicis tunc appetit fugere, quando ei jam non licet ambulare.* Sed quomodò ambulabunt? prædicit illis Propheta Sophonias cap. 1. *Ambulabunt ut cæci?* quare, *ut cæci*? Reſpondet D. Hieronymus cum Abulenſi: *Quia lumen perdidère virtutum, locum pœnitentiæ non habebunt, & hæc patientur, quia Domino peccaverunt, ambulabunt ut cæci non potentes invenire rectam viam.* Idipſum experturi quod illi, de quibus Sapient. 19. *Percuſſi ſunt cæcitate ſicut illi in foribus Juſti Geneſ. 19. cum ſubitaneis coöperti eſſent tenebris, unuſquiſque tranſitum oſtii ſui quærebat.* Vereor ne id tibi contingat, excæcate Captive, ne modò in tenebris ambulans, tunc tam denſas tenebras ſis incurſurus, quod non poteris aditum conſcientiæ tuæ reperire, conſequenter nec viam ſalutis. Fortè tunc: *Dominus percutiet te amentiâ & cæcitate, ut palpes in meridie, ſicut qui palpat in tenebris, & non dirigas vias tuas*, vias nempe æternitatatis. Roga erga Deum, ut modò aperiat oculos tuos, ne tunc de te dicatur: *Uſque in æternum non videbit lumen.* Sed ecce Salvator venit ſolvere te de vinculo. Dic ergò illi ex nunc, *O Oriens ſplendor lucis æternæ, & ſol juſtitiæ, veni & illumina ſedentem in tenebris & umbra mortis.* Dic per ſacratiſſimum Adventum Domini cum cæco Evangelico: *Domine ut videam.* Et vos NN. mei, qui adhuc apertos habetis oculos, cuſtodite illos, attendite ne viſum veſtrum perdatis. Privatio oculi dexteri malum eſt ſuper omne malum, ut aſſerit Auguſtinus in pſalm. 57. *Obſcuratio cordis, excæcatio mentis parva eſt pœna? ſi quis furtum faciens, ſtatim oculos perdidiſſet, omnes dicerent Deum præſentem vindicâſſe, oculum cordis amiſit, & ei peperciſſe putatur Deus?* Itane?

Matth. 24. 20.

S. Gregor.

Sophon. 1. 17.

S. Hieronym. Abulenſ.

Sap. 19. 16.

Deut. 28. 29.

Pſalm. 48. 20.

Luc. 18. 41.

S. Auguſtin.

17. Actor. 13. 10. Sergius cupit audire Paulum prædicantem & Barnabam, reſiſtebat autem illis Elymas magus, quærens divertere Proconſulem à fide. Paulus repletus Spiritu ſancto intuens in eum dixit. *O plenè omni dolo, & omni fallaciâ, fili diaboli, inimice omnis juſtitiæ, non deſinis ſubvertere vias Domini rectas: & nunc manus Domini ſuper te, & eris cæcus*

Actor. 13. 10.

non

non videns ſolem uſque ad tempus; & confeſtim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circuiens quærebat qui ei manum daret, tunc Proconſul cum audiſſet factum, credidit. NN. audivimus quomodò Captivus noſter vinctus fuerit catenâ tenebrarum, oculum cordis amiſerit, & audientes vix movemur, imò amiſſio illa vix nobis cordi eſt. *Multi de tenebris euntes in tenebras neſciunt ubi corruunt, miſeri,* S. Auguſtin. *quia neſciunt quid amittant.* Ita Aug. in Sol. cap. 34. putant ſe videre & cæci ſunt, pauperes, nudi, & miſerabiles: S. Bernard. Sed inquit Mellifluus Bern. vulgò dicitur: *Quod oculus non videt, cor non dolet.* Numquam dolemus malum, Prov. 24. 16. quod non cognoſcimus. Hinc Prov. 24. 16. *Septies cadit juſtus & reſurgit*: Pauca addit Bernard. verum eſt re- S. Bernard. ſurgit: *Si tamen in die cadat, ut ſe cadere videat & cecidiſſe ſe ſciat, & reſurgere cupiat, & manum adjuvantis requirat.* Loquor ergò, & concludo cum pſalm. 33. *Accedite ad eum & illu-* Pſalm. 33. 6. *minamini & facies veſtræ non confundentur.* Rogate Deum cum Apoſtolo Petro 2. Petri 1. *Ut Lucifer oriatur in* 2. Petri 1. 19. *cordibus veſtris*: Et ego cum coapoſtolo ejus Paulo Epheſ. 1. *Non ceſſo* Eph. 1. 16. *gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis, ut Deus, Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater gloriæ, det vobis Spiritũ ſapientiæ & revelationis, in agnitione ejus, det vobis illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis.* Amen, amen.

FERIA V. DOMINICÆ I. ADVENTUS.

De captivitate Petri.

Petrus ſervabatur in carcere vinctus catenis duabus. Actor. 12.

1. HErodes qui Petrum unâ vinxerat catenâ, ad majorem ſecuritatem addit & alteram, vincitque eum catenâ duplici, *Vinctus catenis duabus.* Vinciat ut voluerit, ipſa vincula, quibus vincit Apoſtolum, adeò cum tempore exaltabuntur, ut mundus univerſus illa veneraturus ſit, & præpoſiturus coronis omnium Regum terræ, S. *Petrus duabus vinctus catenis.* M. Eccleſia de illis ſit celebratura ſolemne feſtum; undè congratulandum potius Petro, quàm condolendum. Sortem tuam dolebam heri, Captive, dum inter ſedecim milites vinctum te videbam, catenâ obtenebrati intellectûs: ſed neque hìc ſiſtit inimicus tuus, melius dixero, tyrannus tuus: ne manus ejus effugias debet te arctius ſtringere, & non unâ tantùm, ſed duabus vincire catenis, non ſolum intellectum excæcando, ſed voluntatem indurando. Hoc hodie tibi oſtendo. Dignemini me vos omnes benignâ attentione. Incipio.

2. Excæcationem intellectûs ordinariè ſequitur cordis induratio. Si *Excæcationem ſequitur induratio.* quis ſcire deſideret unde induratum ſit cor Pharaonis, conſulat ſacras Pa

ginas

Exod, 10. 28 ginas Exodi 10. inveniet illam induratione m ortum duxiſſe ex horribili illa eclypſi, ex denſiſſimis & adeò palpabilibus tenebris, ut nemo videre potuerit fratrem ſuum, nec movere ſe de loco, in quo erat. Tunc induratum eſt cor Pharaonis: Tunc dixit Moyſi: *Recede à me & cave* Excæcatus nihil curat. *ne ultrà videas faciem meam, quocumque die apparueris mihi, morieris.* Numquam ſic locutus fuerat Pharao, econtrà preces ejus poſtulaverat; At induratus, nec miracula curat nec minas, flagella non ſentit, ſed Moyſen execratur & Deum. Pauper Captive, à tempore, quo vinctus es catenâ tenebrarum, quàm es mutatus! ſpernis monita, exhortationes non audis, minas rides, non plus moveris, quàm ſi rupes fores, quin imò audes dicere monitori tuo: *Recede à me, & cave ne ultrà videas faciem meam.* Ut video vinctus es catenis duabus, non ſolùm habes intellectum excæcatum, ſed & cor induratum. Audi (ſi non etiam inſurdeſcas in aure cordis) quomodò Job deſcribat miſerum ſtatum tuum.

Job. 41. 15. 3. Job. 41. *Cor ejus indurabitur tamquam lapis.* Dicat Mellifluus quid S. Bernard. ſit cor durum. lib. 1. de Confeſſ. ſic loquitur: *Cor durum ipſum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur, ingratum* Captivus induratur tamquam lapis & cor durum quid ſit. *ad beneficia, ad conſilia infidum, ad judicia ſævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanũ ad humana, temerarium ad Divina, præteritorum obliviſcens, præſentium negligens, futura non prævidens, & ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipſum eſt, quod nec Deum timet, nec homines veretur.* Sic ille: Cor durum habet, qui poſtquam peccavit pœnitere neſcit, nec compungi ad pœnitentiam, ad quam tamen Deus eum exſpectat, piè patiens injurias Sanguini ſuo pretioſo illatas: ſed ideò cor illud non mollitur: *Nec pietate mollitur.* Si amici rogent, ut non tamdiu maneat inconfeſſus, tollat lapides offenſionis, & auferat ſcandala; *Nec movetur precibus.* Si Divini verbi præcones buccinent, & ex parte Dei mortem ſubitaneam, tremendum Dei judicium, pœnas æternas minentur, *Minis non cedit.* Si Deus ipſe à minis deſcendat ad flagella, immittat infirmitates, infamias, jacturam bonorum, occaſum familiæ, *Flagellis duratur.* Si dicatur illi, ut recordetur creatum ſe ad gloriam, redemptum Chriſti Sanguine, cibatum Carne Deificâ: *Ingratum ad beneficia.* In conſiliis non attendit ab publica, ſed privata: Non quod juſtum, ſed quod utile curat, *Ad conſilia infidum.* Cogitat malum de omnibus, judicat de unoquoque peſſimum, neſcit compati nec dimittere, *Ad judicia ſævum.* Nil tam impudicum quin committat, nullo habito reſpectu perſonarum & locorum, ſed omni exuto pudore, *Inverecundum ad turpia.* Hinc ad omnia præcipitia præceps, beſtiarum inſtar. *Impavidum ad pericula.* Sine fide in verbis, non ſervat juramenta. *Inhumanum ad humana.* In locis Sacris ſine reverentia, Sacramenta tractat ſacrilegè: *Temerarium ad Divina.* Præteritæ malæ vitæ immemor, *præteritorum obliviſcens.* Præſentia non curat, *Præſentium negligens.* Futura ne quidem cogitat, *Futura non prævidens.* Cor durum quot vitiis infectum.

Leges

Leges Divinas & humanas calcat, & Divinæ Majeſtatis offenſam poſtponit exiguo mundano intereſſe. *Ipſum eſt quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.* Quid tibi videtur Captive, numquid ita tecum agitur, ſignanter poſt tàm diuturnam incarcerationem? Eſtne vel verbum à Bernardo dictum, quin verificetur de te? Ab excæcatione intellectûs tui, numquid induratum eſt cor tuum tamquam lapis? Pietate non molliris, precibus non moveris, minis non cedis, induraris flagellis, ingratus ad beneficia, inverecundus ad turpia, impavidus ad pericula, inhumanus ad humana, temerarius ad Divina, præteritorum obliviſcens, præſentia negligis, futura non prævides, nec Deum times, nec homines revereris; ita ut fateri debeas, velis, nolis, quod potius moveretur lapis, quàm cor tuum. Si loqui poſſet Os aureum, diceret tibi Chryſoſtomus in faciem, quod quondã Regi dixit Jeroboam.

5. 3. Reg. 13. Mittit Deus Prophetam ſuum ad Regem Jeroboam, ut increpet eum de Idololatriâ factâ in deſpectum Dei Iſraël; dum ſtat ad aras Rex impius & induratus, ad altare converſus Propheta exclamat: *Altare, altare, hæc dicit Dominus.* D. Chryſoſt., quaſi præſens fuiſſet, Prophetam alloquitur: *Cum lapide verba facis?* Lapidem putas aures habere? Vix Propheta ſermones finierat, extendit Rex manum dicens: *Apprehendite eum*, & in carcerem mittite, & induratum eſt cor ejus: *Altare quoque ſciſſum eſt*: Stupet D. Chryſoſt. ſuper hoc miraculo, & perſonam induens Prophetæ ait: *Rex audivit me, compunctus non eſt, lapis audivit, & in ſciſſura confractus eſt.* Tandem Regem aggreſſus, illi improperat: *Lapide inſenſibilior factus eſt homo rationalis.* Captive, à tempore captivitatis tuæ, à tempore, quo vinctus es catenis duabus, quoties non es monitus à Confeſſario, Concionatoribus, & amicis, ut diſſolveres vincula colli tui? At quo fructu? Tam multùm his compunctus es, ut potius lapis moveretur, quàm induratum cor tuum; Sic ut cum Chryſoſtomo audeam tibi dicere in faciem: *Lapide inſenſibilior es, homo rationalis.* Ne miremini N.N. adeò indurat diabolus captivos ſuos, & quidem volentes, ut licet Deus ipſe loquatur, eum non audiant, melius dixero, audire nolint.

3. Reg. 13. 2.

D. Chryſoſt.

Peccator eſt lapide durior.

6. Iſaiæ 46. v. 1. 12. 13. *Audite me duro corde, qui longè eſtis à juſtitia, propè feci juſtitiam meam, non elongabitur, & ſalus mea non morabitur.* Licet vox illa Divina alta fuerit, & ſonora, corda tamen lapidea movere non potuit. Audite aurea Oris aurei verba, Homil. 19. in Geneſim. *Quemadmodùm incurabilia vulnera, neque auſteris medicamentis cedunt, neque lenientibus, ita & anima ſemel captiva, ſi ſe peccato cuipiam obnoxiam fecerit, & conſiderare noluerit, quæ ſibi ſunt utilia, etiamſi quis innumera inculcet illius auribus, nihil proficiet: ſed quaſi mortuæ eſſent aures, nullam ex admonitione ſuſcipit utilitatem, non eſt apoplexia anima. quia non poteſt, ſed quia non vult.* Induratio eſt quædam Apoplexia cordis, ſicut enim apoplexia corporalis hominem privat omni ſenſu & motu, ita qui hoc inteſtino fulmine

Iſaiæ 46.

S. Chryſoſt.

Induratio

 percuti-

percutitur, jacet attonitus, totus extra ſe, apertis oculis, ſine motu, ſine ſenſu, ſine mente, ſic ut ex ſola reſpiratione tantùm notetur ſignum aliquod infirmæ ac languentis vitæ. Apoplexia cordis, animam adeò inſenſibilem reddit & immobilem, ut infelix vix reſpirare poſſit: & licet Deus potenti voce ſuâ interius clamet, tamquam ſurdus non audit, & tamquam inſenſibilis non ſe movet, Deo ipſo teſtante Jeremiæ cap.

Ieremiæ 7. 7. 25. *Miſi ad vos omnes ſervos meos Prophetas per diem conſurgens diliculò & mittens. Et non audierunt me, nec*

Induratio quaſi incurabilis.

inclinaverunt aurem ſuam, ſed induraverunt cervicem ſuam, & pejus operati ſunt, quàm patres eorum. Audiatur modò D. Greg. Nazianz. orat. 28.

D. Gregorius Nazianz.

Propè finem: *Corruptela tua Iſraël quis ſuccurret? Quod medicamentum nanciſcar, cicatricis obducendæ vim habens? Quâ faſciâ vulnus hoc obligabo? Quomodò disjuncta connectam? Quibus lacrymis? Quibus verbis? Quibus precibus huic calamitati medebor?* Quem ego fructum à te exſpectem niſi illum, quem Stephanus protomartyr habuit?

7. Act. 7. Perfidæ nationi hebrææ concionabatur Stephanus voce non tam humanâ quàm Angelicâ, nihilominùs non ſolùm non emolliebantur ſaxea illorum corda, verùm tamquam ſilices ignem in Sanctum evomebant: *Diſſecabantur cordibus ſuis*, non ſuſtinentes monitiones, quas faciebat: *durâ cervice*

Actor. 7. 54. *& incircumciſis cordibus & auribus vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis: ſicut Patres veſtri, ita & vos.* Res mira! Dum lapidabatur Stephanus, velut manſuetiſſimus agnus tacebat; at videns illos adeò induratos, ut ad veritatem luce clariorem, recalcitrarent, ardens Sancto Zelo conabatur emollire eorum corda, ſaxis & lapidibus duriora. Quærit D. Auguſtinus in Pſalm. 123. *Quando debuit Stephanus plus iraſci?* S. Auguſtin. *Quando lapidabatur, aut quando non audiebatur? ecce mitis factus eſt cum lapidaretur, & ſæviebat cum non audiretur.* Tempore paſſionis ſuæ orat pro lapidantibus ſe: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.*

Iudæi prædicante Stephano lapidibus duriores.

Qualem effectum, habuerunt verba illa Hebræi. *Quaſi aſpidis ſurdæ* Pſalm. 57. 5. *obturantis aures ſuas: Continuerunt aures ſuas.* Magis excandeſcentes in illum, & verba quæ cœlum aperiebant: *Ecce video cælos apertos*: aures illorum aperire non potuerunt, inquit Auguſt. *Verba Levitæ, quæ cælos potuerunt diſrumpere, aures Judæorum non potuerunt aperire.* Noli Job, noli ultrà dicere, quod cœli ſint *Solidiſſimi quaſi ære fuſi*, Iob. 37. 18. ſolidiora ſunt Judæorum corda. Nec mirum quod illi tam duri fuerint, quia erant captivi diaboli, vincti catenis duabus, obtenebratum habentes intellectum, & induratam voluntatem. Necdum, Captive, intendis fateri te vinctum catenis iſtis, non ſolum te excæcatum à diabolo, ſed & induratum? Ingemiſco dum lego, quod Spiritus ſanctus de te, & concaptivis tuis dicit.

8. Prov. 18. *Impius cum in profundum venerit, contemnit.* Prov. 18. 3. Notate hic ſimpliciter dici *Contemnit*: nullum determinari genus comtemptûs, ut quiſque ſciat, induratum in omne malum habenas laxare.

Induratus contemnit omnia.

Da indurato conſilia opportuna, *Contemnit.* Intenta minas, *Contemnit.* Exaggera

ra

ra injutiam Deo illatam, *Contemnit.* Oſtende illi infernum apertum, *Contemnit.* Dic illi quod animam
S. Auguſtin. ſuam damnet, *Contemnit.* Verbo dictum: omnia *Contemnit.* *Contemnit* correctiones, *Contemnit* preces, *Contemnit* præmia, *Contemnit* pœnas, *Contemnit* homines, *Contemnit* Deum, non veretur dicere: *Quis noſter Dominus eſt?* adeò induratur corde, præceps in omne malum, ut peccatum ſit ei tamquam Zona, juxta illud Pſalm.
Pſal. 108. 19. 108. *Fiat ei ſicut zona quâ ſemper præcingitur:* Quaſi diceret juxta Aug. Quod aliquis excæcatus & induratus ad malè agendum, ſemper ſit agilis, ſemper ad peccandum liber, laſſetur numquam, de iniquitate non ſolùm vivat, ſed & impinguetur
Pſalm. 72. 7. ex ea. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Tam induratus, ut non ſolùm reſiſtat divinis jaculis, ſed & illa in vibrantem retorqueat. Explico me; Sagittæ miſſæ in elephantem, non feriunt, non penetrant, ſed ante pedes ejus cadunt mortuæ, quia elephas duræ eſt pellis, ſed ſagittæ emiſſæ in ſcutum æneum, non ſolùm cadunt in terram, at in ferri duritie, novos impetus reſumentes reſultant in ſagittarium. Cor, à diabolo excæcatum, paulatim ita induratur, ut non ſolùm reſiſtat Divinæ bonitatis jaculis, ſed illa retorqueat in Deum, tantò liberius peccando, quantò magis eum Deus ad pœnitentiam expectat: ſic ut ex centum induratis vix unus verè reſurgat & pœniteat. Audax dictum! ſed verum.

Induratus repercutit in Deum Divina jacula.

9. Joan. 11. Chriſtus reſuſcitaturus
Ioan. 11. 39. Lazarum ſorores interrogat: *Ubi poſuiſtis eum?* Non quod locum ignoraret, ſed ut latens panderet myſteriū, at illæ oſtenderunt locum. Dicit Evangeliſta: *Erat autem ſpelunca.* B. Albertus Magnus, Lyranus, & alii, opinantur, quod ſpelunca illa fuerit locus, in quo multi fuerant ſepulti. Clamat ergò Chriſtus: *Lazare veni foras.* Solus audit Lazarus vocem clamantis, ſolus reſurgit, Et fortè illa una eſt ex rationibus cur Chriſtus tunc fleverit, ut credit D. Chryſoſtom. Serm. 64. *Quia ſolum Lazarum & non omnes mortuos reſuſcitabat.* Vox Chriſti in toto reſonabat loco, ſolus illam audiebat Lazarus, ſolus reſurgebat. Numquid idipſum videmus indies? veniant centum indurati, clamet Chriſtus per Concionatores: *Lazare veni foras*, relinquite carcerem, ſolvite vincula colli veſtri, ex centum unus audiet Lazarus, unus reſurget; & ſi verè reſurgat, dic tunc audacter te quaſi miraculum videre.

Ex centum induratis pauci verè convertuntur. Vers 43. S. Chryſoſt. Vers 43.

10. Matth. 27. Pendens Chriſtus in Cruce, *Cum clamore valido*; Ut ait Apoſtolus ad Hebræos 5. *Et lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Offerens Patri victimam infinitè ſatisfactoriam pro peccatis totius mundi. *Petræ ſciſſæ ſunt*, ut omnes notant Evangeliſtæ, *monumenta aperta ſunt.* Eſtne poſſibile? Non ultrà ſeſe hîc continet D. Ambroſius Lib. 10. in Lucam: *O duriora ſaxis pectora Judæorum! ſcinduntur Petræ, ſed horum corda durantur, horum immobilis duritia manet, orbe concuſſo.* Quid ad hæc Captive diaboli? Nonne & tu ex illis es? audis paſſionem Dominicam, audis quanta pro te paſſus ſit Filius Dei, juſti & timorati, qui adſunt, moventur

Hebr. 5. 7. S. Ambroſ. *Orbe concuſſo non moventur corda induratorum.*

ad lacrymas: *Petræ ſciſſæ ſunt.* Buccinant Præcones Domini,& tubâ intonant tremendum judicii diem; qui ex fragilitate mortuam & ſepultam habent animam, tanguntur ad lacrymas. *Monumenta aperta ſunt*, reviviſcunt mortui per ſacram exomologeſim. Et tu indurate, lapide durior, manes immobilis, *Orbe concuſſo*, dum alii Sancto concutiuntur timore. Si Moyſes tibi adeſſet, licet non ſemel virgâ ſuâ percuteret te, vereor ne prius ex petra aquam, quàm ex corde tuo lacrymas eliceret. Non fabulas narro: ex indurato corde lacrymas elicere, dico miraculum eſſe non parvum.

Num. 20. 11. 10. Numeror. 20. jubente Deo, congregatâ multitudine ante petram, *Percutiens Moyſes bis ſilicem: egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ.* Quis non exclamet, grande miraculum! 1. Reg 24 David in ſpelunca Engaddi latitans, oram Clamidis Saülis perſequentis eum, abſcidit: *Quâ viſâ Saül levavit vocem ſuam & flevit.* D. Chryſoſtomus utrumque caſum perpendens dicit ſenſa cordis ſui: *Non proinde miror Moyſem quod è ſaxo prærupto fontem elicuit aquarum, ut admiror Davidem, quod ex oculis lapideis fontes eduxerit lacrymarum;* Adeò indurat diabolus captivos ſuos, ut facilius (etiam hodie) aliquis ex petra aquas eliceret, quàm ex cordibus eorum aquam lacrymarum. Te, Captive, unum ex omnibus teſtem volo; Numquid veriſſimum, quod adeò induratus factus ſis, ut ſive de Deo, ſive de Chriſti morte, ſive de inferno, aut æternitate ſermo fiat, non plus movearis, ac ſi eſſes lapideus? vel ſi ſortè guttula elici

1.Reg.24.17.

S. Chryſoſt.

Majus miraculum ex oculis indurati lacrymas, quam ex petra aquam elicere.

poſſet ex oculis tuis numquid miraculum foret non parvum, quod nec fieret niſi de potenti manu Dei? Probo quod aſſero.

12. Exod. 31. Deſcendenti Moyſi de monte: *Dedit Dominus duas tabulas teſtimonii lapideas ſcriptas digito Dei.* Quæro, cur Deus non dictet Moyſi ſcribenda in tabulis, ſed Divino voluerit digito ſuo illa ſcribere? per lapides intelligunt Sacræ Paginæ, indurata corda: Si in charta lex ſcribenda foret, Moyſes ſcriberet, Deo dictante, at ut in duris lapidibus ſcribatur, digitus Dei erat neceſſarius: ut in cordibus lapideis lex ſcribatur, opus eſt digito omnipotentiæ Dei, ita Gualfridus Abbas: *In lapideis tabulis ſolùm Dei digitus ſcribit, qui potens eſt de lapidibus filios Abrahæ ſuſcitare:* Faciat Deus miracula innumera, non movebuntur indurata corda lapidea, niſi ſcribat digitus Dei in tabulis iſtis lapideis: hoc in te indubiè experiris, Captive: *Quoniam*, cum D. Chryſoſt. loquor Hom de pœnitent. *Lapide ipſo factus es inſenſibilior*, habes tibi ſimilem.

Exod. 31. 18.

Solus digitus Dei ſcribit in corde lapideo.

Gualfridus.

D. Chryſoſt.

13. Exod 7. Tentaverat Deus per manum Moyſi prodigiis multis terrâ marique emollire cor indurati Pharaonis, at fruſtra; Quia vim inferre noluit libertati arbitrii: *Multiplicabo*, inquit, *ſigna & oſtenta mea in terra Ægypti*, An tunc cedet? quaſi verò: manus illa, quæ convertit virgas in ſerpentes, aquas in ſanguinem, arenam in ranas & muſcas, manus illa, cor emollire non potuit induratum; Manus illa, quæ tribus diebus immiſit tenebras, quibus Ægyptii erant colligati, denſiores

Exod. 7. 3.

Cor induratũ nullis movetur miraculis.

&

& palpabiliores tenebras reperit in corde indurato : Manus illa, quæ omnia elementa domabat, domare non potuit cor durum. Quis hìc non obſtupeſcat! Audite Petrum Cellenſem : Videt Pharao primogenitum ſuum, & omnes primogenitos Ægypti morte plexos, videt mare rubrum diviſum in duas partes, & liberum dare tranſitum filiis Iſraël, videt germinantem campum de profundo maris : & ita indureſcit, ut dicat : *Perſequar, dividam ſpolia, interficiet eos manus mea, donec ferebatur in profundum.* Do verba Cellenſis : *Decimò percuſſit Dominus omne primogenitum Ægyptiorum, & licet tunc commotus fuerit Rex, non tamen ad pœnitentiam reverſus eſt. O quàm ponderoſum, quàm grave ad levandum, ſeu ad relevandum cor hominis ? laborat manus Omnipotentis eripere, nec liberat; Verbis præmonet, & verberibus urget, nec tamen de fovea ſua beſtiam ſævientem extrahere poteſt.* Videtis quomodò nec miracula proſint, nec ſigna externa, niſi ipſe Dei digitus ſcribat in corde lapideo? Sic agit & indurat diabolus ſuos captivos. Et tu miſer, hæc noſti, & necdum tibi conſulis? ſaltem ad noviſſima tua attende, ne fortè tunc pejus tibi contingat quàm nunc : Non hiſtoriolas narro, ſed produco in induratum à Deo latam ſententiam.

Petr. Cellenſ.

14. Eccli. 3. *Cor durum malè habebit in noviſſimo:* Ad hæc verba Mellifluus Bernard. Lib. 10. de Conſid. *Nemo duri cordis ſalutem unquam adeptus eſt, niſi fortè miſerans Deus abſtulit ab eo, juxta Prophetam, cor lapideum, & dedit ei cor carneum.* De catena indurationis loquens, dicit ſimpliciter : *Nemo unquam*, ſed loquens de diſſolvenda catena, addit fortè : *Niſi quem fortè.* Audis hæc, captiva anima, vincta anima, perſeverans in tuo carcere? Conſule tibi, ſi ſapias, ne fortè tam arctè ligeris, ut catena fiat infrangibilis; Si Deus te intrà vel extrà ad pœnitentiam vocet, ſi per ſuos offerat ſolvere vincula colli tui, & rumpere catenas quibus es vincta, & ſolvi recuſes, attende, ne tibi contingat in morte, quod Regi Balthazaro contigit.

Eccleſ. 3. 27.

S. Bernard.

Cor durum male habebit in noviſſimo.

15. Dan. 5. Faciens Rex ille grande convivium optimatibus ſuis, jam temulentus juſſit afferri vaſa aurea & argentea, quæ aſportaverat pater ejus de templo, quod fuerat in Jeruſalem, ut biberent ex eis ipſe, optimates, & uxores ejus, & concubinæ: ſed ecce: *In eadem hora apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ Regiæ*: Scriptura autem erat hæc: *Mane, Thecel, Phares* : Quibus verbis Deus Regi vicinam mortem indicabat. Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur. Quæro : cur manus ſcribentis ſit contra candelabrum, & cur in aula Regia ? cur non ſupra portam palatii ? aut alio in loco ? Ad omnia reſpondet D. Hieronymus. *Videntur digiti in pariete ſcribentes juxtà candelabrum, ne manus & id quod ſcribebatur longiùs à lumine, non paterent.* Non ſcribit in tenebris, ſed in luce, ut videret Rex digitos, & Scripturam legeret, nullamque excuſationem haberet, quod non vidiſſet: Scribunt digiti

Dan. 5. 5.

S. Hieron.

Vers 30.

digiti in pariete aulæ Regiæ, *Ut intelligat Rex ad ſe pertinere quod ſcribitur.* Quis fructus indè ſecutus? *Eâdem nocte interfectus eſt Rex Balthazar.*

Induratus non movetur externo lumine.

Erat hic vinctus catenis duabus, intellectum habens excæcatum, & induratam voluntatem. Quid prodeſt candelæ lumen animæ excæcatæ? Quid prodeſt Scriptura in pariete, aut in lapide, ſi manus Divina non ſcribat in corde lapideo? Neque hic ſiſtit diabolus cum ſuo ſic vincto captivo. Sic excæcato & indurato ad perpetuam ſervitutis memoriam, imprimit in fronte ejus nomen ſuum, uti olim ſolebant Domini mancipiis ſuis, ut ab omnibus agnoſcerentur cujus eſſent mancipia. Teſtatur hoc Joannes Apoc. 13. 16.

Apoc. 13.

Et faciet ſervos habere characterem in manu ſua, aut in frontibus ſuis nomen Beſtiæ. S. Vincentius Ferrerius ſerm.

S. Vincentius Ferrerius.

Dom. 22. Pentecoſt. declarat, hoc apertius dicens, quod: *Quando anima avertitur à Deo terribilis ei titulus inſcribitur in fronte.* Quis obſecro titulus iſte? hic: *Lucifer diabolus, Rex peccatorum.* Cui ad perpetuam ſervitutem obſtringuntur, utpote vincti: *A diaboli laqueis, à quo Captivi tenentur ad ipſius voluntatem.* 2. Timot.

2. Timoth. 2.

2. 26. Nec ſufficit illi vinxiſſe captivum ſuum catenis duabus, & tamquam mancipium ſuum ſignâſſe ſignaculo ſuo, ad majorem dejectionem, imponit jugum collo ejus, ut ducat eum ad ſuam voluntatem, ipſo fatente Captivo Thren.

Thren. 1.

1. 14. *Vigilavit jugum* (*ligatum eſt jugum*, legit Agellius) *iniquitatum*

Agellius.

mearum in manu ejus convoluta ſunt, & impoſita collo meo. Itaut miſer cogatur ſub tanto jugo ſemper curvus incedere: *Ne Cœlum videat, ne ſuperna ſapiat, ne Deum aſpectet, ne ad libertatem ſuam perſiſum revertatur authorem; ſed inclinato capite, defixis oculis prono vultu ſub jugo ſemper hoſtis teneatur antiqui.* Cum D. Chryſologo loquor ſerm. 105.

D. Chryſologus.

Et ſic miſerum, velut equum, fræno & habenis pro lubitu flectit, juxta illud Prov. 5. 23. *Funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.*

Prov. 5.

Qui funes, non ut alii, vetuſtate putreſcunt & corrumpuntur. Unde benè Ludolphus Cart. de vita Chriſti part. 2. cap. 26. *Vinculum peccati fortius eſt cæteris, quia licet alia vincula vetuſtate putreſcant & corrumpantur, vinculum tamen peccati ſuâ vetuſtate fortificatur.*

Ludolp. Car.

His diabolus regit miſerum, ſicut eques equum inquit D. Chryſoſtomus: *Peccatores ſunt equi diaboli, quibus diabolus inſidens inſtigat per deſerta facinorum in orbem.*

D. Chryſoſt.

Et his equis utitur in ludum & recreationē, teſte D. Gregorio Lib. 33. Moral. *Ludus eſt dæmonum, cum vagas & inſtabiles animas de vitio rotant in vitium.*

D. Gregorius.

Ipſo de ſe confitente Auguſtino, quondam diaboli ita vincto Captivo. In Soliloq. cap. 6. *Ibam poſt eos, id eſt, cæcus & nudus, & illaqueatus funibus peccatorum, trahebant me poſt ſe in circuitū, de vitio in vitium, & de luto in lutum, & ibam abſque fortitudine.*

S. Auguſtin.

Non ultrà tibi loquor, Captive indurate. Unicum tantùm rogo, ut recorderis verborū Eccleſiaſt. *Cor durum malè habebit in noviſſimo;* Unde dum tempus eſt Adventuale, licet necdum pervenerimus ad ſeptem O myſteriis plena, dic ex nunc cum Eccleſia: *O clavis David & ſceptrum domûs Iſraël*

Eccleſiaſt. 3.

Iſraël, qui aperis & nemo claudit, claudis & nemo aperit, veni & educ vinctum de domo carceris, ſedentem in tenebris & umbra mortis. Et vos NN. qui Captivi diaboli eſtis, necdum tamen indurati: *Ne quis forte obduretur ex vobis.* Hebræor. 3. Pſalmiſta vos alloquitur. Hebr. 3. 14.

16. Pſalm. 94. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundùm diem tentationis in deſerto, ubi tentaverunt me Patres veſtri, probaverunt me, & viderunt opera mea. Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi ſemper: hi errant corde, ipſi verò non cognoverunt vias meas.* NN. vocem Dei audîſtis indies, & inſurdeſcitis in aure cordis: variis modis audîſtis, & auditis modò per inſpirationes: *Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis.* Audîſtis per Conciones: *Ad audiendam vocem ſermonum ejus.* Audîſtis per beneficia: *Vox Domini in magnificentia.* Audîſtis per minas: *Magnus de Cœlo Dominus & Altiſſimus dedit vocem ſuam.* Toties vocem ejus audîſtis, ut fortè inſpirationibus ſuis, exhortationibus & minis, nimis vobis fuerit importunus. *Nolite obdurare corda veſtra in exacerbatione, &c.* Ne ſitis ſicut lutum, quod induratur radiis ſolis, ne lumen quod in prædicationibus, Sacramentis ſubminiſtratur, induret vos. *Nolite obdurare corda veſtra,* ne in vobis verificentur verba, quæ dicta ſunt de filiis Iſraël. *Quibus juravi in ira mea ſi introibunt in requiē meā.* Abſit à vobis, abſit.

Pſalm. 94. — Joan. 3. 8. — Pſal. 102. 20. — Pſalm. 28. 4. — Pſalm. 17. 14.

FERIA VI. DOMINICÆ I. ADVENTUS.

De Captivitate Petri.

Petrus ſervabatur in carcere, vinctus catenis duabus inter duos milites: Act. 12.

Induratus nulla re movetur.

1. NOn potuit diabolus Captivum ſuum fortioribus vincire catenis, quàm excæcando intellectum, & indurando voluntatem. Sic enim illum ad tenebras per tenebras ducit, ut tandem induretur tamquam lapis, imò lapide inſenſibilior, ſic ut facilius aquam ex Petra quàm ex oculis ejus vel lachrymulam quis eliciat. Numquid ex nunc hæc in te experiris, Captive? Non potes diffiteri, quia, nec pietate molliris, nec precibus moveris, non cedis minis, induraris flagellis, ingratus es ad beneficia, inverecundus ad turpia, temerarius ad divina, præteritorum obliveſcens, præſentia negligis, futura non prævides, nec Deum times, nec homines revereris, contemnis cœlum, ſpernis infernum, rides omnia, auſus dicere *Quis noſter Dominus eſt*? Sed quod me angit, eſt, quod non videam quod te ab his catenis eximere queas, quia, ne evadas manus ejus, adhuc nova contrà te, vinctum ſuum miſerrimum, meditatur. De his non loquor, niſi ſalutatâ priùs illâ, quæ ſolvit vincla reis. Dicamus ergò ei *Ave*.

2. Credideram Herodi factum ſatis, dum Petrum vidit carceri incluſum portâ ferreâ obſerato, quatuor quaternionibus militum cuſtoditum, & vinctum catenis duabus; ſed adhuc anxius ne effringat catenas, ſic vinctum ponit inter duos milites, qui ab utroque latere diu noctuque circumſteut, tenentes catenas in manibus ne effugiat. Miſera ſanè Apoſtoli conſtitutio! Si tamen miſera, & non potius feliciſſima! Tua, tua captivitas non ſolùm miſera ſed miſerrima eſt, Captive diaboli. Non ſolum excæcatum habens intellectum, ſed induratam voluntatem, *Ligatus non ferro alieno, ſed ferreâ voluntate*: Ita ut dicere debeas cum Auguſtino, *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat*: Nec tamen ibi ſiſtit: Ut te ſic vinctum tenere poſſit, ponit te inter duos milites, qui ex utraque parte te cuſtodiant, catenas tenentes, ne carcerem effringas. *Duo illi milites ſunt caro & mundus*, inquit purpuratus Ugo: diu noctuque agentes vigilias, unus ab intrà, alter ab extrà: Quàm inſigniter illi ſuas partes agant, ſuoque fungantur officio, hodie venio oſtenſurus. Captive audi me, & vos liberi, qui extrà carcerem eſtis, præbete aures, & attendite, ne aliquandò cadatis in manus illorum. Incipio à primo.

S. Auguſtinus.

Duo milites ſunt caro & mundus.

Ugo Card.

3. Vi-

Nobili captivo obſequuntur milites.

3. Videmus indies, quod, ſi vir nobilis aut qualificatus ſit captus, aſſignentur ei duo vel tres milites ad cuſtodiendum: his demandatur, ut illi in omnibus obſequantur, appetitui ejus ſatisfaciant, in nulla re turbent; ſi ambulare velit, non obſint: ſi comedere, bibere, ludere, non ſe opponant, imò colludant. Jucundantur ſimul, ut vel ſic Captivitas ei dura non ſit (ipſo etiam carceris cuſtode, illi omnia amicitiæ ſigna exhibente.) Sed dum advertunt quod oculos in claves vel portam conjiciat, tunc oſtendunt quales ſint. Sic agit diabolus cum ſuo captivo; ponit inter duos milites, qui in omnibus illi obſequantur. Tradit eum carni, Militi ſuo primario: illi committit, ut eum delitiis ſuis recreet, ſed ſicut Cain Abel, qui fratrem in campum ducit, ut ibi occidat. Sicut Abſolon Ammonem, qui fratrem ad convivium invitat, ſed ut mactet. Sicut Joab Amaſam, quem oſculans & amplectens interficit. Cum iſto milite manet Captivus noſter diu noctuque: dormit cum illo, vigilat cum illo, ambulat cum illo, eidem menſæ accumbunt, ex eodem bibunt calice, eodem nutriuntur cibo, eumdem geſtant habitum, uno eodemque utuntur lecto, aſſident eidem foco, & quod peſſimum, inquit Mellifluus, hunc crudeliſſimum militem: *Nec fugere poteſt* (tenet enim catenam ejus) *nec fugare, circumferre illum neceſſe, imò cogitur ſuſtentare, & permere non licet*: ſic ut diabolus huic ſoli plus fidat militi quàm ſibi, & caro, quæ ſecundùm Bernardum, *Data eſt illi in adjutorium, fiat ei in ruinam, & ſcandalum.* Hinc meritò Petrus Cellenſ. Epiſt. ad quemdam clericum in bibliot. Patrum Tom. 12. p. 2. *Nulla peſtis efficacior eſt ad nocendum, quàm familiaris & domeſticus inimicus noſter. Hic eſt ignis in gremio, ſerpens in ſinu, hæc eſt uxor hominis litigioſa, peſſima caro noſtra: quæ licet ſit vexata doloribus, repleta illuſionibus, infecta ſordibus, afflicta infirmitatibus; licet ſit obnoxia paſſionibus, flagellis trita, plagis cæſa, morti denique deputata, tamen adhuc aculeis contradictionum hiſpida, rebellis, ſuperba, murmuroſa, querulоſa, contumax, inquieta, in ſuum & animæ conjurat exitium: nec poſſe ſatisfieri ſibi putat, donec ſe & animam præcipitet in æternæ damnationis abyſſum.* Verbo dictum: Confidit diabolus magis auxilio hujus militis quàm ſibi, quia plus nocet domeſticus hoſtis. Unde ſi quis in militis hujus manus incidat, licet Rex foret, de Rege fiet mancipium, & abjectiſſimus mortalium. Vultis teſtimoniũ ex ore Regis ſapientiſſimi, quẽ mundus vidit? Noſtis Salomonem, audite loquentem.

Caro in omnibus abblanditur peccatori.

Gen 4.

2. Reg. 13.

2. Reg. 20.

S. Bernardus ſerm. 3. de ſeptem panibus.

4. Eccle. 1. *Ego, inquit Eccleſiaſtes, fui Rex in Jeruſalem.* Quid? *Fui Rex?* Non ergò dum hæc ſcriberet Rex erat? Erat, & manſit uſque ad mortem: quia Roboam ſucceſſit illi in regnum. Dum regnare cœpit, verè Rex erat, nec viſus umquam felicior illo; At dum incidit in illas manus, qui anteà Regum ſapientiſſimus, Rex eſſe deſiit, per hunc militem adeò mutatus, ut amplius non eſſet ſuus, & ſe ultrà regere non poſſet, ſic ut nec 700. contentus uxoribus, accenderetur in omnes, quas

Eccleſ. 1. 12.

Caro de rege facit mancipium.

 videbat

videbat mulieres, non ſolùm illas adorans ut idola, ſed relicto Deo vero, incenſum idolis earum offerens, tam horrendus factus idololatra ac mundus vidit. Quis ſimilem Regem dixerit? Nec ipſe Salomon ſe, unde ait: *Ego fui Rex.* Antè regebam, jam regor: antè ſapientia, modò me caro, modò me vinctum tenet hic miles, in tantùm, ut licet coronam geſtem in capite, cor habeam ſtrictius catenatum, quàm in triremibus remiges per tranſtra ad ſcalmos conſidentes. An fortè ideò rogat Romanos Apoſtolus: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis veſtris?* ſic eſt: Nota ly *regnet* & *obediatis*, & dicite quod Captivus noſter inter manus hujus militis non ultrà regat, ſed à carnis concupiſcentiis regatur, ita ut amplius non ſit ſuus: ſolita modeſtia converſa eſt in inſolentiam, pudor factus eſt impudentia, pietas degenerata in perfidiam, adeò mutatus ut vix umbra aut veſtigium ſuperſit Chriſtiani hominis & necdum credis?

Roman. 6. 12.

5. Lucæ 15. Spiritus ſanctus de prodigo loquens ait: *Diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè:* Nemo per ly *Subſtantiam* hîc intelligat divitias, aut pecunias, quas abiens à Patre ſecum contulerat: hæ enim in dictionario Evangelico non annumerantur ſubſtantiis, utpote mera accidentia tranſitoria. Subſtantia hominis eſt id, quod dat eſſe hominem, quod diſtinguit hominem à bruto, ratio ſcilicet & intellectus; illam Subſtantiam diſſipavit prodigus, *Vivendo luxurioſè:* ab hoc milite detentus catenâ excæcati intellectûs, *Rationalitas eſt ſubſtantia hominis*, inquit Theophilactus. Diſſipavit ergò ſubſtantiam ſuam, quandò ingenio, memoriâ, voluntate, & cæteris naturæ donis abuſus eſt, *Vivendo luxurioſè.* Item Titus Boſtrenſis: *Diſſipavit ſubſtantiam ſuam, id eſt intellectum: ſecundùm illud* Pſal. 57. *ſupercecidit ignis & non viderunt ſolem.* Petis à me, quis ille, ignis adeò offuſcans oculos, ut ſolem non videat? *Ignis concupiſcentiæ*, inquit Angelicus, quo correptus perdit omne lumen rationis & intellectûs; permitterem hîc ſuum etiam deſuper proferre teſtimonium Philoſophorum Principem: *Venus furatur intellectum ſapientis:* Sed quid nobis in hac ſancta cathedra cum ſimilibus? cum ſacræ paginæ ſcateant exemplis.

Lucæ 15. 13.

Peccator diſſipat ſubſtantiam ſuā id eſt intellectum.

Theophilactus.

Pſalm. 57. 9.

6. Gen. 39. Putipharis uxor, quæ fidem & caſtitatem conjugalem, honorem & famam ſartam ſervaverat hactenus intactamque, caſu incidit in manus hujus militis: *Injecit Domina ſua oculos ſuos in Joſeph;* ſerpſit malum, quia: *Per ſingulos dies mulier moleſta erat adoleſcenti.* In tantùm ut famæ, honoris, thori ſui conjugalis oblita, proſilierit de lecto, & apprehensâ laſciniâ veſtimenti Joſeph, diceret: *Dormi mecum*, omnium probro, ludibrio, vituperio, & contemptui expoſita, imò totius mundi facta fabula. O impudentem! Ne miremini N. N. qui ſub hoc milite degit, diſſipat ſubſtantiam ſuam, perdit omne lumen rationis & intellectûs. Perdat honorem, perdat bona, perdat ſanitatem, perdat vitam, perdat animam, perdat cœlum, perdat Deum,

Gen 39. 7.

Verſ. 10.

non

non curat; ſupercecidit ignis concupiſcentiæ, ut ultra non videat ſolem juſtitiæ. *Nec rationi Paret*, inquit D. Hieronymus Epiſt. 11. *ſed impetu ducitur*, & adeò cæco, ut non ſolùm lætetur cum malè fecerit & exultet in rebus peſſimis, ſed eò malitiæ ſub hoc milite deveniat, ut non contētus proprio ſcelere, alios ſocios habere deſideret, & ut quilibet hanc maculam gerat, infamis incedat, certam aliquam felicitatis ſortem exiſtimans, ſi etiam alii in eadem ſcelera labantur, quin imò ſordes ſuas impuriſſimas ac ſummè execrādas pleno ore buccinet. Adeò fit pauper Captivus ſub hoc milite impudens.

Gen. 9. 31. 7. Gen 9. 31. Notum eſt omnibus impudens factum & enorme delictum majoris filiæ Loth. Impuriſſimis ardoribus accenſa dicit ſorori ſuæ: *Veni inebriemus eum vino dormiamuſque cum eo.* Quandò umquam audita eſt ſimilis impudentia! texerit ſaltem peccatum ſuum adeò enorme. Itane? *Peperit major filium & vocavit nomen ejus Moab.* Quid ſignificat *Moab*? *De Patre*. Cur non aliud ei nomen impoſuit? O effrontem & impudentem! non ſufficit ei peccâſſe, ſed voluit ulterius, ut peccatum ſuum omnibus innoteſceret, & ſcirent omnes quod de Patre concepiſſet, unde Oleaſter hìc: *Impudica ſatis apparuit primogenita, cui non ſatis fuit de Patre prolem ſuſcipere, ſed peccatum ſuum prædicavit in impoſitione ſui nominis*. Ubi pudor ſemel expulſus eſt, illuc non redit amplius. Ita malignus fit captivus ſub hoc milite, ut loco quod opprobrioſa ſua facinora occultare deberet, illa publicet, de ipſis glorietur, ſicut alii de glorioſiſſimis actionibus: *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt nec abſconderunt*. Ita ut ultra non cogitet niſi quæ carnis ſunt. Veritatem hanc non in uno aut altero ſed in millionibus oſtendo. Iſaiæ 3. 9.

8. Gen. 6. Ingreſſi erant filii Dei ad filias hominum: Quid inde? ſubjungit S. Textus: *Videns Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit &c. Cuncta cogitatio?* hoc foret mirū. Hoc eſt dicere, quod non ſemper, ſed ſæpè cogitabant, numquid? Non, ſed *Cuncta*, *Cuncta cogitatio*; ſaltē aliis ſæpè ſe rebus divertebant, ſæpè alia cogitabant? Non: *Cuncta cogitatio*: fuerint fortè incidentes cogitationes involuntariæ, ſubreptiæ? Non: *Cuncta cogitatio* erat moroſa, pleno cordis affectu volita: *Cuncta cogitatio cordis*: Cogitabant forte carnalia certis horis, & certo tempore? Non, *omni tempore*. *Cuncta cogitatio*. Quandò manducabant, quandò ſua agebant negotia; tunc ſaltem non cogitabant? etiam tunc: *Cuncta cogitatio cordis intenta erat ad malum omni tempore*: Eſtne poſſibile? ſic eſt. Qui incidit in manus hujus militis, qui tenetur à carne, comedat, bibat, agat negotia, ambulet, ſemper de carne cogitat, omnis mentis motus eſt ad illum terminum, omnis linea ad illud punctum: *Cuncta cogitatio*. Audite quomodò hìc mihi aſſiſtat D. Chryſ. in hunc locum: *Magna hujus verbi emphaſis eſt. Non inquit aliqua cogitatio, ut divertant quandoque in aliam; ſed omnis cogitatio eorum, &* verba,

Gen 6. 5.

Cuncta captivi cogitatio ſub hoc milite eſt intenta ad malum.

S. Chryſoſtomus.

verba, cogitatio cordis, multum habent momenti: non enim ex ſurreptione hoc illis accidit, ſed corde cogitant, & per ſingulas horas volunt. Miſer Captive, ſi talis ſit ſtatus tuus ſub hoc milite, certè miſereor tui, ſi umquam miſertus. Quæ major miſeria concipi poſſet, quàm ita carnalibus immergi, ut Cuncta cogitatio de carne ſit, nec alia detur, quæ carnem non ſapiat? ſortem tuam deploro cum Auguſtino, eas ipſas miſerias quondam in ſe expertо. *Quid cogitari poteſt, quando mens ipſa, quâ cogitatur, illâ carnali delectatione ſubmergitur?* Dic tu mihi Captive, & loquere candidè. Sub iſto milite, *Quid cogitari poteſt?* Eſne tunc capax ad peragenda negotia œconomica, quę requirunt totum hominem aut ſaltem ſeriam applicationem? *Quid cogitari poteſt?* temporalia linquo. Si in caſu febris malignæ, aut lethalis vulneris, cogitandũ foret de anima, de æternitate, de Deo, quomodò te applicares? *Quid cogitari poteſt?* licet ad hæc excitare te velles, non dares vel cogitationem revertendi ad Deum. Sic prædicit tibi & Prophetizat de te Oſeas Propheta.

S. Auguſtinus.

9. Oſeæ 5. *Fornicatus eſt Ephraim, contaminatus eſt Iſraël.* Miles hic ſub manibus habuit Ephraim & Iſraël, quid factum? *Non dabunt cogitationes ſuas ut revertantur ad Deum ſuum.* Non dicit Propheta: *Non revertentur ad Deum*, ſed: *Non dabunt cogitationes ut revertantur ad Deum.* Et quare? Quia *Spiritus fornicationum in medio eorum.* Subſunt carnis imperio, inquit D. Hieronymus: *Spiritus fornicationum poſſidet eorum corda captiva, & idcircò illo regnante, Dominum neſcièrunt, obliti ſunt Creatoris ſui.* Agit cum captivis ut vult: quia *in medio eorum*, tamquam cor, à quo omnes partes influxum & Spiritum recipiunt. *In medio* tamquam in centro, à quo derivant & ad quod revertuntur omnes lineæ. *In medio* tamquam Rex in metropoli, à cujus imperio reguntur omnia, & hinc: *Non dabunt cogitationes ſuas, ut revertantur ad Deum ſuum.* Ideò apparenter dicit Doctor Angelicus 1. 2. q. 73. art. 5. *Diabolus maximè gaudet de peccato luxuriæ*, non quod maximum peccatum ſit, ſed quia *Maximæ adherentiæ, & difficile poteſt homo ab ea eripi.* Sic eſt: tu, Captive, teſtimonium perhibe de his: à tempore quo ſubfuiſti huic militi, quoties cogitâſti de inſtituenda Sacramentali Confeſſione? de ſtatu animæ, de Deo futuro judice tuo, de morte, de æterna damnatione? quoties? cum urgeas & premas me, ne ſemel quidem. Quin imò non poſſunt dare cogitationes ut revertar ad Deum meum: adeò conſtringit me, ut non facilè aliquis de manu ejus catenam effringat eamque dirumpat, & me de carcere liberet, ſignanter poſt longam incarcerationem. Vera ſunt N. N. quæ dicit, & confirmat omnia alius quondam Captivus, qui Dei miſericordiâ manus ejus evaſit. Loquor de Davide.

Oſeæ 5. 4. **Captivus ſub hoc milite non dabit cogitationes ut revertatur ad Deum.** S. Hieronymus.

D. Thomas 1. 2. q. 73. art. 5.

10. Pſalm. 85. Deo ſe debitorem agnoſcens, ait: *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum:* Numquàm ceſſabo laudare te, & extollere divinam pietatem, & bonitatem tuam infinitam: ſed Pſalm. 85. 12.

Glo-

Glorificabo nomen tuum in æternum, quam ob rem? *Quia miſericordia tua magna facta eſt ſuper me.* Qualis illa miſericordia David? *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori.* An ergò plures dantur inferni? quis dubitat: quomodò alioquin diceret: *ex inferno inferiori?* inferior relationem dicit ad ſuperiorem. Omne peccatum mortale eſt infernus, quia ſicut ex inferno non datur regreſſus; ſic peccatum mortale carcer eſt ex quo nullus egreditur, niſi Deus per ſuam miſericordiam aperiat ei carcerem, & liberet Captivum. Inter illos infernos profundior eſt peccatum carnis; Infernus, ex quo vix datur regreſſus: *Non dabit cogitationes ſuas, ut convertatur ad Deum ſuum*, niſi Deus ſpeciali ſuâ miſericordiâ Captivum liberet ab illo milite: & ideò, dicit David ſe ex inferno inferiori liberatum: *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori.* Non miſericordiâ ordinariâ, ſed ſpeciali. *Miſericordia tua magna facta eſt ſuper me.* Ut unuſquiſque videat quàm difficile ſit evadere manus iſtius militis. Do S. Ephrem, qui illum novit, & paucis de illo multa dicit in exhort: ſpirituali. *Quandocumque in animam ſeſe inſinuavit, mox ipſum cogitatione circumdat & obſidet, & ſalutis ingreſſum præcludit.* Ita ut ſit miraculum non parvum ab illo liberari. Mirum fortè videbitur quod dico, verùm tamen.

Nullus ab hoc milite liberatur niſi Dei miſericordiâ extraordinariâ.

S. Ephrem.

12. Hebr. 11. Enarrans Apoſtolus opera heroïca, quæ per fidem operati ſunt Abel, Enoch, Noë, Abraham, Sara, Iſaac, Jacob, Joſeph, Moyſes, Joſue, &c. Tandem perveniens ad excidium Jerechuntinum, ait: *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis.* Quibus dictis illicò ſubjungit: *Et quid adhuc dicam?* quaſi diceret, jam dixi quidquid in laudem fidei dici poteſt, ut quis cognoſcat opera Dei & prodigia ejus. *Et quid aliud dicam?* Ergòne magne Apoſtole parvi pendis, mirabilia quæ per fidem operati ſunt Gedeon, Barach? glorioſa quæ per fidem facta ſunt à Jephte, Sampſone, Davide, Samuele, S. P. N. Elia, Eliſeo, & aliis multis, de quibus ipſe ais: *Per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones; obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, Caſtra verterunt exterorum?* & his omnibus portentis præfers converſionem unius Rahab, quia non periit cum impiis? Qualis obſecro illa Rahab? *Rahab meretrix.* Laſciva, quæ diu ſub tyrannide vixerat hujus militis. Meritò ergò Apoſtolus quærit, *Et quid adhuc dicam?* tamquam ſummum prodigium, quod Deus cum illa operatus eſt. Quod Gen. 4. Abel virtute fidei obtulerit Sacrificium Deo, ignisque ceciderit de cœlo in teſtimonium quod eſſet juſtus; Quod Gen. 5. Enoch vivus raptus ſit in Paradiſum; Quod Gen. 8. Noë cum ſuis ſalvetur in arca à diluvio; Quod Abraham Gen. 22. offerat filium ſuum unigenitum, quem diligebat, & ipſe Iſaac ligari ſe ſinat in victimam voluntariam; Quod Gen. 32. Jacob luctetur cum Angelo, & victor evadat; Quod Gen. 41. Joſeph de ſervitute aſcendat ad purpuram,

Ab hoc milite liberari eſt miraculum non parvum.

Hebr. 11. 33.

Gen. 4.

Gen. 5.

Gen. 8.

Gen. 22.

Gen. 32.

Gen. 41.

de carcere ad coronam ; Quod
Exod.15. Exod.15. Moyſes virgâ ſuâ tot faciat prodigia, ut ipſa confundat elementa;
Joſue 10.12. Quod Joſue ſolem ſiſtat; Gedeon vellus rore impleat; Quod
Judicum 6. Judicum 14. & 15. Sampſon Leones dilaceret, in mandibula aſinæ mille deleat Philiſtęos;
4. Reg.2. Quod Elias curru igneo rapiatur in cœlum; Eliſeus & alii Prophetæ mira operati ſint; prodigia ſunt, miracula ſunt, opera ſunt divinæ omnipotentiæ: ſed quod Rahab meretrix hujus militis manus evaſerit, hoc ſtupet Paulus dicens: *Et quid aliud dicam?* ad hanc rem Theodoretus: *Eſt autem admiranda Apoſtolica ſententia, vel potius laudanda divini*
Theodoretus. *Spiritûs operatio, quod Moyſi, Abraham, & Noë, & Enoch, & aliis alienam & meretricem conjunxerit, ut fidei oſtenderet potentiam, quæ à lege aliena impudicè magnam vitæ partem tranſegerit, per fidem ſalutem eſt conſecuta.* Quando ſimiles effugiunt manus hujus militis, cogitate tunc miraculum fieri non parvum. Placet audire carnalem de ſe loquentem? Do illam infamem de qua Prov.7. quæ fatetur, quod impurus lectus ejus ſit plenus laqueis, plenus funibus, quibus ligatur in ſordibus:
Prov.7.16. *Intexui funibus lectulum meum.* Sed quid nobis cum illa ſordida, dum habemus in Evangelio non paucos confitentes quàm impotentes illos reddiderit hic miles, ut reverteantur ad Deum ſuum.

Lucæ 14.18. 12. Lucæ 14. Ex invitatis ad cænam, ne vel unus dignatur venire: *Et cœperunt omnes excuſare.*
Verſ.19. Primus dicit: *Villam emi, neceſſe habeo exire & videre illam, rogo habe me excuſatum*: Non poſſes venire? poſſem: ſed excuſa me. *Rogo habe excuſatum*: alter allegabat: *Juga Boum emi quinque, eo probare illa.* Non poſſes venire? poſſem: ſed rogo, excuſa me, *Habe me excuſatum.* Tertius habebat negotium alterius generis dicens: *Uxorem duxi*: & nulla facta excuſatione ſiccè reſpondit: *Non poſſum venire.* Ut quid non potes? abſolutè *non poſſum.* *Sub hoc milite eſt quaſi impoſſibile venire ad Deum.* Quod duo priores non iverint ad cænam, illorum negligentia fecit, inquit Cajetanus, quod autem tertius non iverit, qui uxorem duxit, impotentia fecit. Do verba ejus: Cajetanus. *Vacare delectabilibus non parit negligentiam, ſed reddit impotentem ad veniendum.* Si ſit impotentia, quæro an non tollatur libertas? Theologi, verbum habeo ad vos: Scio, quod qualecumque peccatum non ſtranguiet arbitrium, neque vinciat libertatem: deteſtor Witterbergenſium & Genuenſium perverſa dogmata; abominor Doctrinam diabolicam Lutheri & Calvini. Amplector & veneror Canones Tridentini, etiam in obſtinatis & obduratis manere indifferentiam ad eligere & operari; tamen hoc docetis in ſcholis, quod licet non tollat liberum ad minus minuat: *Concupiſcentia auget voluntarium, & minuit liberum:* Ideò Aug. lib.1. de Perf. Inſt. *Per arbitrii libertatem factum eſt ut homo eſſet cum peccato; ſed jam pœnalis vitioſitas ſubſecuta ex libertate facit neceſſitatem.* S. Auguſtinus. Captivo te ſolum hic teſtem volo. Quoties te Deus vel internis vocationibus ſuis, vel externis miniſtrorum ſuorum invitavit ad Sacramenta, ad hanc cænam Euchariſticam? Quid reſpondiſti? vellem

lem quidem, *ſed non poſſum venire*, vinctus ſum catenis duabus,& miles iſte, caro ſcilicet, me ita ſtringit, ut non poſſim evadere manus ejus. *Non poſſum venire.* Occurrit Natale Domini, feſtum Pentecoſtes, Aſſumptionis Matris Dei, feſtum Sanctorum Omnium, publicantur lucrandæ Indulgentiæ, ſternitur omnibus menſa S. Altaris; vellem, deberem: ſed *non poſſum venire*. Eſt Paſcha agni immaculati, non ſolùm invitantur, ſed ſub anathemate coguntur omnes: *compelle intrare*. Vellem, deberem: ſed quomodò poſſum ſeparari à meo milite? Quomodò poſſum deſerere carnalia mea commercia? *Non poſſum venire. Vacare delectabilibus non parit negligentiam, ſed reddit impotentem ad veniendum.* Quidni impotentem? ſi juxta D. Hieronymum quaſi impoſſibile ſit ſe extricare de manibus iſtius militis: dum quis in illas incidit, diuque manſit? Quid, inquies, *Impoſſibile*? Ita, ita, *Impoſſibile*: non ſunt Hieronymi tantùm, ſed & Apoſtoli verba.

Hebr. 6. 4. 13. Hebr. 6. *Impoſſibile eſt*, inquit, *eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritûs ſancti, guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt: rurſus renovari ad pœnitentiam*: Qui ſemel illuminati ſunt in baptiſmo, & fidem Chriſti receperunt, obtinuerunt remiſſionem peccatorum, guſtaverunt donum cœleſte, id eſt communicaverunt Corpori & Sanguini Domini, inquit Aymon; guſtaverunt inſuper doctrinam Evangelicam, & vitam

Iſtam impoſſibilitatē confirmat Apoſtolus.

æternam futuram, & prolapſi ſunt denuò in peccata, impoſſibile eſt eos renovari ad pœnitentiam. Qualem doctrinam nos doces Doctor gentium? Ergòne impoſſibile eſt gratiam Dei, peccando amiſſam, denuò recuperare, ita ut non ſit amplius locus pœnitentiæ? Quomodò ergò dixit Chriſtus Petro: *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.* Quaſi diceret: peccavit aliquis infinities? infinities doleat, emendationem promittat, & toties veniam conſequetur; quomodò ergò dicis Paule, *impoſſibile eſſe eum renovari ad pœnitentiam*? Nodum ſolvit Eccleſiæ Doctor Hieronymus contra Jovinian: *Impoſſibile, id eſt, valde difficile, difficillimum eſt.* Et hæc ſumma difficultas reſpectu quorum eſt? eorum: *Qui prolapſi ſunt.* Et quinam illi? aut de quibus peccatoribus ſpecialiter loquitur? De carnalibus, de impuris inquit Aymon: *Qui prolapſi ſunt ad immunditiam.* Addit & ſua Doctor Angelicus in hunc locum: *Ubi notandum quod non dicit lapſi ſimpliciter, ſed prolapſi, id eſt totaliter lapſi, quia ſi lapſi tantùm eſſent, non ita difficile foret reſurgere.* Qui diu inter manus hujus militis manet, & ab hoc vinctus tenetur in ſordibus, prolapſus in carnis vitia, *impoßibile eſt* ut rurſus ad pœnitentiam renovetur, hoc eſt, *difficillimum.* Hoc in ſe expertus eſt David, licet ſemel ſolummodò lapſus. Liberatus Dei miſericordiâ de manibus ejus & ad pœnitentiam renovatus,

Matth. 18. 22.

S. Hieronymus.

Aymon.

D. Thomas.

14. Pſal. 6. Ingemiſcens ait: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: miſe-* Pſal. 6. 1.

rere

David in actu pœnitendi patiebatur tentationes carnis Verſ. 7.

S. Hieronymus.

rere mei Domine, *quoniam infirmus ſum. Anima mea turbata eſt valde:* Cur ita turbatur David miſericordiam conſecutus? *Laboravi*, inquit, *in gemitu meo.* Non laborat propter gemitum, ſed in gemitu, hoc eſt interprete D. Hieronymo: *In ipſo actu pœnitendi adhuc patiebatur titillationes carnis & incentiva peccati.* Dum lacrymæ defluebant per genas, dum præ dolore contritus erat animus, *in ipſo actu pœnitendi adhuc patiebatur titillationes carnis & incentiva peccati:* Et tamen ſemel tantùm fuerat ſub manibus hujus militis, ſub carnis imperio. Non eſt quod S. Hieronymus Davidem in medium producat, utpote in ſe ſatis expertus hujus militis tyrannidem. Audi eum de ſe loquentem Epiſt. 22. ad Euſtochium Tom. 1. *Sedebam ſolus: horrebam ſub ſacco membra deformia: & ſqualida cutis ſolum Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lachrymæ, quotidie gemitus;*

S. Hieronymus.

& ſi quando repugnantem, ſomnus imminens oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam. De cibis verò & potu taceo. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaveram, ſcorpionum tantum ſocius & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens deſideriis æſtuabat! in frigido corpore & ante hominem ſuum jam carne præmortuâ, ſola libidinum incendia bulliebant. Et tu ſecurum te putas inter amplexus delitiarum & militis hujus blanditias? audite. D. Cyprianum de Singul. Cleric.

D. Cyprianus.

Adverſaria eſt confidentia, quæ periculis vitam ſuam pro certo commendat. Lubrica ſpes eſt, quæ inter fomenta peccati ſalvari ſe ſperat: & impoſſibilis liberatio eſt, flammis circumdari, nec ardere. Quiſquis hic es, qui vel ſemel tantùm incidiſti in manus ejus (licet modò per Deum ereptus) numquid fateri debes, quod in ipſo actu pœnitendi, in ipſo Confeſſionali, in ſcamno Communionis ſæpè patiaris titillationes carnis & incentiva peccati? Quid ergo erit de Captivo noſtro, qui non ſolùm lapſus ſed & prolapſus eſt in manus ejus? Paulum audite de ſe loquentem.

15. Rom. 7. Paulus ex Saulo factus, & magnam miſericordiam conſecutus (deſcenderat enim de cœlo Chriſtus ut eum converteret) adhuc ſentiẽs incentiva peccati dicebat: *Velle adjacet mihi, perficere autẽ bonum non invenio.* Undè quaſi vitæ pertæſus exclamat: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Infelix ego homo!* Tu Paule infelix, qui vas es electionis? Qui plenus ſapientiâ, dives ſanctitate? Tu iſtum times militem, ab illo liberatus? Numquid ipſe fateris: *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo?* Emaceràſti illum militem, tot nuditatibus afflixiſti, tot jejuniis, ſqualłore carceris, rigore vinculorum, fatigatione viarum, tantarum tollerantiâ perſecutionum, & tu adeò armatus times & exclamas: *Infelix ego homo! quis me liberabit?* NN. dum ego Paulum, D. Hieronymus vos alloquitur Epiſt. 22. *Si Apoſtolus vas electionis, & ſeparatus in Evangelium Chriſti, & poſt nuditatem, jejunia, famem, carcerem, flagella, ſupplicia in ſemetipſum reverſus exclamet: Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis*

Rom 7. 18.

Paulus poſt corporis caſtigationem petit ab hoc milite liberari.

1. Cor. 9. 27.

S. Hieronymus.

mortis hujus, tu te putas ſecurum? Si Paulus poſt tot annorum carnis emacerationem, poſt tot caſtigationes, poſt vitam tam Apoſtolicè tranſactam, ſæpe in ipſo actu pœnitendi patiebatur titillationes carnis & incentiva peccati, cogitet unuſquiſque veſtrûm quàm miſeram ducat vitam, Captivus noſter, traditus in manus hujus militis: habet certè quod potiori jure dicat quàm Paulus: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quis me infelicem liberabit de manibus ejus? Mellifluus Bernardus dum captivo noſtro compatitur monitorias ſcribit Sitenio Abbati S. Dionyſii, *Homo Dei ne trepides exuere hominem illum, qui de terra eſt, illum qui te deprimit uſque ad terram, & conatur deprimere uſque ad inferos: iſte eſt qui vexat, qui onerat, qui deprimit*, ſub cujus imperio impoſſibile eſt ut placeas Deo. NN. mei, dum Siſenius Abbas Bernardi litteras legit, Apoſtolicam vobis epiſtolam legendam trado, quæ licet Romanis, etiam vobis inſcribitur, quia Romani eſtis.

Rom. 7. 24.

S. Bernardus.

16. Rom. 8. *Qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt.* Legebat Auguſtiſſimus Auguſtinus hanc Epiſtolam, & obſtupeſcens exclamat Serm. 7. de verbis Apoſt. Ergò non placuerunt Sancti Patriarchæ? Ergò non placuerunt S. Prophetæ? Ergò non placuerunt S. Apoſtoli? Ergò non placuerunt ſancti Martyres, qui antequam corpus patiendo deponerent, Chriſtum confitendo, non ſolùm voluptates contemnebant, ſed dolores patientiſſimè ferebant? ſibi interroganti reſpondet Magnus Doctor: *Placuerunt, ſed in carne non fuerunt, portabant carnem, non portabantur à carne.* Regebant militem, non regebantur à milite. Placuerunt Deo, quia habebant virtutem S. Baſilii *Receſſionem à carne.* Non illos caro, ſed ipſi carnem tenebant: *Portabant carnem, non portabantur à carne*: Ut melius capiatis verba D. Auguſtini: D. Gregorius Magnus dabit aliquid luminis: Quærit quid intenderit Chriſtus dicens Matt. 8. triginta octo annorum Paralytico: *Tolle grabatum tuum & ambula?* Reſpondit, quod lectus ille ſignificet carnē, cui dum ſubdimur, nos portat, quandò autem ſubjicitur nobis, nos illum portamus. Do verba ejus: *Tolle grabatum, id eſt, porta lectum, in quo portatus es.* In eandem ſententiam abit quartus Eccleſiæ Doctor D. Hieronymus Epiſt. 46. *Jacebat quondam paraliticus in lecto, & reſtituitur priſtinæ ſanitati, ut portaret lectum, qui dudum portabatur à lectulo.* Et hoc eſt quod dicit Auguſtinus. *Placuerunt, ſed in carne non fuerunt, portabant carnem, non portabantur à carne*: Non dominabatur illis caro, ſed ipſi carni, carnem ſubjugaverant, emaceraverant, ita ut eſſent in carne ſine carne. *Portabant carnem non portabantur à carne*, & ideo Deo placuerunt: ſed qui portantur à carne, & tenentur à carne, ſicut Captivus noſter, *Deo placere non poſſunt* imò vix cogitare de Deo. Placet unum videre, qui hunc militem novit, quomodò illum tractaverit nè aliquando dominaretur illi? Do unum quem noſtis.

Rom. 8. 8. *Nemo ſub hoc milite placere poteſt Deo.*

S. Auguſtinus.

S. Baſilius.

S. Gregorius.

D. Hieronymus.

17. Job 2. Percuſſerat Satan ulcere

Job 2. 8.

ulcere peſſimo, à planta pedis uſque ad verticem capitis. Pro his curandis ulceribus nullo uſus eſt medico aut chirurgo? Nullo, ſed propriis curavit ſe manibus: at quibus emplaſtris? *Teſtâ ſaniem radebat.* Teſtâ? quis modus ille curandi vulnera? utere Propheta magis linientibus; Certus ſum, quod nullus hoc Jobo perſuaſerit; portabat carnem, ne portaretur à carne, durè tractabat carnem, ne durè tractaretur ab illa. Quot ſancti & viri fortiſſimi ſub hoc milite ſuccubuêre! ſolus audiatur Magnus Auguſtinus citatus à S. Bonaventura Opuſc. de Pœnit. Conf. c. 4. *Crede mihi Epiſcopus ego ſum, vera loquor in Chriſto & non mentior:* (quis non credet tanto tantæ Doctrinæ & ſanctitatis Præſuli?) *Vidi,* inquit, *cedros Libani;* hoc eſt magnæ contemplationis viros, exponit Angelicus Opuſc. 64. cap. 13. *Sub hac ſpecie corruiſſe* (tamquam teſtis ocularis loquitur) *de quorum caſu non magis metuebam quàm Gregorii Nazianzeni & Ambroſii.* N. N. quantumcumque ſancti & caſti eſtis, ſi ſapitis, cavete vobis à carne, fugite etiam vel umbram ejus, ſi ſecuri eſſe cupitis. Vultis probam Authenticam à Chriſto deſuper datam?

Job 2. 8.

Job durè tractabat carnem, ne durè ab illa tractaretur.

S. Auguſtinus.

18. Marci 6. Poſtquam Salvator paverat turbam in deſerto: *Statim coëgit diſcipulos, aſcendere in navim: Statim coëgit?* quid hoc eſt? Cajetanus pandit myſterium: *Coëgit Diſcipulos aſcendere in navim, quibus cavebat à conſortio nocturno tot mulierũ:* removit illos à periculo tot mulierum, quarum conſortium ſcandalo eſſe poterat Apoſtolis. Deus Bone! ſcandalo Apoſtolis gratiâ plenis, educatis in Schola Chriſti? Quis non contremiſcat? Ne per exaggerationem me loqui putetis, audite quid Petro capiti Collegii Apoſtolici ab una tantùm evenerit.

Marci 6. 45.

Cajetanus.

Etiam ſancti debent timere hunc militem.

19. Joannis 18. Jeſum comprehenſum & ligatum adducunt Judæi ad Annam primùm, inde ad palatium Caiphæ, qui erat pontifex anni illius, Petrum, qui magiſtrum ſecutus fuerat à longe, introduxit ancilla oſtiaria. *Dixit ergò Petro ancilla oſtiaria:* Palatii iſtius oſtiaria ancilla erat. Infelix palatium, ubi ancilla locum Dominæ tenet, ubi oſtiaria dominatur. Audite exceſſus in nocte illa commiſſos. Petrus tertiò negat magiſtrum: Unus ex miniſtris dat alapham Chriſto: Pontifex ſcindit veſtimenta ſua: Clamant omnes filium Dei reum mortis: Percutitur innocentia: Conſpuitur puritas: Illuditur æterna ſapientia: Infamatur gloria: damnatur Dei juſtitia. Hæc omnia fiunt in palatio, ubi ancilla dominatur, & Domina ancillatur. Palatii noſtri ancilla oſtiaria caro eſt, Spiritus Domina: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum.* Hîc audiendus magnus Auguſtinus ſuper Pſalm. 145. *Ubi caro imperat, & ſpiritus ſervit, perverſa domus eſt.* Attendite ne umquam ancillæ claves domûs tradatis: væ domui illi, ubi ancilla Clavigera eſt, ubi ancilla dominatur, ubi ancilla oſtiaria eſt. Quamdiu Eva erit Eva, offeret Adamo pomum mortis. Quamdiu Dalila erit Dalila, mortem machinabitur Sampſoni. Quis Adonia nobilior? Sampſone fortior? Sanctior Davide? Sapientior Salomone? & tamen hi omnes à carne devicti ſunt:

Joannis 18. 17.

Væ domui ubi ancilla, id eſt caro eſt clavaria.

Gal. 5. 17.

S. Bernardus. ſunt: ad hæc exclamat Mellifluus Cap. 3. Med. *Ancillam dominari, & Dominam ancillari magna abuſio* Galat. 4. 31. *eſt. Non ergò ſimus ancillæ filii, ſed liberæ.* Si illa nequam oſtiaria ſit, ſi claves domûs teneat, quales non ſinet intrare? Dicat hoc Apoſtolus Galat. 5. 19. Galat. 5. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes* & his ſimilia N. *Ejice ancillam hanc & filium ejus.* Gen. 21. 10.

DOMINICA II. ADVENTUS

De Captivitate Petri.

Vinctus Catenis duabus inter duos Milites. Act. 12.

1. QUi militem novit, de quo Feriâ 6. præteritâ, habet unde Captivo noſtro compatiatur. Ut tunc vidimus, cogitur hic diu noctuque eſſe cum illo: dormiat, vigilet, comedat, bibat, ſemper ad latus eſt pauperis patientis: & quod peſſimum, nec fugere eum poteſt (tenet enim catenam ejus) nec fugare, nec perimere, ſed circumferre cogitur & ſuſtentare. O miſeram ſortem! Qui incidit in manus illas, licet Rex foret, de Rege mancipium fiet, & mortalium abjectiſſimus. Hoc in ſe expertus Salomon de ſe loquitur: *Ego Eccleſiaſtes fui Rex*; fui, non ſum amplius, non ultrà rego, ſed regor à carnis concupiſcentiis, carnis factus mancipium; in tantum ut diſſipatâ ſubſtantiâ intellectuali, *Cuncta, Cuncta cogitatio* miſeri Captivi, ita omni tempore intenta ſit ad malum & ad carnalia, ut dare non poſſit cogitationes ſuas ut revertatur ad Deum ſuum: quia hic miles (ſpiritus ſcilicet fornicationum) adeò eum tenet ligatum, ut, quaſi ſine miraculo potentis Dei manûs, ab illo nequeat liberari: & tamen adhuc alius ei miles adjungitur, ſcilicet mundus, non minus nequam (ſi non nequior) priore. De illo acturus imploro opem Virginis Matris, *Ave Maria.* Mundus ſecundus miles.

2. Herodianæ feritati necdum factum eſt ſatis. Timens ne Petrus (quamquam ita vinctus) effugiat manus unius militis, adjungit ſecundum, qui ab altero latere ejus catenam teneat, cuſtodiatque ne carcerem effringat. Circa Captivum noſtrum necdum ſecurus eſt diabolus. Tradiderat illum carni, ſtrenuiſſimo ſuo militi, ad cuſtodiendum, adhuc diffidens, apponit & alterum militem non gregarium ſed veteranum, ſcilicet mundum, qui Captivum recreet, exhilaret, & oblectet, ne præ tædio carcerem effringere meditetur. Quàm inſidioſè & proditoriè hic miles agat cum

noſtro Captivo, hodie oſtendo. Exordienti benignas aures præbete.

Gen.25. 26. 3. Gen.25. Dederat Deus conceptum Rebeccæ, ſed ecce, collidebantur in utero ejus parvuli Jacob & Eſau, clauſi adhuc in utero matris tamquam in carcere: *Collidebantur*, alius textus habet *Exultabant*, luſus erat quaſi puerilis, & jocabantur ſimul, & dum unus illorum exire de carcere tentabat, alter alterius plantam tenebat: *Plantam fratris tenebat manu*. Jacob tenebat plantam Eſau: ideòque vocatus eſt Jacob, quod interpretatur *Supplantator*. Vidiſti, aut audiſti, Captive, majorem umquam ſupplantatorem, quàm qui antonomaſticè ſupplantator dicitur & eſt? Omnia tecum benè, quamdiu in carcere manes, jocatur tecum miles hic, ſed ſi egredi tentes, quantas pateris calamitates? manibus te conſtrictum tenet & compeditum, ne effugias manus ejus. Magnus Auguſtinus, qui eum in corde novit, exprobrat ipſi in faciem. *O munde immunde, quàm multos decipis, quàm multos fallis*, cum prodeſſe videris, ſupplantas & decipis. *Certè ſi mundus cultello veritatis aperiretur* (cum D. Hieronymo loquor) *Non niſi falſitas in eo inveniretur*, illam ſatis experti ſunt Hebræi ſuo in carcere.

Mundus ſupplantator.

S. Auguſtinus.

D. Hieronymus.

Pſalm.136.1. 4. Pſalm.136. in triſti captivitate Babylonica ſuper flumina ſedens captiva filia Sion, in lacrymas effuſa plorans plorabat ſtatûs ſui prioris recordata: *Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus dum recordaremur tui Sion*: Babylonii, ut captivitatem illam alleviarent, ad cantica, plectroque movenda inſtrumenta muſicalia captivos ſuos invitabant, ipsâ filiâ Sion teſtante: *Interrogaverunt nos qui Captivos duxerunt nos verba cantionum*: quibus illi: *Quomodò cantabimus canticum Domini in terra aliena? in ſalicibus ſuſpendimus organa noſtra*. Si adhuc aliquis animi ſenſus eſt in miſero Captivo noſtro, crediderim quod ita vinctus, priſtinæ ſuæ conditionis memor, fleat & ingemiſcat, & ita tædeat huic ſubeſſe militi, ut pertæſus dicat: *Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus dum recordaremur tui Sion*. Sed quid miles hic? tunc partes ſuas agit, eumque deliciis & oblectamentis divertit, ne de exitu aut effractione cogitet, rogatque *Verba cantionum*: *Interrogaverunt nos, qui Captivos duxerunt nos, verba cantionum.* Quid ſignificat diabolum & Angelos ejus Captivum interrogare? interrogatio dæmonis eſt ejus tentatio, ipſe, & milites ejus caro & mundus, interrogant, id eſt tentant eum, & Captivo proponunt: *Verba cantionum*, ut ad mundi voluptatem ſe convertat. Per Babylonem, quæ confuſio interpretatur mundus ſignificatur: in mundo enim omnia confuſa ſunt, ita ut bona reputentur mala, & mala bona, hinc Captivo *Dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes dulce amarum, & amarum dulce.* Illic in Babylone, id eſt in vanitate mundi interrogaverunt eum, qui Captivum duxerunt; id eſt rationes fidei & profeſſionis exegerunt: Ad quid fides valet? Quid eſt

Verſ.3.

Verſ.4.

Verſ.2.

Mundus captivum deliciis divertit ut in carcere detineat.

Iſaiæ 5.20.

eſt anima? quid eſt alia vita? quid eſt infernus? quid eſt Paradiſus? rogaverunt *Verba Cantionum* lubricarum, carnalium, &c. Ut ſicut ipſi canunt, caneret, gauderet, biberet

Iſaiæ 22. 12. & comederet juxta illud Iſaiæ 22. *In die illa vocavit Dominus ad fletum, planctum & luctum, & ad Calvitium & ad cingulum ſacci, & ecce gaudium & lætitia occidere vitulos & jugulare arietes, comedere carnes & bibere vinum, comedamus & bibamus cras enim moriemur.* Has cantiones interrogat miles hic. At credo ego quod afflicto non multum lubeat, econtra militi ſuo reſpondeat: Quomodò cantabo? *Suſpendimus organa noſtra.* Non lubet, non lubet. Tunc miles ille omnes nervos tendit, cunctis utitur mediis, ut ſuum recreet captivum, licet, ut inebriet eum, boni hauſtum vini adhiberet. Ipſis oculis vidit Joannes quod aſſero.

Apoc. 17. 3. 5. Apoc. 17. *Vidi*, inquit, *mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem Capita ſeptem, & cornua decem: & mulier erat circumdata purpurâ & coccino, & inaurata auro & lapide pretioſo, & margaritis.* Quænam illa beſtia, ſuper quam ſedet meretrix illa? Hanc

D. Thom. novit Doctor Angelicus: *Super beſtiam: id eſt ſuper diabolum, quia ſedet & fundatur in diabolo, quia quidquid facit, in nomine diaboli facit.* Mulier illa mundus eſt, ſecundus miles, qui non gregarius eſt, ſed veteranus: *Habens poculum aureum in*

Verſ 4. *manu ſua plenum abominatione.* Ad quid obſecro omnis ille ornatus, aurum, margaritæ, &c. ut facilius intoxicet & dementet. Ad quid poculum aureum? Myſterium novit D. Ambroſius Eccleſiæ Doctor: *Inebriat Captivum vino abominationum.* *Quia potus placere non poteſt, amor auri allicit ad bibendum.* Quid continet poculum? vinum temporalium oblectationum, inquit Ugo Vict. Ugo Vict. *Sed plenum abominatione, poculum dicit, quia paucum.* Poculum iſtud propinat captivis diaboli, qui inde bibentes *Inebriati ſunt.* Verſ. 2. Præcipuum quod Joannes vidit, erat nomen ſcriptum in fronte: *Et* Verſ. 5. *in fronte ejus nomen ſcriptum: myſterium. Babylon magna mater fornicationum & abominationum.* Quarum fornicationum & abominationum? *Fornicationum: id eſt pecca-* D. Thomas. *torum, & errorum, quibus alii fornicentur ſpiritualiter, id eſt recedunt à Deo. Et abominationum, id eſt peccatorum abominabilium, quæ fœtorem faciunt in anima, & horrorem generant.* Ita D. Angelicus. Pauper Captive durante captivitate tuâ, toties ex illo bibiſti calice, miles tuus, ſæpè te inebriavit, non dubito quin ſubindè ad te ipſum redieris: Eloquere jam candidè quomodò ſapiebat tibi hauſtus? dum rectè te loqui oporteret, numquid reſponderes mihi cum Jeremia Thren. 3. *Replevit me* Thren. 3. 15 *amaritudinibus, inebriavit me abſynthio?* Quomodò ergò potuiſti potu tam amaro ita te ingurgitare? Non audes fortè præ pudore reſpondere? non eſt quod reſponſum à te exſpectem, jam dudum pro te reſpondit D. Gregorius lib. 20. Moral. D. Gregorius in Job cap. 16. *Amaritudinem cupiditatis quaſi inſenſibilitate ebrietatis ignorat.* Adeò per frequentatos hauſtus te inebriat, ſopitque, ut

ultrà non ſentias captivitatem tuam, nec amplius cogites de liberatione, illectus & faſcinatus delectamentis ejus, & neſcis miſer, quod miles hic, poſt omnes oblectationes & delicias, non aliter tecum aget quàm Jaël cum Siſara.

6. Judicum 4. poſtquam Jaël
Judic. 4. 19. comiter & benevolè Siſaram in tabernaculum ſuum invitâſſet, ipſeque illuc ingreſſus, pro reſtringenda ſiti modicum aquæ ab illa poſtulâſſet: *Ipſa aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit eum.* Notate fallaciam, inquit Abulenſ. q.
Abul. q. 13. 13. *Ut eſſet urbanior obtulit ei lac, & ille gratus accepit.* Cum verò Siſara ſumpto lacte obdormiſſet, Jaël tempora ejus clavo perforans, vitam ei eripuit, unde iterùm Abul. *Neceſſe eſt dici quod lac traditum fuerit tamquam apparamentum quoddam ad mortem Siſaræ.* Sic tecum agit hic miles, Captive, tractat te comiter, propinat ſæpius, inebriat te, lac tradit: *Tamquam quoddam apparamentum ad mortem.* Crede mihi miles hic pejus te tractabit, quàm David Uriam militem ſuum.

Potat & cibat ad mortem.

7. 2. Reg. 11. David tecturus commiſſum cum Bethſabée adulterium, citat ad ſe Uriam Hethæum. Venit, & totâ obſtupeſcente aulâ, benevolè à Rege exceptus, dimit-
2. Reg. 11. 8. titur in domum ſuam, *Secutuſque eſt eum cibus Regius.* Poſterò die vocavit eum David, ut comederet coram ſe, & inebriavit eum. Quis non diceret Uriam Regis familiarem & intimum? At patuit poſteà; nam mane facto ſcripſit David Epiſtolam ad Joab, miſitque per manus Uriæ ſcribens in Epiſtola: *Ponite Uriam ex adverſo belli, ubi fortiſſimum eſt prælium, & relinquite, ut percuſſus intereat.* Ad eum fermè modum egit David cum Uria, quo reus mortis tractari ſolet, qui pridie diei quo aditurus eſt patibulum, lautis tractatur epulis. Numquid hic vivis coloribus proponitur ſtatus tuus, Captive? Numquid ſic tecum agit ſecundus miles tuus? Tractat te lautè & opiparè, ne ſentias carceris tui moleſtias; & ut in illo morte moriaris æternâ: Et necdum detegis technas ejus? Si ſapis, audies Sapientem monentem te Proverb. 23. *Ne deſideres de cibis ejus*, ne accumbas menſæ ejus, quia non miniſtrat in illa panem verum & ſubſtantialem, ſed apparentem & mendacem. *In eo eſt panis mendacii.* Neque ſolùm mendax eſt panis, ſed & vinum ejus fallax, mucidum & fugiens, invenies te in gurgite illius ad guttur uſque, & inſtar Tantali, infernali antipariſtaſi creſcet in te ſitis rabida, quæ tua excruciet viſcera. juxta illud Jeremiæ 15. *Factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis: Quia facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium.* Miſeret me tui, miſer, miſeret me tui, & utinam tantoperè tu ipſe doleas & infelicitatem iſtam tuam tempeſtivè intelligas, ac ſeriò conſulas animæ tuæ, militiſque tui detegas dolos; Aures arrige & Auguſtinum audi, militem tuum alloquentem ſerm. 31. ad Fratres in Eremo. *O munde immunde qui homines illaqueare non deſinis, quieſcere non permittis, rapere omnes appetis, occidere omnes quæris, væ qui tibi credit; Beatus qui tibi reſiſtit, ſed bea-*

Verſ. 16. Panes mundi panes mendacii.

Prov. 23. 3.

Ierem. 15. 18.

Auguſtin.

beatior qui à te recedit. O munde proditor, cuncta promittis bona, ſed cuncta malorum profers. Promittis vitam, ſed donas mortem, promittis gaudium, ſed largiris dolorem, promittis quietem, ſed ecce turbatio; promittis florem, ſed citò vaneſcit, promittis ſtare, ſed citò recedis. Loquantur omnes amatores tui: ô munde immunde! utrùm in hac vita gaudium habuerint ſine dolore, pacem ſine diſcordia, quietem ſine metu, ſanitatem ſine infirmitate, lumen ſine tenebris, pacem ſine dolore riſum ſine fletu? Proſequitur Auguſt. *O munde immunde & fallax proditor! numquid non periculoſior es blandus, quàm moleſtus? Numquid non magis timendus es dum allicis, quàm dum ſpernis? Numquid non magis odiendus, dum diligere diſſimulas, quàm dum odire te oſtendis?* Etiam miſertus tui Mellifluus Doctor, te increpans ait: *Et tu quem fructum exſpectas in mundo cujus fructus ruina eſt, cujus finis mors eſt? Utinam ſaperes & intelligeres ac noviſſima provideres!* Quem quæſo fructum exſpectas à proditore?

Promittit gaudium, largitur dolorem.

S. Bernard.

8. Proditorum eſt callidè, prætextu recreationum, laqueos mortis ſtruere. Gen. 4. Invitat Caïn Abel fratrem ſuum ad agros, *Egrediamur foras*, & dum delitias putavit, mortem invenit. *Cumque eſſent in agro conſurrexit Caïn adverſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* 2. Reg. 13. Abſalon Ammonem fratrem occiſurus, ad convivium quaſi Regium invitat. 1. Reg. 18. Saül percuſſo Philiſtæo viſus honorare Davidem, fecit eum tribunũ ſuper mille viros, ſed ut traderet eum in manus Philiſtinorum. 2. Reg. 20. Joab Amaſam ut fratrem ſalutans, tenenſque manu dexterâ mentum ejus, quaſi oſculans eum, percutit in latere gladio, & effudit inteſtina ejus in terram. 1. Machab. 11. Triphon, Jonatham inſignem belli Ducem dum amicum ſe fingit, dolo captum occidit, omneſque qui cum eo erant. 2. Reg. 18. Dum Abſaloni ſceptrum promittit & coronam, prælio victum, quærcuque pendentem triplici lanceâ per manus Joab transfodit. 2. Reg. 17. Achitopheli Davidis conſiliario laqueum parat, quo ſe ſuſpendat, dum illi promittit montes aureos. Eſther 7. Ammanum Aſſueri intimum, majoris promotionis cauſâ in Mardochæi mortem incitans, in cruce, ab illo Mardochæo parata, ſuſpendi jubet. Quid hos commemorem? ſimilium plenæ ſunt ſacræ Paginæ. Neque hoc miremini, inquit S. Chryſoſt. Hom. 16. ad populum. *Decipientium maximè hoc opus eſt, prius ſuavia proponere, quo mox inferant triſtia.* Necdum ergò perſpicis, Captive, necdum agnoſcis hunc militem tam indulgenter cunctis ſenſualitatibus tuis etiam pravis & diſtortis obſecundantem, tecum velut lamias agere, quæ denudant mammas, ut tranſeuntibus lac præbeant, ſicque delanient? Rogat te Salomon quondã hæc expertus, ne à milite iſto ſeduci te ſinas.

Gen. 4. 8.

2. Reg. 13.

1. Reg. 18.

2. Reg. 20.

1. Machab. 11.

2. Reg. 18.

2. Reg. 17.

Eſther 7.

Proditor proditorum.

D. Chryſoſt.

9. Prov. 1. 10. *Fili mi ſi te lactaverint peccatores ne acquieſcas eis*, ſi rationem deſideres, illam dat D. Cyprianus Epiſt. ad Donat. *Allicit ut ſaviat, blanditur ut fallat, extollit ut deprimat, vivificat ut occidat, offert tibi quidquid recreat, ut te miſerum illaqueet, illaqueatum ſtranguletet, & æternis involvat incendiis*: Et tu adhuc

Prov. 1. 10.

Lactat ut ſaviat.

adhuc dubitas, adhuc hæſitas? aut nova argumenta cupis, undè credas militem tuum proditorem eſſe? Si non mihi, ſaltem Salomoni fidem adhibe, de milite ſuo teſtanti: Prov. 26. quod
Prov. 26. 18. ſit *Vir qui fraudulenter nocet amico ſuo.* Crede Jeremiæ teſtimonium de
Ierem. 6. 23. illo perhibenti c. 6. *Crudelis eſt & non miſerebitur.* Crede Prophetæ Job de te loquenti cap. 20. *Cum ſatiatus*
Iob. 20. 22. *fuerit arctabitur, æſtuabit, & omnis dolor irruet ſuper eum.* Et tu tam ſtultus eris, ut ei fidem adhibeas, eique adhæreas?

10. Peto, nùm fortè centies expertus ſis, quàm amaræ ſint potiones ejus, & quotquot ſumpſiſti hauſtus ejus? Quàm mortiferi cibi ejus? quàm pernitioſæ delitiæ? quàm fraudulenta conſilia & promiſſa? Et tamen inieſcari te ſinis hamo ejus, & tamquam mente captus, ejus ligari vinculis, rapi incantationibus, faſcinari blanditiis, inebriari delectamentis. O miſerum te! videdere dolos & fallacias ejus, & illis tam avidè inhiare? cognoſcere miſerias, & tam arctè amplecti? Scire mendacia, & illa habere tamquam veritatem infallibilem? inſidias ejus detegere, & abſque timore ruere in illas? omnes accuſant militem tuum, omnes reprehendunt, clamant omnes, & dicunt illum fallacem, mendacem, inſidiatorem, & vinctus catenis tuis adhuc amas illi ſubeſſe: Quales prætextus, quales excuſationes, quos dementiæ tuæ colores potes producere? Quoties decepit te miles tuus? quoties exploſit? quoties nec verbo ſtetit, nec promiſſis? Quoties te ſuo infecit toxico? quoties te ſtrangulavit laqueis? & adhuc adhæres, eique cupis ſubeſſe? Miseret tui Jeremiam Prophetam Thren. 1. *Ducti ſunt in captivitatem ante faciem tribulantis.* Threu. 1. 5.
Vinciris catenis, & non cogitas quales te lictores in captivitatem ducant, quales te milites cuſtodiant, Vides à quo duceris, ſentis à quo minaris, & tamen ut loquitur Oſeas 10. cap. *Ephraim docta diligere trituram.* Quàm excandeſceret & inſurgeret in te Theodoretus: ſi viveret, certè aliud de te formaret judicium quàm ille quondam de Azotiis. Oſeæ 10. 11.

Captivus gaudet faſcinari delitiis ſui militis.

11. 1. Reg. 5. Tulerant Philiſtiim arcam Dei, & intulerant in templũ Dagon, ſtatuerantque eam juxtà Dagon: *Cumque ſurrexiſſent diluculo Azotii, alterâ die ecce Dagon jacebat in terra ante arcam Domini, & tulerunt Dagon, & reſtituerunt eum in loco ſuo.* Quis dixerit inter Gentes dementiores dari poſſe Azotiis? quæ enim dementia, Deum quem ſemel ac iterùm proſtratum viderant, denuò elevare & adorare? Ridet illos Theodoretus: *Denuò illum colapſum vident, & tamen adorant.* Non minor tua eſt dementia, Captive, nôſti quàm multos concaptivos tuos hic miles deceperit, expertus es in te millies, & adhuc conſortium ejus quæris, & auſcultas ad eum: *Denuo collapſum vides & tamen adoras.* O intolerabilem inſaniam! Indignabundus exclamat Joël Propheta cap. 1. *Expergiſcimini ebrii, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore veſtro:* Audi ad hæc verba (ſi adhuc tibi auris cordis eſt) D. Gregorium Lib. 33. Moral. cap. 27. *Ebrii vocati ſunt, qui mundi hujus amore confuſi* 1. Reg. 5. 11. 3. Theodoret. Ioël. 1. 5. D. Gregorius.

A mundo ſæpè deceptus, adhuc cupit ei ſubeſſe.

ſuſi, mala non ſentiunt quæ patiuntur; quid eſt ergò dicere, expergiſcimini ebrii niſi ſomnū inſenſibilitatis veſtræ excutite. Vide quale te maneat malū, antequam vini dulcedo in æternā vertatur amaritudinē. Non dicit magnus Doctor: *Quoniam perit ab ore veſtro,* in præſenti; *Nec peribit*, in futuro, ſed *periit* in præterito, ut intelligas quàm brevis & fugax, ſit conditio ſenſualium delectationum, quibus te lactat miles iſte. Ut rectè Stephanus Cant. *Signatius dixit periit, quàm dixiſſet perit vel peribit, quia adeò inſtantanea eſt delectatio, ut potius dicenda ſit præterita quàm futura licet ſit in præſenti.* Si hactenus dicta te non moveant, æternæ ſaltem veritati fidem adhibe de milite tuo teſtimonium perhibenti Joann. 7. *Ego teſtimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala ſunt*: ſi habes teſtimonium contraria produc in medium ſi potes, ſed, ut video, quidquid dixero, parùm aut nihil movebit Captivum noſtrum, utpote vinctum catenis duabus, excæcatum & induratum, & à militibus ſuis ineſcatum. Ergò ad vos me converto qui adhuc liberi eſtis, cavete vobis ab hoc milite, ne & vos aliquando in manus ejus incidatis; mendaciter multa vobis addicet, ſed audite quid dicat:

Stephanus Cant.

Joann. 7. 7.

12. Eccleſiaſt. cap. 34. *A mendace quid verùm dicetur?* Nolite, nolite credere mendaci, & ſi cum illo tractandum ſit, tractate tamquam cum traditore, ſcilicet cautiſſimè. Videte quomodò cautè ambuletis, ut non credatis cunctis blanditiis ejus, ut non acceptetis omnes pollicitationes ejus, & oblationes: Ipſe enim eſt inimicus ille de quo Eccleſiaſt. cap. 12. *Non credas inimico tuo in æternùm, & ſi humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, & cuſtodi te ab illo, & ne ſtatuas illum pœnes te.* Auditis? *Et ne ſtatuas illum pœnes te.* Et quare? *Quoniam cum ſubverſione tua ambulas.* Quia jam in proximo eſt perditio veſtra. *Nolite diligere mundum*, nolite diligere. 1. Joannis 2. Quia proditor eſt, proditor nequiſſimus, vaferrimus, rabidiſſimus. Tradidit Sampſonem Dalilæ, & in manus dedit Philiſtinorum: prodidit Doëg Abimelech Sacerdotem, ut daret in manus Saülis. Tradidit Jeſum in manus Judæorum Judas proditor, at miles hîc pejori vos tradet inimico, principi nempe tenebrarum. O rem inſolitam & miram, placere Proditorem, & iis quidem qui talem eum eſſe agnoſcunt! Quis eos ſanæ mentis dixerit?

Eccli 34. 4.

Mundus mendax ſubverſor.

Eccli. 12. 10.

Eccli. 13. 16.

1. Ioan. 2. 15.

Iudic. 16. 20.

1. Reg. 22.

Matth. 26.

13. Jonam nôſtis Prophetam cap. 1. Hîc à Deo mittitur, ut prædicet in Ninive: at ille allectus militis hujus blanditiis, *Surrexit ut fugeret à facie Domini.* Fugit, ſed quo? *In Tharſis.* Tharſis *Exploratio gaudii*, interpretatur inquit Hieron. Et ecce dum Jonæ gaudium promittit & quietem, in proceloſum mare mittit, ubi tempeſtates invenit & vitæ periculum: ſed quæro, quò modò Jonas navem aſcenderit? Quô? *Dedit naulum ejus. Hæc omnia,* inquit Ribera, *ſine naulo dato habere non potuit, pretio enim & labore ſuo obtinet quod cupit, nihil gratis accipit, ſed magnâ mercede tempeſtatis & luctus, & pericula tandem emit.* O fallacem militem! attendite vobis NN. ſi adhuc

Jonæ 1. 3.

D. Hieronym.

Ribera.

Mundus carè preſſuras vendit.

 cha-

chara vobis ſit anima: Promittet gaudia, & dabit dolores,quos etiam non dabit abſque naulo: ſcitis quid velim. Indignabundus vos alloquitur D. Cyprianus de Immort. ſerm. 4. *Quæ cæcitas animi, quæve dementia eſt, amare preſſuras & pœnas, & lacrymas mundi, & non feſtinare potius ad gaudium, quod numquam poſſit auferri?*

14. Compatior vobis, ſi unquam incideritis in manus ejus: quàm duris vos legibus, quàm gravibus oneribus vos ſubjeceritis! certè gravioribus quàm ſi Chriſti obſequio vos manciparetis: *Catenas ligneas contriviſti* (commiſeratione veſtri tactus loquitur Propheta Jeremias cap. 18.) *& facies pro eis catenas ferreas.* Fateor arduis legibus ſequaces ſuos adſtringit Deus; inimicis veniam largiri, abſtinere ab illicitis, animum dimittere, præſtare obedientiam, pravis deſideriis dominari, gravia ſunt; ſed certi ſumus, Deum non ſolùm vires, ſed & neceſſaria gratiæ auxilia ſuppeditare, ut ea executioni mandemus; (cum D. Leone loquor ſerm. 36. de Paſſione Domini.) *Juſtè inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio.* Mundus autem ſuos tractat, ſicut Pharao miſeros Hebræos, imperans illis labores difficillimos, & ne paleas quidem fabricæ neceſſarias concedens: *Sic dicit Pharao, non do vobis paleas, ite & colligite, ſi invenire poteritis, nec quidquã minuetur de opere veſtro.* Ecce labores imperat Pharao, & paleas negat, ita mundus: *Inſtat præcepto, non præcurrit auxilio.* Et vos tam ſtulti eſtis ut ultrò ſubmittatis vos Domino tam crudeli, tam perfido, tam doloſo?

Jerem. 18. 14.

S. Leo Papa.

Exod. 5. 11.

15. Fatebitur ipſe quod perfidus ſit & doloſus. Equuleo admovete; confitebitur quot mala, quot delicta commiſerit ob quæ meritò condemnetur: Aperiet indubiè, fraudes quibus decipit: deteget laqueos quibus conſtringit; Retia quibus illaqueat; mendacia quibus fallit; artes quibus perſequitur; inſidias quibus proditoriè tradit; modos quibus invadit, arma quibus militat; rupes de quibus præcipitat; vertigines per quas infatuat; faſcinationes per quas effaſcinat: fatebitur ſe monſtrum perquàm crudele, decipiendo feriens, blandiendo nocens, aſpiciendo dementans, interficiens offerendo, inficiens ſollicitando, paſcendo intoxicans, fovendo occidẽs. Prodet quibus utatur conſpiciliis, ut pervertat oculos ſequacium ſuorum, ut fidelem & fidum credant in ſua perfidia, fortem in debilitate, in volubilitate immobilem, in adverſitate felicem, in crudelitate benignum, in deformitate pulchrum, tranquillum in tempeſtate, in avaritia liberalem, in ægeſtate divitem, in triſtitia jucundum, majeſtuoſum in nuditate, in abjectione ſublimem, in timore generoſum, & in miſeriis beatum. Palam faciet ſeditiones populorum, ruinas Civitatũ, ſtrages militum, incendia Provinciarum, tumultus Regnorum, Principum perſecutiones, Coronarum jacturas, Sceptrorum conculcationes. Et tot ſcelerum artifex pandet, quomodò ſub ſpecioſis titulis & prætextu honorifico non agnitæ veritatis, ambitionis malè intellectæ, bonorũ fugaciũ, larvatæ veneris, delitiarum fallacium, conventionis amicabilis, luctus faſtuoſi, colloquii dulcis, convivii grandis fuerit omnium iſtarum

funeſtiſſimarum tragœdiarum cauſa prima. Dum ipſum habetis talia confitentem, eſtne quod ego addam adhuc aliquid? Addam tamen & dico, hunc militem in hoc ſolùm collimare, ut Captivis ſuis, cordis oculos (ſi quid adhuc luminis inſit) in terrena & mundana declinet, ne illos elevans in Cœlũ moveatur ad effringendum carcerẽ: ſat illi eſt, modò oculos ejus avertere poſſit à Cœlo ad terrã, ut terrena cogitet, terrena appetat, non ſecus ac Dux ejus, cujus miles eſt.

16. Luc. 13. *Erat mulier quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omninò poterat ſurſum reſpicere.* Reſpexit illam Chriſtus, Et ecce: *Confeſtim erecta eſt, & glorificabat Deum.* S. Chryſol. Serm. 105. latens hic pandit myſterium: *Videtis quia hæc mulier depreſſo nequiſſimi ſpiritûs onere ſuſpirabat, qui ſemper oneribus peccatorum deprimit homines, & declinat ad terram, ne Cœlum videant, ne ſupera ſapiant, ne Deum aſpectent, ne ad libertatem ſuam per ſuum revertantur authorem, ſed inclinato capite, defixis oculis, prono vultu captivi ſub jugo ſemper hoſtis teneantur antiqui.* O miſerum Captivum, ab hoc milite adeò inclinatum, ut omninò non poſſit ſurſum reſpicere oneribus peccatorum depreſſus, & declinatus ad terram, ne Cœlum videat, ne ultrà ſupera ſapiat, ne Deum aſpectet, nec ad libertatem ſuam per ſuum revertatur authorem, ſed inclinato capite, defixis oculis, prono vultu Captivus ſub jugo ſemper hoſtis teneatur antiqui! iis annumeratus de quibus Dan. 13. *Declinaverũt oculos ſuos ut non viderent Cœlum.* Et Pſal. 16. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*, ne ultrà cognoſcat & conſideret theſauros infinitos & divinos, juxtà illud Apoſtoli Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritûs Dei, ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere.* Et ſic illaqueat miſerum, illaqueatũ ſtrangulat, ſtrangulatum ſempiternis involuit incendiis. Captive, dum adhuc tempus eſt, roga ut reſpiciat te Chriſtus, & liberet te de manu iſtius militis, ut confeſtim erectus glorifices Deũ. Ipſius reſpicere, erigere eſt: non mea ſunt, ſed Pſalmiſtæ verba.

Luc. 13. 11. — S. Chryſol. — *Mundus inclinat ad terrena, ne ſpectet ſuperna.* — Dan. 13. 9. — Pſal. 16. 11. — 1. Cor. 2. 14.

17. Pſal. 103. *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere.* Quomodò verba hæc conveniunt, cum iis quę antecedenter dixerat: *Fundâſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam?* Putatis Prophetam loqui de terra quàm pedibus calcas? Non de illa, ſed de viva loquitur. Dixerat Deus ſerpenti, *Terram comedes. Terra es, & in terram ibis.* Hic audiendus magnus Auguſtinus. *Cibus ſerpentis eſſe non vis? noli terra eſſe. Quomodò inquis, non ero terra? ſi terrena non ſapias.* Quando facit eam tremere? quando reſpicit. *Domine*, inquit David Pſ. 34. *quando reſpicies? reſtitue animam meam* de manu malignantis, erue de manu hujus militis unicam meã. Confeſtim reſpice me, ut erigas me, & æternùm glorificem te.

Pſal. 103. 32. — Verſ. 5. — Gen. 3. 14. — D. Auguſtin. — Pſalm. 34. 17.

FERIA II. DOMINICÆ II. ADVENTUS

De Captivitate Petri.

Cum autem producturus eum eſſet Herodes ipsâ nocte erat Petrus dormiens : Act.12. v.6.

Diabolus ſub larva delitiarum morti parat Captivo.

1. NE quidem Hercules contra duos : Quid ergo miſer Captivus noſter vinctus catenis duabus contra duos non gregarios, ſed veteranos milites fallaces, inſidiatores, proditores, nequiſſimos, vaferrimos, rabidiſſimos? Horum alter ut Captivitatem illam alleviet, delitiis & oblectamentis ſuis divertit, & Captivum non ſolùm invitat ad verba cantionum, ne de exitu aut effractione cogitet : ſed habens poculum in manu, plenum abominatione, allicit ad bibendum, ut inebriet vino temporalium delectationum, ſicque ut Jaël Siſaræ potum dat tamquam quoddam apparamentum ad mortem. Tractat eum comiter; ſed ut Cain Abel, Abſolon Ammonem, Sampſonem Dalila, Joab Abner & Amaſam; obſecundat cunctis ſenſualitatibus, etiam pravis, & illicitis; velut Lamiæ denudat mammas, & lac præbet, ut ſic dilaniet : offert ei quidquid recreat, ut miſerum illaqueet, illaqueatum ſtrangulet, ſtrangulatum æternis involvat incendiis: & tamen centies expertus quàm amaræ ſint operationes ejus, quàm mortiferi cibi, quàm pernitioſæ delitiæ, ineſcari ſe ſinit ejuſmodi, & ligari vinculis, rapi incantationibus, faſcinari blanditiis, inebriari delectamentis: millies ab his duobus deceptus, eorumque inſectus toxico, & ſtrangulatus laqueis, amat illis ſubeſſe *Quaſi Ephraim docta diligere trituram*: Quis crederet? clareſcet veritas, ſalutatâ prius virgine Maria: Ave gratiâ plena. Oseæ 10. 11.

2. Dormis Petre vinctus catenis duabus, & quidem inter duos milites, ab Herode in craſtinum producendus ut ſententiam ferat in caput tuum? *Ipsâ nocte erat Petrus dormiens.* Quid? mors tibi paratur & tu tranquillum ſomnum carpis? ſtertis incurius, & mortis timore non expergiſceris? jam carnifex ferrum ſtringit, aut crucem parat, & tam profundo ſomno ſepultus jaces, velut à papavere ſatur? tam ſuavi frueris quiete quaſi in mollibus plumis cubares? Quidnì Petrus in Domino confiſus, & pro Deo patiens dormiat ſecurè? Sed quod tu Captive diaboli, inter duos milites, quorum dolos noſti & fallacias, ſecurus ſis, & altè dormias, dormiens ſtertas, & ſomnies, hoc non capio; Quid? dormis tu, forte cras, hodie, hoc momento, citandus coram Deo judice, laturo in te ſententiam à qua pendet æternitas? *Uſquequò piger Dormies, quando conſurges è ſomno tuo?* Componas te ad ſomnum ut vis, conſtituas tibi tempus tam longum Prov. 6. 9.

Captivus morti proximus malè indormiſcit.

gum ut edormias, ſed attende ne te opprimant imminentia tibi mala. Jerem 18.13. *Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Iſraël.* NN. vos hodie teſtes volo præſumptionis hujus nequiſſimæ: vos Præbete benignas aures, & ego incipio.

3. Quid eſt dormire? Ignotus aliis, nobis notiſſimus reſpondet Michaël à Bononia. Michaël à Bononia in Pſal: *Dormire eſt in peccatis perſeverare, dormire eſt remedia ſalutis reſpuere, dormire eſt peccandi habitum induere:* *Dormire eſt media ſalutis reſpuere.* Nôſti & probè nôſti, quod ipſo inſtanti, quo factus es captivus diaboli, in te lata ſit æternæ damnationis ſententia: executio ejus ſolummodò pendet à fili abſciſſione pendentis ſuper puteum abyſſi, & tu dormis placidiſſimè omni ſalutis tuæ abjectâ curâ? ſi illa non ſit, quæ erit unquam temeritas intollerabilis? Habes de te. & concaptivis tuis conquerentem Prophetam.

Iſaiæ 51. 4. Iſaiæ 51. v. 20. *Dormierunt in capite omnium viarum ſicut oryx illaqueatus, pleni indignatione Domini.* *Incuria peccatoris damnabilis.* Animal in regione Africæ naſcitur, capræ non diſſimile, quod oryx dicitur, adeò fidens ſibi, ut etiam undecumque hinnientibus equis, & latrantibus canibus, in ipſis venatorum retibus ſomnum carpat, & ubi alia animalia ſeſe contorquent, convolvunt, & ſeipſa quaſi diſcerpunt, imò ſeipſa perimunt ob violentiam quâ, ſeſe à laqueis expedire nituntur, oryx tunc placidiſſimo ſomno indulget. Quanta inſenſibilitas! Hinc Deus immundum cenſuit Orycem, prohibuitque in domo ſua offerri, teſte D. Hieronymo, in D. Hieronymus. Comment: *Sicut oryx in venatorum retibus quieſcit; quod genus beſtiæ inter immunda animalia in Levitico & in Deuteronomio ponitur.* Talis tu oryx es, Captive, qui indignatione Domini plenus, plenus iniquitate, catenis duabus conſtrictus, dormis illaqueatus, ò rem horribilem! *Dormierunt ſicut oryx illaqueatus.* Quis tibi fidem dabit, quod ex nunc in damnum tuum, non ſint emiſſi canes venatici infernales, qui te dilanient, & tu dormis, & dormis in omni loco tam ſecurè: *In capite omnium viarum?* & ſæpè ſicut Sampſon, etiam in ſinu meretricis? Amos 6. 4. *Dormitis in lectis eburneis & laſcivitis: O præſumptio nequiſſima! unde creata es?* Eccli. 37. Quomodò potes dormire (D. Chryſ. te alloquitur Eccl. 37. D. Chryſoſt. Hom. ſuper illud: *Elatum eſt cor Ozeæ* Tom. 1.) *Ubi metus, ubi diſcrimen, ubi periculum, ubi tantorum malorum expectatio, ubi tribunalia, ubi accuſationes, ubi judicis ira, ubi gladius, ubi carnifex, ubi barathrum ac deportatio?* Verè tu ex illis es, de quibus Eccleſiaſtes 8. *Sunt impii, qui* Eccle. 8. 14. *ita ſecuri ſunt quaſi juſtorum facta habeant:* Ita ſecurus es quaſi ſalutem animæ in pugno teneres: Peto à te cum D. Bernardo Serm. in Job: D. Bernard. *Unde hæc tam pernitioſa tepiditas? Unde hæc ſecuritas maledicta?* ut video Jonam induiſti.

5. Jonæ 1. Jonas cum cæteris Jonæ 1. 5. aſcendit mare, exurgit procella ſæviſſima. Quotquot erant in navi *Tempeſtati & pericula animæ peccator negligit.* Nauclerus, nautæ, remiges, omnes verbo, timore pleni clamant ad Deum, *Et miſerunt vaſa, quæ erant in navi, in mare ut alleviaretur ab eis?* Alii per foros curſitantes vela contrahunt, alii jam in malo, jam in

 prora,

prora, remiges ad ſcalmos conſidentes remigabant, ut reverterentur ad aridam: at ille, propter quem facta eſt tempeſtas, ſolus quaſi maris pericula neſciens, non dormit tantùm, ſed Altiſſimo ſopore jacet correptus, ita ut ipſe Gubernator indignabundus clamârit: *Quid tu ſopore* Verſ.6. *deprimeris? ſurge invoca Deum tuum, ſi fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus.* Dum nautæ Jonam, ego te, Captive, alloquor cum D. Ambr. qui per mare præſentem vitam & Pſal.103.25. mundum intelligit: *Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus, illic* S. Ambroſius. *reptilia* id eſt inimici, *quorum non eſt numerus.* Gubernatores, qui maris pericula nôrunt, ut in tempeſtate ſunt, ut quatiuntur, & tentantur à mundo, ut pulſatur eorum navis, id eſt, voluntas tempeſtate aliquâ, ſtatim invocant Deum, pulſant cœlum precibus, qui diabolicas nôrunt fraudes, vigilant, trepidant, pœnitentiam agunt, vigilant in anguſtiis, perſecutionibus, frigore nuditate &c. & tu dormis tranquillè, nec periculum tuum circumſpicis, nec ſalutis tuæ curam geris? tu? tu peccatis plenus, ſopore deprimeris, & peccatis indormis? tranquillitas iſta, tempeſtas eſt: ſic dormire perire eſt. *Cum dixerint pax & ſecuritas tunc repentinus eis ſuperveniet interitus* 1. 1. Theſſ.5. Theſſ.5. v. 3. Dormi ut vis, ſed vide ne tibi ſomnus ſit veluti horrenda comminatoria Jezabeli facta.

6. Apoc. 2. De inveterata illa Apoc.2.21. *Sopor peccatorum malorum peſſimum.* malorum pelle conquerebatur Deus: *Dedi illi tempus ut pœnitentiam agat, & non vult pœnitere.* Quid in vindictam facturus eſt Dominus? leprâ teget? mitis nimis foret illa pœna pelli tam improbæ & ſceleratæ. Febrem illi ardentem immittet? febris quantumcumque ardens, furiæ iſti infernali adhuc diminutus foret infernus. Ad mortis ſupplicium rapiet? non ſufficit illi mors una, quæ tot occidit animas. Imperabit Dominus ut terra aperiens os ſuum vivam eam deglutiat? num in illam vibrabit fulmina? exigua iſta ſunt. Habet ergò Deus in furoris ſui armamentario aliquid atrocius? habet: *Ecce ego*, inquit, *mittam eam in* Verſ.2. *lectum.* Illam ei pœnam infligam. Illam? Ego gratiam potius quàm pœnam dixerim, favor erit, non crudelitas, quid enim dulcius ſomno? & tamen replicat Dominus: *Quia non vult pœnitere, mittam eam in lectum*, ut dormiat: *Mittam in lectum, id eſt, in ſecuritatem peccandi* inquit Gloſſa interlinealis. Sic Deus Gloſſa Interl. aget tecum, Captive, quia non vis pœnitere, mittet te in lectum, dormire te ſinet, mittet in ſecuritatem peccandi, ſed ſecuritas illa tempeſtas eſt, & plaga maxima.

7. Matth.26. In horto Gethſemani, Chriſto agonizante dormiunt Matth.26.43. Petrus, Joannes, & Jacobus: triſtis uſque ad mortem, venit ad illos, & inveniens dormientes, non profundo ſed levi ſomno, dicit Petro: *Sic non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum? Vigilate & orate:* Redit *Mortiſque prodromus ſomnus eorum.* pro ſecunda vice, & *iterum invenit eos dormientes*: *Dormientes* ut ante? quaſi verò: Invenit eos ſopitos potius quàm dormientes, profundiori utique dormientes ſomno quàm anteà, ſic teſtatur Evangelium: *Iterum invenit eos dormientes, & erant oculi eorum gravati:* Audis? *Erant*

Erant oculi eorum gravati, graviori ſomno oppreſſi. Venit Chriſtus vice tertiâ & reperiens illos obdormientes, lethargiâ potius quàm ſomno correptos, quid agit? quid ait? an latera eorum percutit? An tunc tonitrua immittit, ut vel tremore illos à ſomno excitet? nihil horũ: dicit ſolummodò: *Dormitej im & requieſcite.* Digna dormientibus pœna! *Dormite, requieſcite.* Notat D. Hilarius in Cat. ordinem loquendi: *Primò objurgat, ſecundò ſilet, tertio quieſcere jubet.* Ne quis quietem illam, clementiam putet aut gratiam: quia qui Divinæ ſecretariæ ſtylum novit, illam mortis prodromum dicet: ita Job 36. v.14. *Anima eorum in tempeſtate movetur.* Non credis mihi, quod dormientibus ſimilia obveniant? Crede ergò expertis.

D. Hilarius.

Job 36. v.14.

8. Judic.16. Dormit Sampſon in ſinu mulieris, ſemel iterumque ignavo ſomno indulgens, viribuſque fretus, ſeſe adverſarios ſemper debellaturum præſumens. *Dixit in animo ſuo: Egrediar ſicut ante feci, & me excutiam, neſciens quod receſſiſſet ab eo Dominus.* Plures de hoſte triumphos egerat: verùm dum nimium confidens, ſomno reſolvitur, ab hoſtibus captus, oculiſque privatus vincitur & tandem incidit in manus mortis. Audiendus hic Hugo Vict. in Alleg. Tilm. *Sampſon erutis oculis ad molam ponitur, quia amiſſo animus lumine veritatis, per appetitum terrenorum deſideriorum circumfertur, qui videlicet Sampſon quamdiu capillum capitis habuit, inſuperabilis fuit, ſed poſtquam in ſinu mulieris obdormivit, caput capillum perdidit, continuò ab hoſtibus capitur. Hoſtium fit præda fortis dum dormit, prædam ab hoſtibus eripit dum vigilat.* Ita ille. Unde originem duxit ruina & mors Jsboſeth filii Saulis. 2. Reg.4? Dormiebat ille ſuper ſtratum ſuum meridiè fervente, & obdormiverat oſtiaria domûs, ingreſſi autem latenter domum Rechab & Baana percuſſerunt eum in inguine. Jud.4. Siſara à Jahele lactatus obdormit, & illa obdormienti vitam eripit: hi fructus ſunt dormientium, & tu, Captive inter duos tam perverſos, doloſos & ſemper vigilantes milites non ſolùm dormis ſed obdormis? Dormi & obdormi ut lubet, ſed vide ne tibi contingat. Illud Job.11. *Requieſces & non erit, qui te exterreat*: & quis exterreat cum diabolus ipſe juxta. Job 40. In te & tibi ſimilibus quieſcat & dormiat: *Sub umbra dormit, in ſecreto calami, in locis humentibus.* Quæ verba exponit B. Albertus magnus: *In umbra, id eſt in avaris, umbram temporalium quærentibus: In ſecreto calami, id eſt in ſuperbis, vacuitatem vanæ gloriæ ſequentibus: In locis humentibus, id eſt luxurioſis ac delitioſis, delectationem carnis ſequentibus.* Audi me ſi adhuc auditus ſit in aure cordis.

Judic.16. 20.

Probatur hoc in Sampſone & aliis.

Ugo Vict.

2. Reg 4.

Judicum 4.

Job 11. 19.

Job 40. 16.

B. Albertus Magnus.

9. 1. Reg.26. Cum David inveniſſet Saulem inimicum ſuum capitalem dormientem in tentorio, ſimiliter Abner & Cuſtodes ejus dormientes in circuitu, ſolo comitatus Abiſai, volente perfodere Saulem lanceâ, prohibens eum ne extenderet manum in Chriſtum Domini, tulit David haſtam, quæ erat ad caput ejus, & Scyphum aquæ, & abiit, nemine vidente aut intelligente

1. Reg.26. 12.

Somnus à morte vix differt.

ligente, quia *Sopor Domini irruerat ſuper eos.* (Nota) *Sopor Domini irruerat ſuper eos.* Quid aget Saul in poſterum ad bella proceſſurus, haſtâ privatus? Quomodò ſuſtentari poterit, ſcypho ablato, qui alimoniam ſignificat? Quærit hîc D. Chryſoſt. cur non interfecerit eum David, occaſionem habens adeò ſibi faventem? Et reſpondet Hom. de Davide & Saule: *Videns ſic Saulem dormientem, impotentem, à Cuſtode derelictum, meditationem de eo & ſuper eo inſtituit ſibi; cum enim videret illum manere immobilem, nec quidquam poſſe facere, cum animo locutus eſt: David ubi technæ? ubi inſidiæ? abierunt omnia illa, perieruntque exigui ſomni incurſu, jacet alligatus Rex, cũ nihil nos neque cogitaverimus neque fecerimus: David videns Saulem dormientem, intuebatur eum tamquam mortuum, quid enim à morte differt ſomnus? alligatum intuebatur, ſed à ſomno; ſat ipſi erat, conſpiciebat illum dormientem ac de morte omnibus Communi Philoſophabatur*: Videns David Regem dormientem & Abner, cujus erat vigilare, & cuſtodes omnes dormientes, attonitus ſtetit, cœpitque meditari de communi omnibus morte, ac proindè occidere eum noluit, ſciens ipſum æternùm periturum, ſi ſic eum interficeret. Econtra arbitratus eſt ſuarum eſſe partium vigilare pro Rege, eumque excitare, præſertim dormiente Abner, corporis ſui cuſtode. Si David miſertus eſt Saulis dum dormientem vidit: magis tui me miſeret, miſer Captive, dum ſtertentem te videò inter duos milites, non qui te cuſtodiunt, ſed qui animæ tuæ inſidiantur; dormiente etiam Abner, conſcientiâ tuâ, cujus eſt vigilare & cuſtodire unicam animam tuam, dum tibi tot hoſtes, tot tibi pericula imminent, nemine tui curam gerente: vide ne inimici tui à te haſtam & Scyphum auferant, ne te ſpolient armis ſpiritualibus, quibus te defendas, & Scypho aquæ, qui alimenta ſignificat, ſeu Sacramenta, ne hinc ſine Eccleſiæ Sacramentis diſcedas. Vide ne ſopore illo lethargico oppreſſus, requieſcas, & non ſit, qui te exterreat, & ne ſopor Domini irruat ſuper eos, qui ad tui cuſtodiam conſtituti ſunt: fateor pepercit David inimico ſuo Sauli dormienti [illegible] ibi dormienti nequaquam parcet inimica mors: Unde ſi ſapis excute ſoporem, ut vivâ ſummi numinis æternique judicii cogitatione percellaris, ne tibi obtingat, quod quondam Holoferni.

S. Chryſoſtomus.

David Saulis dormientis miſertus miſerabilem dormientium ſtatū oſtendit.

10. Judith. 13. Jacebat ille in lecto, nimiâ ebrietate ſopitus, & ecce Judith non ferro, ſed fide armata, accedens ad columnam lecti ejus, pugionem ſolvit, evaginat, & dormientis caput abſciſſura, orabat Deum dicens: *Confirma me Domine Deus Iſraël, & reſpice in hac hora ad opera manuum mearum*, & apprehensâ comâ capitis ejus, percuſſit bis in cervicem ejus, & abſcidit caput ejus, ablatoque conopæo ejus, in quo recumbebat in ebrietate ſua, de hoſte triumphat. Porrò illa: *Univerſa vaſa bellica Holofernis & Conopæum, quod ſuſtulerat de cubili ejus obtulit in Anathema oblivionis*, id eſt in deteſtationem, & ſuſpendit in templo in perpetuam infamiam

Qui probantur in Holoferne.

Judith. 13 7.

Judith. 16. 23.

infamiam, & confuſionem ſic ſui obliviſcentium. N. Si hoc in templo ad ſingulas Columnas *in Anathema oblivionis*, liceret ſuſpendere univerſa arma bellica eorum, quibuſcum peccâſti aliquando, quos noviſti concaptivos, quos, non monitos, inopinata mors abripuit dormientes in peccatis, de quibus verè dicitur: *Dormierunt ſomnum ſuum*: Si inquam liceret ſuſpende-

Ezech. 32. 27. re arma illa, de quibus Ezech. 32.

Et ex ſomno ſempiterno convincuntur.

27. *Deſcenderunt ad infernum cum armis ſuis*: jam fortè concurreris ſancto timore, videns arma eorum, qui ſine Sacramentis mortui, ſine cruce, ſine luce, abiêre, & modò dormiunt, *&* ut rectè Jeremiæ 51.

Jerem. 51. 39. *Dormient ſomnum ſempiternum, & non expergiſcentur.* Sed cum hoc non poſſim, audi ſaltem, ſi edormîſti, Spiritum ſanctum monentem Te.

Eccleſ. 14. 11. Eccli. 14. 12. *Memor eſto, quoniam mors non tardat.* Dormis

Mors non tardat.

ſecurè, quaſi cum morte pactum iniiſſes, perſuadens tibi, illam non tam citò te invaſuram, ſicque peccas liberiùs, non ſecus ac infamis adultera Prov. 7. Provocans procum ad illicita dicens: *Non eſt,*

Prov. 7. 19. *vir in domo ſua, abiît viâ longiſſimâ*; Imò eumdem faciens computum, quem ſervus ille Lu-

Luc. 12. 45. cæ 12. *Qui cœpit percutere ſervos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari, aperire armaria, cellamque vinariam ut epularetur cum ebrioſis.* Et quare? quia dixit in corde ſuo: *Moram facit Dominus venire.* Sed quid factum? Veniens Dominus ſervi illius, in die, quâ non ſperat, & horâ quâ neſcit: diviſit eum, partemque ejus cum infidelibus poſuit.

Illius inconſideratio malorum cauſa.

Eodem capite Dives ille, qui totum ſe dederat deliciis & divitiis accumulandis in pauperum ſuppreſſionem, in lecto dicit intra ſe: *Anima mea comede, epulare,* Luc. 12. 19.

habes multa bona in annos plurimos. Et ecce vox de cœlo: *Stulte hâc nocte*, quâ lecto decumbis, ſomno indulgens, *Animam tuam repetent à te.* Sed quid unum aut alterum commemorem? Dum totum pænè genus humanum in exemplum poſſum adducere? Certè vereor ne tibi contingat, ruaſque in damnationem, ut contigit in diebus Noë, dum totus mundus periit impœnitens, quia credere nolebant venturum diluvium, quod tamen ex parte Dei prædixerat Noë venturum annis centum: *Non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes.* Ut habetur Matth. 24. Ne ergò mireris, quod Spiritus ſanctus te moneat ſeriò: *Memor eſto, quoniam mors non tardat.* Non dicit: *Scias*, ſed *Memor eſto*: Præſupponit enim te rem adeò certam, & omnibus notam non latere, & ideò cum urbanitate te rogat, ut ſolummodò recorderis. *Memor eſto.* Facilè credit Chriſtianus mortem venturam, ſed quod citò veniet, non facilè ſibi perſuadet: hinc decipiuntur multi, falluntque ſe ipſos, donec *Veniat mors* Pſalm 34. 16.

ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes, antequam ſciant: ſicque de ſomno temporali incidunt in ſempiternum. Vis ergò, Dormitator, dicam tibi quando mors irruet in te? Pro me dicet Iſaias cap. Iſaiæ 30. 13.

30. 13. *Subitò dum non ſperatur veniet contritio ejus.* Necdum credis?

Et quia mala eventura non memorantur pereunt nominati. Matth. 24. 39.

Sacras paginas pervolve & conſidera attentiùs.

Danielis 5.

12. Danielis 5. Baltazari Regi Chaldæorum apparet in ſuperficie parietis aulæ Regiæ, manus fatalis denuntians mortem: at quando? Dum fecerat grande convivium optimatibus, bibebatque cum concubinis ſuis ex vaſis aureis, quæ aſportaverat Nabuchodonoſor Pater ejus ex templo, quod eſt in Jeruſalem, quando laudabat Deos ſuos aureos & argenteos, æreos, ferreos, ligneoſque & lapideos, & quando ne quidem de morte cogitabat.

Monſtratur iſtud exemplis.

Nabuchodonoſori Regi Babyloniæ, quandonam intonuit vox adeò funeſta, quod cum feris pars ejus eſſet in herba terræ, & cor feræ daretur ei? Vis ſcire? Tunc: quando

Dan 4. 12.

ſomniaverat dormiens, quod arborem vidiſſet in medio terræ, cujus altitudo nimia, arborem magnam & fortem, cujus proceritas cœlum contingebat, & aſpectus uſque ad terminos univerſæ terræ, cujus folia pulcherrima, & fructus nimis: Tunc, inquàm, vox illa intonuit, cum ſermo adhuc eſſet in ore Regis,

Dan. 4. v. 48.

& dicebatur illi: *Nabuchodonoſor Rex, regnum tranſibit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum beſtiis erit habitatio tua. Fœnum quaſi bos*

2. Machab. 9. 5

comedes. 2. Machab. 9. Quando Antiochum percuſſit Deus inſanabili & inviſibili plagâ viſcerum, ita ut eum, qui paulò ante ſidera cœli contingere ſe arbitrabatur, nemo potuerit propter intollerantiam fœtoris portare? Quando? dum omni exuto timore ſuperbè locutus eſt, ſe venturum Jeroſolymam, & congeriem ſepulchri Judæorum facturum. Quando Rex Sennacherib paſſus eſt feralem ſtragem per manum Angeli 185000 Aſſyriorum, & ipſe à filiis percuſſus eſt gladio? Numquid dum in Deum blaſphemus quod impotens eſſet eruere populum ſuum de manu ejus? Quando executioni mandata eſt, in Jezabelem lata à Deo ſententia. 4. Reg. 9. *Jezabel comedent canes in agro Jezrahel?* Numquid dum ornatu ſuo meretricio alliciebat Jehu unctum à Deo Regem? Vide & conſidera omnes, in quos ſævi'it ira Dei, an non ſævierit in dormientes, in peccatis perſeverantes, & ſalutis remedia reſpuentes. Cur ergò non idipſum timeas, qui peccatis indormis, cum proteſtetur Apoſtolus 1. Theſſ. 5. 3. *Cum dixerint pax & ſecuritas: Pax in* præſenti, *ſecuritas* in futuro, *tunc repentinus eis ſuperveniet interitus. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Job 21. Num fortè aliud de ſpeciali privilegio revelavit tibi Deus? habeſne ſigillatas litteras, quod morieris in gratia, quod felicem habiturus ſis exitum? Si habes, produc in medium: ſi non habes, cur ergò tam temerarius es, ut vivas incurius & ſecurè dormias cum tanto animæ tuæ periculo? An putas ly *Vigilate*, quod toties ingeminat S. Evangelium, anſeribus dictum? Tibi, tibi, loquitur Evangelium, mihi loquitur, omnibus loquitur. Si ergò te ſtertentem mors impetat. & præoccupet, cui imputanda erit animæ tuæ perditio, Deo te toties præmonenti, vel tibi? Da mihi ut unam aut alteram ſimilitudinem tibi ob oculos ponam.

4. Reg. 19.
4. Reg. 9. 10.
Malè promiſſa ſecuritas, damnationis cauſa.
1. Theſſ. 5. 3.
Job 21. 13.

13. Quando

In incendio domûs magis homo ſollicitus, quàm peccator pro anima.

13. Quando incendium domum corripit, pulſatur illicò campana incendiaria, inflatur cornu; undique clamatur, incendium, incendium: confluunt omnes, ut auxiliatrices manus præbeant, & ſi flamma extingui nequeat, laboratur ut ſalvetur pretioſa ſuppellex. Domus corporis noſtri continuum patitur incendium, ex calore naturali conſumente humidum radicale, Deus & natura in variis corporis partibus illud per arterias indicant, quaſi per tot campanellas ſonantes incendium, incendium: tu ipſe febre ardente correptus, clamas incendium, occurrunt medici, ut flammam extinguant, ſed quidquid fecerint, conflagrabitur domus uſque ad cineres: ſi domus ſervari non poſſit, ad minus ſatage ſalvare pretioſam animam, quæ in te eſt, ne de incendio corporali tranſeas ad ſemper duraturum in inferno. Non mea

Eccleſ. 10. 31. ſed Eccleſiaſtici verba ſunt Cap. 10. *Fili ſerva animam tuam.* Quid ſervares animam, qui domo conflagrante ſtertis in lecto? Magis te premo. Si domum, quam inhabitas, labantem conſpiceres, muros aperire os ſuum hiatu magno, trabes deficere, pernoctareſne in illa? dormireſne ſecurè? Quid ſi faceres, & inexſpectatè domus corrueret? ſicque oppreſſus morereris, cui imputanda foret iſta temeritas, cui imputanda mors tua? Non meretur reſponſum. Corpus tuum, domus eſt animæ tuæ, ut dixi, domus caduca, continuam minans ruinam. *Quot enim ſunt pori corporis, tot ſunt oſtiala mortis* teſte Se-

Seneca.

neca: Quoties vidiſti minari ruinam ſuperveniente infirmitate mortali Catharri, Apoplexiæ, Paralyſis &c. Quid illa ſunt niſi oſtiala mortis? quid niſi ora aperta, quæ clamant, ne in domo illa dormias ſecurè? Si poſt tot monita corruat domus, & illâ corruente, tu in lecto jaceas luxurians, cui imputanda foret mors tua, non corporis tantùm ſed & animæ, non temporalis ſed æterna? An Deo? abſit, inquit Magnus Auguſtinus, quia: *Nemo volens ferire dicit: obſerva.* Ergò tibi. Audiſti centies, alium ſubmerſum, alium occiſum, alium alio mortis genere ſubitò extinctum, etiam dormientem, & novit Deus an non forſitan ſic rapiêris & tu. Cur ergò obſecro, Deus hos tibi ob oculos ponit? niſi ut attendas, ne idem tibi contingat: illa eſt ratio & non alia.

Mors aliorũ inopinata terror eſſe debet viventium.

S. Auguſtinus.

14. Gen. 41. Dormit Pharao, & altè dormiens incidit in ſomnia duo, primò, putabat ſe ſtare ſuper fluvium de quo aſcendebant ſeptem boves pulchræ & craſſæ nimis, & paſcebantur in locis paluſtribus: aliæ quoque ſeptem emergebant de flumine fœdæ, confectæque macie, & paſcebantur in locis virentibus, devorantes priores. Expergefactus rurſum dormivit, & vidit ſomnium alterum. Septem ſpicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque formoſę; aliæ quoque totidem ſpicæ tenues & percuſſæ vredine oriebantur, devorantes omnem priorum pulchritudinem. Utrumque ſomnium interpretatur Joſeph illuminatuſque juvenis: diſſoluto ænigmate ſomni prioris, requiſitus ſuper ſecundo, reſpondet Regi: *Somnium*

Gen. 41. 17.

Verſ. 25.

Verſ.32.

Regis unum eſt : Somnium ſecundum non eſt niſi Synonima repetitio, in veridicam confirmationem prioris: *Quod autem vidiſti ſecundò, ad eandem rem pertinens ſomnium: firmitatis indicium eſt, eò quod fiat ſermo Dei, & velocius impleatur.* Ut dictum, ita & factum eſt: nam poſt ſeptem annos ubertatis, quos indicabant boves craſſæ, ſubſecuti ſunt ſeptem anni egeſtatis, expreſſi in ſeptem macilentis. Hoc eſt *Factum* à Deo propoſitum, Gen. 41. & myſterium latet in verbis Interpretis: *Quod vidiſti ſecundò ad eandem rem pertinens ſomnium, firmitatis indicium eſt*; quaſi diceret, quod repetitis præmonitionibus certius & citius ſubſequetur, quod proponitur. *Firmitatis indicium eſt, & quod velocius impleatur.* Sic agit tecum Deus, ne præmatura & repentina mors dormientem te præoccupet. Dic mihi, aut (ſi præ pudore non audeas) pœnes te cogita, quot ſæpè ſomnia habueris dormiens? modò ſubmergebaris, modò cadebas in foveam, modò ab inimicis occidebaris rixando, &c. Quid ſibi volunt iterata illa, & toties renovata ſomnia? *Firmitatis indicium eſt*: indicium eſt, quod ſimilia infortunia facile tibi poſſent evenire & forte evenient. Peto ulterius: ſi ita monitus velles peccatis obdormiſcere, & te ſpernentem periculum animæ, appreliendere mors improviſa, auderes in Deum culpam conjicere? hoc ſolùm quod te Deus toties præmoneat, ut animæ tuæ conſulas, ſufficit ad juſtificandum Deum, & ad totam culpam conjiciendam in te.

Geneſ.41.

Deus peccatorem multimode præmonens de ſuperventuro interitu tanto magis certificat.

15. Videò, ſuper quod fundamentum ædifices. Novi, inquis, multos, qui in peccatis dormiêrunt & indormiêrunt, & tamen ſtantibus iſtis periculis tandem expergefacti integris ſenſibus dormiêrunt ſomnum pacis. Sed quid infers? Fortè & ego tam felicem habiturus ſum vitæ exitum. Itane? D. Chryſoſtomus te alloquitur excandeſcens in te Hom. 24. in Epiſt. 2. ad Cor. *Incertis ergo eventibus te ipſum committis? Memento quod de anima loqueris*, & quidem de anima tua, de anima unica, de anima immortali, quæ ſi pereat, damnum erit irreparabile. Non committis tali eventui litem tuam, depoſitum tuum, intereſſe tuum quantumcumque minimum, & committes animam tuam? *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer.* Quæ dari poteſt ſub cœlo temeritas major? Te ipſum teſtem volo: dic mihi, quantâ cautelâ peragis negotia domûs tuæ? ſi lecto decumbas, non dicis: non vocetur medicus, fortè ſanabor ſine medicina, ſi mutuas amico tuo ſummam aliquam notabilem, Chyrographum exigis, non ſecus quam Tobias, qui quantumcumque ſciret Gabelum virum probum, fidelem & timoratum: *Argenti pondus dedit ſub Chyrographo*; Si litem habeas, juriſconſultos adis, & quidem inſigniores; mercaturam agens, quæris eos, qui firmioris ſunt fidei: verbo dictum non eſt negotium, quod committere velles eventui aut fortunæ, ſed relicto incerto, eliges certum. Et interim negotium omnium negotiorum, quale eſt negotium æternitatis, expones

Converſio tardes pœnitentium male in exemplū adducitur.

D. Chryſoſtomus.

Jerem 2. 12.

Fortunæ bona non committuntur dubiis eventibus, quanto minus deberet anima.

Tobias 4.

Jerem 18. 13. expones diſcrimini? *Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Iſraël?* Dicat nunc, & decies dicat Eccleſiaſt. cap. 37. 3. *O præſumptio nequiſſima, unde creata es?* Miſer Captive, ſi inter duos milites tuos velis dormire & obdormire, dormi & obdormi, quia non habeo, quod tibi ultra reponam. Ad vos ergò me converto N. N. ad vos, qui & vigiles, & liberi eſtis, ex parte Salvatoris veſtri vos alloquor.

Ecclef. 37. 3.

Marc 13. 33. 16. Marci 13. *Videte vigilate & orate, neſcitis enim quando tempus ſit.* In tribus his punctis totum conſiſtit: *Videre, vigilare, & orare.* Primum ergò, quod requirit, eſt *Videre.* Ut videatis & non ſinatis vos excæcari per mortale peccatum, ut Captivus noſter fecit & faciunt multi, de quibus Sap. 2. *Excæcavit illos malitia eorum*: illa eſt luctuoſiſſima cæcitas, quæ dari poteſt; Cæcitas Corporalis multa interdum adfert animæ bona, ſubtrahens multa periculoſa objecta, quæ facile poſſunt inducere ad malum, ut ſunt facies mulierum, ſplendor auri, præſentia inimici, &c. Quæ facilè movent potentias; at cæcitas intellectûs affert mala infinita animæ, & corpori: *Obſcurentur oculi eorum ne videant*, quid ſequitur? *& dorſum eorum ſemper incurva.* Quando enim diabolus aliquem excæcat, dominatur illius ſecundùm voluntatem ſuam. Cæcitas Corporalis ſuum habet ſubſidium, ut Act. 13. patet in Elyma, qui à Paulo excæcatus ſubitò: *Circuiens quærebat qui ei manum daret.* At cæcus intellectualis, ſuperbè dedignatur quærere ductorem, putans ſe viſu pollere præ

Sap 2. 21. *Cæci ac mentis omni corporali deterior.*

Pſal. 68. 24.

Act. 13. 11.

cæteris, ſicque in perditionem tranſcurrit velocius: *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobis metipſis prudentes.* Iſaiæ 5. Cæcitas corporalis ad ſummum aliquem præcipitem dabit in altam foſſam, ex qua ſæpè extrahi poſſet, at intellectualis, præcipitat in infernum, ex quo non eſt qui redimat. *Cadit juſtus & reſurgit, impii autem corruunt in malum. Videte* ergò ne incidatis in horribilem hanc cæcitatem: *Videte & Vigilate*: Vigilate ne peccata venialia vobis ſomnum inducant, de quo loquitur Apoſtol. 1. Cor. 15. *Evigilate juſti & nolite peccare.* Licet ſomnus hic communis ſit juſtis, nolite illum contemnere, quia nocivus eſt, & magis nocivus, quàm putetis; licet enim non pervertat intellectum ſicut mortale peccatum, illum tamen obumbrat & obvelat, ut de dormitantibus, tandem vos altè dormientes reddat. Hinc Prov. 20. clamat Sapiens. *Noli diligere ſomnum, ne te egeſtas opprimat.* & Iſaias Cap. 21. *Surgite Principes, arripite clypeum.* Neſcitis quanta ſit diabolo prærogativa contemptus venialium? paulatim ſenſimque ex iis deducit ad peccata grandia, ſicque dormientibus vobis mortem afferunt, dum non putatis, ut contigit Judicum 18. *Venerunt in Lais ad populum quieſcentem atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladii. Vigilate* ergò, & ſuper omnia fugite otium, quia: *Pigredo immittit ſoporem* Prov. 19. *Vigilate & orate, & ſine intermiſſione orate.* 1. Theſſ. 5. Oratio illa continua, de qua Apoſtolus, conſiſtit in continuo deſiderio obtinendi divinum auxilium,

Iſaiæ 5. 21. Prov. 24. 16. 1. Cor 15. 34. *Contemptus venialium ad mortalia ducit.* Prov. 20. 13. Iſaiæ 21. 5. Judic. 18. 27. *Cogitatio mortis ad orationem compellit.* Prov 19. 15. 1. Theſſ 5 17

veramque humilitatem, ac legi Divinæ obedientiam debitam, animæque ſalutem. Sic ſine intermiſſione orare, docebit frequens meditatio mortis, magis vicinæ quàm putetis; imò nunc forte imminētis. Ita contigit Joſaphat 2. Paral. 20. *Qui timore perterritus; totum ſe contulit ad rogandum Dominum.* Sed quia fingitis mortem elongatam à vobis, ideò non oratis. *Orate* ergò, *neſcitis enim quando tempus ſit.*

2. Paral. 20. 3.

Multa mortem adferre poſſunt, pauca vel nulla vitam certò permittere.

17. Nihil ſub cœlo eſt, quod vobis promittere poteſt vel momentum vitæ; econtrà multa ſunt, quæ omni momento poſſent vitam eripere; omni modò poteſt unumquemque noſtrum mors aggredi, & quis ſcit utrum ex nunc non jecerit retia ſua, & aliqui ex nobis non ſint irretiti? Piſcis captus quamdiu ſub aquis in reti eſt, gaudet, natat, tripudiat ut alii qui extra rete ſunt: aſt dum rete in altum tollitur, de illo actum eſt. Sic & de nobis, nam fortè jam rete jactum eſt, nec reſtat niſi ut trahatur in aridam. Sic enim habetur Jeremiæ 50. *Illaqueavi te, & capta es Babylon & neſciebas.* Auditores mei Chariſſimi, conſulite vobis, Attendite animabus veſtris, nam verè neſcitis, *Quando tempus ſit*: poteſtis ſperare, ſed *Neſcitis*, poteſtis ſuſpicari, ſed *Neſcitis*. Poteſtis conſulere Aſtrologos, ut vultis, poſſunt dicere, quod volunt, æternam veritatem mendacem facere non poſſunt, quæ dicit: *Neſcitis.* Nemini credite, nemini fidite, nec ætati, nec juventuti, nec ſanitati, nec complexioni. Quid enim putatis Chriſtum intendiſſe dum dixit: *Videte, vigilate & orate, neſcitis enim quando tempus ſit?* Num putatis hæc ſolis Apoſtolis dicta? abſit: unicuique hîc ſedenti, aut ſtanti, me audienti, omnibus viventibus dicta ſunt: ſic enim concludit: *Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Ite, ite, & excludite vos, ſi poteſtis, de numero eorum, quibus loquitur Chriſtus. Quiſquis es, ſanus vel infirmus, juvenis vel ſenex, magnus vel parvus, nobilis vel ignobilis, pauper vel dives, dico ex parte Dei *Neſcitis enim quando tempus ſit.* Non dico, quando erit, ſed quando ſit, quia non eſt circumſtantia, non eſt momentum, quo ultima hora vobis non poſſit eſſe præſens: quot ceciderunt mortui caſu prorſus repentino, quorum prius cognita mors quàm agonia apprehenſa, prius mortui quàm infirmi! Hæc eſt pœna deſtinata non unâ, ſed pluribus vicibus, quod moriantur morte improviſâ juxta illud Prov. 29. *Viro qui corripientem durâ cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus.* Econtra, inquit Apoſtolus Hebr. 9. *Apparebit exſpectantibus ſe in ſalutem.* Utinam & nobis! Amen.

Jerem. 50. 24.

Ideò Vigilandum.

Prov. 29. 1.

Hebr. 9. 28.

FERIA

FERIA III. DOMINICÆ II. ADVENTUS.

De Captivitate Petri.

Cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem. Act. 12.

1. DOrmit Petrus in craſtinum producendus, & in crucem dandus? Quis non miretur? non ego: quidni dormiret, cui Deus pulvinar eſt? At, quod tu, Captive diaboli, tuo in carcere, & quidem inter notos milites tam ſecurè dormias, hoc ego non capio: & quis, niſi mente captus, capiet? quod fortè jam jam citandus coram Deo judice tuo, dormias ſicut Oryx illaqueatus, plenus indignatione Domini? Iterum te alloquor cum D. Bernardo: *Unde tibi hæc ſecuritas maledicta?* Certè vereor, ne te D[eu]s, ut olim impiam Jezabelem nolentem pœnitere, in lectum mittat, id eſt in ſecuritatem peccandi, quâ ſub cœlo dari non poteſt pœna gravior: Unde rurſus te moneo, dormi ut vis, ſed vide, ne inimici tui à te dormiente haſtam tollant & ſcyphum: ne juſto Dei judicio priveris Eccleſiæ Sacramentis, & moriaris ſine cruce, ſine luce; Apoſtolica enim ſunt verba: *Cum dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus*: Ex quibus vereor, ne (niſi conſurgas è ſomno tuo) verificentur in te verba Job 11. *Requieſces & non erit qui te exterreat.* Sed dic mihi, dormiens Captive (niſi tam alto ſomno ſepultus ſis, ut me clamantem ultrà non audias) quo diabolico papavere in tantam deſcendiſti lethargiam? Nolo te audire loquentem, niſi ſalutatâ prius, pro more, Virgine Matre. Dico ergò cum Angelo: *Ave gratiâ plena.*

Petrus meritò peccator ceſſime dormit.

D. Bernard.

1. Theſſ. 5. 3.

Job 11.

2. Petri incarcerationem non capio; miſerat eum Herodes in vincula, tradiderat quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum: vinxerat catenis duabus, & quidem inter duos milites; & necdum ſecurus, ponit ante oſtium carceris aliam cohortem militum, qui eum cuſtodiant: *Cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem.* Quid poteſt Herodem ad hoc movere? Cornelius à Lapide novit intentum: viderat eum, inquit, facere miracula, ac per ea timebat illum ex carcere liberandum. Hinc poſuit cuſtodes ante oſtium, ut, caſu quo catenas effringeret, duos effugeret milites, ab iiſdem rurſus caperetur, non intendens niſi mortem ejus. Mi Captive, adhuc dormis? habeo verbum ad te: necdum edormîſti? Profectò apparet quod non: ut enim video tam ſecurus es in tuo carcere, & tam commodè cubas, ut: *Eſſe ſub ſentibus delicias reputes.* Nondum animadvertis quomodò tecum agat diabolus? Ne carcerem effringeres, tradiderat te quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum, vinxerat catenis duabus inter duos nequiſſimos

Ne miraculosè evadat Petrus, cuſtodes ante oſtium ponuntur.

Job 30.

nequiſſimos milites, qui diu noctu. que lateri tuo aſſideant: nunc verò, ne quis à ſomno te excitet: & ne manus effugias, ponit cuſtodes antè oſtium carceris ut bene te cuſtodiant, *Cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem.* Neſcis fortè rationes ob quas tam arctè te cuſtodiant? dicam: Novit miracula Sacramenti pœnitentiæ, quo ex carcere ſuo liberantur Captivi, hinc ponit cuſtodes, qui ab intrà & extrà te cuſtodiant. De illis loquitur Innocentius III. *Oſtium carceris cuſtoditur, quando peccatum conſuetudine frequentatur.* Peccata longâ conſuetudine frequentata cuſtodes ſunt, ne oſtium aperiatur, & ita te in carcere detinent, ut pingueſcas in eo, adeò aſſuetus ut carceris moleſtias ultrà non ſentias, imò nec de exitu cogites. De his qui ab extrà oſtium cuſtodiunt, loquitur purpuratus Ugo: *Cuſtodes ſunt dæmones ante oſtium carceris, id eſt, conſcientiæ, ne quis confiteatur, & ſic ſolvatur.* Ponit ex ſuis qui oſtium illud obſervent, ne aperiatur, ſed ſemper clauſum maneat. Duo hæc puncta hodie oſtendo, præbete benignas aures. Auſpice Deo, incipio.

Idem eſt de peccatore.

Et quinam cuſtodes illi ſint.

Innocen. III.

Ugo Cardin.

3. Quis non miretur Petrum toto captivitatis tempore, nullas pro ſua liberatione ad Deum preces fudiſſe? Legi Acta Apoſtolorum, & non reperio vel verbum: *Oratio* quidem *fiebat ab Eccleſia pro eo*, ſed ipſe ne quidem aperit oſ ſuum. Quid hoc ſibi vult? ego facilè de Petro dixero, quod de Paulo D. Chryſoſt. Serm. 8. in 4. Epiſt. ad Epheſ. *Illuſtrior erat carcer ipſo etiam Cœlo.* De Petro Tertullianus loquitur: *Licet corpus includatur, animus eſt in Cœlo.* Suo in carcere exultat Petrus, unde abſit, ut ex eo liberari deſideret. Captive diaboli, ab incarceratione tua, quot ad Deum preces fudiſti? quoties orationem Dominicam pro tua libertatione legiſti? Menſes ſunt, & fortè anni, à quibus incarceratus es, & quomodò ibi tracteris, melius nôſti quàm ego, & interim ſecurè dormis, cum facilè in carcere mori poſſes, & de temporali mitti in æternum. Itò non ſolùm ipſe non oras, ſed nec alios pro te orare jubes, ut ex illo libereris. Unde tibi iſta ſecuritas? Niſi carcerem effringere, & lucrari oſtium ſtudeas, vereor ne in carcere tuo moriaris, quia cuſtodes, quos ipſe poſuiſti ante oſtium, cuſtodiunt carcerem. *Oſtium enim carceris cuſtoditur quando peccatum conſuetudine frequentatur.* Toties iterata & frequentata peccata, tam arctè clauſum tenent oſtium, quod non tædebit te carceris, nec ejus amplius ſenties moleſtias. Bibiſti ex calice meretricis magnæ, ex calice pleno abominatione, & ex illo fortè centies bibiſti vinum temporalium oblectationum, peccatorum abominabilium, & ita bibiſti, ut in ſomnum lethargicum incideris, & quod peſſimum, *Quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ.* Bibis iniquitatem ſicut aquam. Sed, audi quid de te dicat Propheta patiens.

Actor. 12. 5.

Cur Petrus non petat liberari ex carcere.

D. Chryſoſt.

Tertullianus.

Et cur id non petat Captivus diaboli.

Innocen. III.

4. Job. 15. *Abominabilis & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem.* Cur non quaſi vinum? pro me reſpondeat Lyranus: *Iniquitatem ſicut aquam bibit, qui committit peccata abſque fræno timoris. Qui* au-

Job 15. 16.

Lyranus.

nulem bibit vinum, quia timet inebriari, bibit temperatè. Sicut non timet inebriari, qui aquam bibit, ita ſine fræno peccâſti & peccas, qui modò hunc, modò alium bibens calicem, abominabilis factus es Deo. Bona eſt Lyrani ratio, ſed tamen ad propoſitum noſtrum, hæc melior eſt. Scilicet ille iniquitatem quaſi aquam bibit, in quo peccatum eſt ſicut aqua in centro, quæ ſecundùm Philoſophum, ſicut & cætera elementa, in ſua ſphæra non gravitat: V. G. amphora aquæ quouſque ad ſuperficiem putei venit, nullo negotio educetur, at quando per aëra ſublevatur, jam majores requirit vires. Idem fit tecum Captive, bibis iniquitatem quaſi aquam; Iniquitas in te eſt, ſicut aqua in ſphæra, non gravitans, & pondus peccatorũ non ſentis, ſed peccatum in te eſt tamquã in centro, & hinc non te gravitat captivitas tua, neque peccatum. Peccatorum pondus ſentiebat Salvator noſter, qui, licet innocens, omnium noſtrûm peccata portavit: *Poſuit Deus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.* Unde cum in eo, quaſi violenter & extra ſphæră ſuam quieſcerent, adeò gravitabant, ut ceciderit in faciem ſuam, illorum pondus ferre non ſuſtinens. Tu verò pondus illud non ſentis, quia peccatum in te eſt quaſi in centro, ideòque nec gravis tibi captivitas, nec de effractione cogitas. A tempore captivitatis tuæ quàm mutatus eſt ordo rerum tuarum? ſi rectè te loqui oporteret, erumperes in ipſa verba, quæ nomine tuo dudum protulit, idem prællegatus Propheta patiens.

Iniquitatem ſicut aquam bibit, qui peccare non timet.

Et quem peccata non gravant.

Iſaiæ 53. 6.

In Salvatore poſita erant peccata extra ſphæram, ideo illum gravitabant.

V. Job. 6. *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt.* Quaſi diceret, non ſolùm guſtorem inſulſam atque mortiferam, ſed eò miſeriarum redactus ſum, ut quaſi neceſſitate compulſus, in tantis anguſtiis, alio non veſcar cibo quàm, quem antea adeò abhorreſcebam, ut ne vel tangere voluiſſem. Melliſluus Bernardus Lib 1. de Conſid. ad Eugenium cap. 2. Hæc verba ſic exponit, quaſi Jobus in figura peccatoris, ex peccandi conſuetudine obdurati, lamentaretur: *Noli, inquit, nimis credere affectui tuo qui nunc eſt. Nil tam fixum animo, quod neglectu & tempore non obſoleſcat. Vulneri vetuſto & neglectu callus obducitur, & eò inſanabile, quò inſenſibile fit. Denique dolor continuus & acerbus diuturnus eſſe non patitur; nam ſi non aliunde extunditur, neceſſe eſt cadat vel ſibi: enim verò citò aut de remedio conſolationem recipiet, aut de aſſiduitate ſtuporem. Quid non invertat conſuetudo? Quid non aſſiduitate duretur? Quid non uſui cedat? Quantis, quod præ amaritudine prius exhorrebant, uſu ipſo malè in dulce converſum eſt, audi juſtum quod lamentetur ſuper hujuſcemodi: Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt. Primum tibi importabile videbitur, aliquid, ſucceſſu temporis, ſi aſſueſcas, judicabis non adeò grave, paulò poſt & leve ſenties, paulò poſt nec ſenties, paulò poſt etiam delectabit, ita paulatim in cordis duritiam itur.* Hauſerit indubiè Melliſluus verba hæc ex Auguſtiſſimo Auguſtino Hom. 28. in Milleloq. dicente: *Peccatum conſuetudine vileſcit & fit homini quaſi nullum.* Numquid idipſum experiris in te, Captive? ante incarceratio-

Job. 6. 7.

S. Bernardus.

Quomodo peccata delectent.

S. Auguſtin.

nem quàm teneræ eras conſcientiæ? Ad minimum peccatum edebas gemitus, adibas Confeſſarium; factus captivus, quàm tibi ſenſibilis erat captivatio! quàm durum vinciri catenis! quàm moleſtum *ſic* tractari à militibus! modò nil ſentis, nullas pateris moleſtias, imò impingueſcis, & dulcedinem invenis in amaritudine, requiem in labore, libertatem in ſervitute, in ſpinis delitias, in nocte diem, in tempeſtate malaciam, in ſtercore margaritas, in veneno hauſtum delicatum, in morte vitam, in infelice ſtatu tuo, nullam modò pateris difficultatem, econtrà jucundaris, lætos agis dies, tuo in carcere ſedes quietè, & commodè, ſed nôſti in qua ſede? Melius me, novit illam Pſalmiſta.

Et in amaritudine dulcedo guſtatur.

VI. Pſalm. 1. *In Cathedra peſtilentiæ*, te habituatum Captivum ſedentem, deſcribit. Sedes, aut cathedra, ad requiem ſervit; Quæ requies in cathedra circumdata viperis? Quæ requies captivo catenis vincto? Quæ requies eſſe poteſt ab effrenatis paſſionibus agitato? Quæ requies ex nunc condemnato carceri perpetuo? Quæ requies habenti latrantem, melius dixero, lacerantem conſcientiam? Et tamen ſedentem te dicit Pſaltes Regius, & quidem *In cathedra peſtilentiæ*; ſic eſt: In principio captivitatis tuæ miſſus in carcerem diaboli, quas inquietudines, quos angores, quos patiebaris conſcientiæ remorſus? Quærebas illicò oſtium carceris, quærebas illos qui te vinctum abſolverent, tædebat vel ad horam morari in illo, at paulatim illi aſſuetus commodè ſedes in illo, non amplius cogitans de Deo, Cœlum temnens & infernum, non ultrà ſentiens remorſus conſcientiæ, quaſi in cathedra ſedens, in loco quietis: Sedens *in Cathedra peſtilentiæ* ſicut Rex in throno, de qua non eſt qui te extrahat, niſi virtus omnipotentis brachii Dei, quia: *Perverſi difficilè convertuntur:* Eccl. 1. audiendus hîc Eccleſiæ Doctor S. Gregorius Lib. 26. Moral. cap. 30. & 31. *Quem mali operis iniquitas à bona ſtabilitate commovit, quaſi tempeſtas aquæ rapuit, ſed ſi adhuc longâ conſuetudine non prævaluit, non demerſit.* Subjungit: *Jam in puteum cecidit, qui, quod lex Divina prohibuit, perpetravit, ſed ſi adhuc longa conſuetudo deprimit, nequaquam puteus os ſuum coanguſtavit.* Tandem concludit: *Tantò ergò facilius egredietur, quantò minori conſuetudine coarctatur; lapis verò puteo ſuperponitur, cùm durâ conſuetudine mens in peccato demoratur, ut, & ſi velit exurgere, jam utcumque non poſſit, quia moles deſuper malæ conſuetudinis premit.* Ita de te loquitur Sanctiſſimus Papa, ſic ut meritò ingemines cum Jeremia Propheta: Thren. 3. *Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me.* Duo hîc notat gemens Propheta, inquit, præfatus Doctor: Primò, quod per peccatum lapſus ſis in profundum carcerem. Secundò quod conſuetudo, aut diuturnitas incarcerationis, impoſſibilem quaſi reddiderit tibi egreſſum: *Ut & ſi velit exurgere jam utcumque non poſſit, quia moles deſuper malæ conſuetudinis premit.*

Pſalm. 1. 1.

Ac in Cathedra peſtilentiæ ſedeatur.

Eccli. 1. 15.

D. Gregor.

Et exinde difficulter ſurgatur.

Thren. 3. 53.

VII. Dices fortè te liberum, & non neceſſitatum, adeòque te poſſe, abſolutè loquendo, carcerem effringere:

Conſuetudo peccandi quamdam neceſſitatem inducit.

gere: Fateor liberum te habere arbitrium, ſed & hoc & verùm, quod peccatum ſæpè repetitum, quamdam inducat neceſſitatem, quæ non excludit libertatem: *Quia ubi ſpontè diu perſtitit*, inquit D. Gregorius, *ibi & cum noluerit, coacta cadit*;

D. Gregor. Hom. 31. in Evangel.

Juſto Dei judicio mereris, quodammodò nolens, manere in carcere, in quo volens traxiſti tàm longas moras. Hinc addit idem Sanctus: *Uſitata culpa obligat mentem, ut nequaquam poſſit ſurgere ad rectitudinem.* Conſuetudo peccandi eſt ligamen voluntatis, carceris effracturam impediens. *Conatur illa quidem ſed confeſtim labitur.* Optat quidem liberari, ſed denuò cadit: *Quia ubi ſpontè diu perſtitit, ibi & cum noluerit, coacta cadit.* Replicabis fortè, quod Deo adjuvante ex iſta neceſſitate erui poſſis, adeòque effringere carcerem: Admitto quod Deus peccatori non ſubtrahat auxilia ſufficientia, ut de carcere ſuo exeat, hoc etenim exigit Divina bonitas, & miſericordia ejus: Sed & hoc ſcio, quod Deus ſæpè ſuſpendat, & neget auxilia extraordinaria: *Quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur*, & quidem teſte Auguſtino juſto Dei judicio: *Cum vult improbus homo, non poteſt: Quia quando potuit, noluit, & ideò per malum velle, perdidit bonum poſſe.* Hic eſt carcer, inquit ante citatus D. Gregor. Lib. 11. Moral. cap. 1. quem tibi fabricâſti, Captive, in quo Cuſtodes tui, reiterata ſcilicet peccata clauſum te detinent ita ut carceris oſtium non invenias, invenire demeritus: *Nec evadēdi locū inveniat, quem invenire non meretur.* Perſonam tuam induens Apoſtolus, de te loquitur.

Deus auxilia ſpecialia conſuetudinariis ſæpè ſubtrahit.

Auguſtin. de verbis Apoſt.

S. Gregorius.

Idcircò ab illa non liberaretur.

VIII. Rom. 7. *Velle adjacet mihi: Perficere autem bonum non invenio: non enim quod volo bonum hoc facio, ſed quod odi malum hoc ago.* Vellem quidem exire, at viam invenire non valeo; promptam habeo voluntatem exequendi id quod volo, at cogor facere malum, quod abhorreo, ita expendit Apoſtolica verba D. Ambroſius hîc: *Placet quod à lege jubetur, & voluntas eſt faciendi, ſed ut impleatur, poteſtas & virtus deeſt.* Ita etiam D. Gregor. Nazianz. *Id facio quod mens mea damnat, & odit.* Ratio D. Ambroſii eſt: *Quia ſic preſſus eſt poteſtate peccati, ut non poſſit ire quò vult, nec valeat contradicere, quia poteſtatis ejus alter eſt Dominus.* Ad hæc exclamat S. Thomas à Villa-Nova Conc. 1. de S. Ildephonſo: *Intellectum habere & intellectu non uti, quantæ miſeriæ eſt, & heu miſeri non ſentimus!* Hinc eſt, Captive, quod conſuetudine peccandi ita detinearis in carcere, ut non poſſis exire licet velis, quia peccata cuſtodes tui ſunt, dominantes tibi, ideòque ſubjungit Apoſtolus: *Nunc autem jam non ego operor, ſed quod inhabitat in me peccatum.* Hoc in ſtatu reperit ſe quondam Magnus Auguſtinus, undè plangens dicebat: Lib. 10. Conf. cap. 41. *Sed recido in hæc, ærumnoſis ponderibus, & reſorbeor ſolitis, & teneor, & multùm fleo, ſed multùm teneor, tantùm conſuetudinis ſarcina degravat: hic eſſe valeo, nec volo, illic volo, nec valeo, miſer utrobique, & illa eſt pœna peccati juſtiſſima*, inquit idem Auguſtinus: *Ut qui rectè facere cum poſſet noluit, amittat poſſe cum velit.* Exemplifico.

Rom. 7. 18.

D. Ambroſius.

D. Gregor. Nazianz.

S. Thomas à Villa-Nova.

S. Auguſtin.

D. Auguſtin. Lib. 3. de Lib. arbit.

L 2 IX. Vi-

Sed poſt conatus reincidit.

IX. Vidiſti aliquando infirmum ex diutina infirmitate viribus deſtitutum? Deſiderat miſer, imò ſubinde erigere ſe nititur, ſed à corporis debilitate proſtratus, denuò cadit in lectum. Numquid idipſum experiris in te, miſer Captive? Infirmus es quoad animam ob multorum annorum dominium, quod in te habet peccatum, licet cognoſcas miſerum ſtatum, in quo es, & deſideres, imò coneris ſæpius te erigere, carceris oſtium aperire, & foras exire, protractus nihilominùs à conſuetudine peccandi iterum cadis, & ut antè, reperis te in lecto peccati: *Uſitata etenim culpa*, (ait S. Gregorius Hom. 31.) *obligat mentem, ut nunquam ſurgere poſſit ad rectitudinem, conatur & labitur, quia ubi ſponte diu perſiſtit, ibi etiam cum noluerit, coacta cadit*, ſicque ab ipſis cuſtodibus tuis, qui intrà te ſunt, detineris, & manes in carcere: Non abſimilis illis, de quibus præfatus Pontifex Lib. 11. Moral. cap. 11.

S. Gregorius.

Idem.

Sæpè nonnulli à pravis actibus exire cupiunt, ſed quia eorumdem actuum pondere premuntur, malæ conſuetudinis carcere incluſi, à ſemetipſis exire non poſſunt, & quidem culpas proprias punire cupientes, hoc, quod rectè ſe agere exiſtimant, in graviores culpas vertunt, fitque modo miſerabili, ut quod exitum putant, hoc incluſionem inveniant. Et iterum in 3. Pſalm. pœnitential.

Idem.

Plerumque quæ agenda ſunt bona conſpicimus, & ad hæc aſſurgere cordis deſiderio non valemus, & ſi fortè mens aliquando ad bonum anhelare inchoat, gravitas quam ſuſtinet, cogit ut cadat, & (addit rationem) *quia ex pœna peccati eſt, ut à bono quod per rationis judicium clarè conſpicitur, per vitæ meritum anima infirma pellatur.* Vis ad oculum videre?

X. Volare tentat avis aviario incluſa, at fruſtrà, quantumcumq; ſe fatiget. Vellet canis vinculatus ad prædam currere, ſed curſum ſiſtunt vincula: Sic nec Captivus peccatorum funibus conſtrictus, ita Ludolphus Carth. in vita Chriſti pag. 1. cap 26. *Sicut avis, quæ portat ſecum vinculum, non poteſt benè ad prædam ſuam volare, nec etiam poſt prædam ſuam poteſt currere canis vinculatus, ſic nec peccator poſt Chriſtum, vinculo peccati ligatus.* Vivacioribus coloribus, quibus ſtatum tuum miſerum adumbret, utitur D. Anſelmus in ejus vita ab Edinoro ſcripta Lib. 2. *Jocatur diabolus*, inquit, *cum multis, quos ſuis laqueis irretitos in diverſa vitia pertrahit. His contingit aliquando ut ſua facta conſiderent, defleant, ſeque ab iis ceſſaturos ſibi promittant, & more avis ſe liberos volare autument, ſed quia pravo uſu irretiti, ab hoſte tenentur, volentes in eadem vitia dejiciuntur, nec liberantur, niſi magno conatu filum pravæ conſuetudinis abrumpatur* Hanc ſententiam, occaſione cujuſdam caſûs, qui S. Epiſcopo contigerat, prolatam aſſerit Lippomannus in vita S. Anſelmi die 21. Aprilis Tom. 2.

Ludolp. Cart.

S. Anſelmus.

Lippomann.

„ Caſus eſt hic: conſpexit (S. An-
„ ſelmus) puerum cum avicula in
„ via ludentem, quæ avis pedem
„ filo annexum habens, ſæpè cum
„ laxiùs ire permittebatur, fugâ
„ ſibi conſulere cupiens, avolare ni-
„ tebatur, at puer filum manu te-
„ nens, retractum uſque ad ſe de-
„ jiciebat & hoc ingens gaudium
„ illi erat. Factum eſt id frequenti-

Conſuetudinarius ſimilis eſt avi incluſæ, vel ligatæ.

ùs.

„ ius. Quod pater aſpiciens miſeræ „ condoluit avi, ac ut rupto filo „ libertati redderetur, optavit. Et „ ecce filum rumpitur, avis avolat, „ puer plorat, pater exultat Et vo- „ catis nobis, conſideràſtis, inquit, „ jocum pueri? Et confeſſis conſi- „ deràſſe, ait: Simili conſideratione „ jocatur diabolus cum multis ho- „ minibus, quos ſuis laqueis irreti- „ tos pro ſua voluntate, in diverſa „ vitia pertrahit. Sunt enim quidam „ ut, verbi gratiâ dicam, aut avaritiæ, „ aut luxuriæ, & ſimilium flammis „ ſuccenſi, & ex magna conſue- „ tudine illis addicti. His contingit „ aliquando, ut ſua facta conſide- „ rent, defleant, ſeque modò à ta- „ libus ceſſaturos ſibi promittant: „ & more avis ſe volare liberos au- „ tument, ſed quia pravo uſu irre- „ titi ab hoſte tenentur, volantes in „ eadem vitia dejiciuntur, fitque hoc „ ſæpius nec omnimodis liberantur, „ niſi magno conatu per reſpectum „ gratiæ Dei filum pravæ conſue- „ tudinis dirumpatur. Ita ille. Numquid hîc tua ad vivum adumbratio eſt, Captive? Numquid cò te perducunt Cuſtodes, quos ab intrà pateris? Sed eſto effringere poſſes carcerem, Cuſtodes, qui ab extrà ſunt, invigilant ne aperiatur oſtium carceris conſcientiæ, ne confitearis & ſic ſolvaris. Eſt ſecundum punctum.

XI. Lucæ 11. *Erat Jeſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Cur ſpiritus immundus hunc infelicem mutum fecit? Non eſt quod ultrà me interroges, illicò pro me reſpondet D. Paſchaſius: *Obſtrixerat linguam ne vocem confeſſionis emitteret.*

Lucæ 11. 14.

S. Paſchaſius.

Cuſtodiebat oſtium carceris, ſciebat enim quod ad oſtii apertionem ſtatim liberetur captivus. Modò oſtium clauſum tenere poſſit, de ſuo ſecurus eſt captivo. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium, in pace ſunt omnia, quæ poſſidet.* Petat jam aliquis, cur Iſaias cap. 27. dicat, diabolum; *Serpentem tortuoſum, ſerpentem veterem?* Mentem ſuam pandet D. Hieronymus Hom. 3. in Lib. Judic. *Vectem autem, ſive claudentem puto appellari, quod multos ſuo carcere clauſerit, & propriæ ſubjecerit voluntati.* Hinc credo Prophetam Regium tam anxiè Deum rogâſſe.

Clauſo oſtio de Captivo ſecurus eſt ſatan.

Iſaiæ 27. 1.

S. Hieronymus.

XII. Pſalm. 68. *Non me demergat tempeſtas aquæ, neque urgeat ſuper me puteus os ſuum, neque abſorbeat me profundum.* Qui in fluvium cadit, vel in mare, aut puteum, ſi aqua uſque ad ipſum os non pertingat, non ſubmergitur aut ſuffocatur, at ſi os occupet, perit, quia tollitur ab eo facultas reſpirandi, à qua vita pendet. Sic tecum agitur, Captive, ſi reſpirandi per confeſſionem facultatem non amiſiſti, ſi diabolus os non obſtruat, ſi oſtium carceris valeas aperire, facilè potes evadere; At ſi os tuum clauſum tenere poſſit, actum eſt de te, morieris in carcere. Hinc David anxius rogat Deum: *Non me demergat tempeſtas aquæ, neque urgeat ſuper me puteus os ſuum.* Ne os meum aqua ſubeat, aut me tempeſtas demergat, non me abſorbeat profundum, os ſerva immune ad Confeſſionem, ne illud obſtruat inimicus, alioqui mecum peractum eſt, & peribo. Horum verborum argutam ſubjicit explanationem Magnus Auguſtinus, idipſum in ſe quondam

Pſalm. 68. 26.

Clauditur verò impeditâ Confeſſione.

 dam

dam expertus. *Magnus*, inquit, *puteus eſt profunditas iniquitatis humanæ, illuc qui ceciderit, in altum cadit, ſed tamen ibi poſitus, ſi confiteatur peccata ſua Deo ſuo, non ſuper eum claudit puteus os ſuum.* Quæ major profunditas quàm carceris tui, Captive, quis centro vicinior, & à cœlo Deoque remotior, quàm tu? Nonne putandus es deſcendiſſe in infernum vivens, & non tam in mortuorum, quàm vivorum orco eſſe, qui adhuc vivus ſatanæ tyrannidi, & mancipatui es ſubjectus? Verùm ſi os tibi liberum eſt, & ad confitendum expeditum, non eſt quod de tua liberatione deſperes, ſed ſi Cuſtodes, qui cuſtodiunt carcerem, oſtium clauſum teneant, (*Impius cum in profundum venerit, contemnit.*) res tua peracta eſt, morieris in carcere, non enim video quomodò clauſo oſtio evades: Nec eſt quod de te ſperet ipſe Magnus Auguſtinus: *Clauſit*, inquit, *ſuper eum puteus os ſuum. Quare clauſit os ſuum? Quia clauſit os illius: perdidit confeſſionem, verè mortuus eſt, quia non habet unde eruatur: Amiſſâ enim confeſſione, non erit miſericordiæ locus.* Morieris certè in tuo carcere. Hinc fit quòd *Cuſtodes cuſtodiant carcerem*, omnes tendant nervos, diu noctuque invigilent ad oſtium (præterquam quod duo milites tui catenas teneant, quibus es vinctus) ne ad oſtium venias, certi, quod ſi illud aperias, certus ſis de tua liberatione, & illi de Captivi ſui amiſſione. Te teſtem volo: Quæro à te, eloquere candidè, toto captivitatis tuæ tempore, quas tibi moleſtias intulit is, qui te in carcerem miſit? Nullas, èc contra in omnibus obſequitur, (ut dixi non ſemel) appetitui ſatisfacit, ſi commedere, bibere, ludere velis, non obeſt, imò colludit, & jocatur tecum, tractat te lautè, & opiparè, ſinit te agere quidquid lubet, ne ſentias carceris moleſtias; at à tempore, quo pertæſus carceris, oſtium conſiderâſti, & exitum es meditatus, quanta es paſſus? Certè plura, quàm Jacob in domo Laban, & filii Iſraël in Ægypto.

S. Auguſtinus in hunc locum.

Prov. 18. 3.

S. Auguſtinus.

Et eâ factâ aperitur.

XIII. Gen. 31. Servierat ille ſocero ſuo totis viribus annis viginti, vivens in pace ſine altercatione, at, ut meditari cæpit diſceſſum, & ejus effugere ſervitutem, ſenſit illicò Laban non Patruum, ſed inimicum, non ſocerum, ſed perſecutorem. Exod. 7. Sub dura Pharaonis ſervitute, gemebat Iſraël; Illâ tamen durante, ſedebant ſuper ollas carnium, comedentes cucumeres, pæpones, porroſque, & cæpas & allia, gravati quidem, attamen quia ſubditi, adhuc utcumque contenti, & à Pharaone non multùm vexati; Sed ubi Moyſes ex parte Dei, Regem adit, ut ſuum dimittat populum ex diutina illa ſervitute, tunc ille: *Neſcio Dominum, Iſraël non dimittam.* Quantumcumque flagellatus, ſpretis omnibus plagis ejus, gravius premit Iſraël, noluitque ullatenus dimittere eos, donec tandem, jubente Deo, egreſſus eſt populus de Ægypto. Quid tunc? In exitu Iſraël de Ægypto ait Rex: *Perſequar & comprehendam, dividam ſpolia, evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea:* Quorſum hæc omnia? Ut tu, Captive, inde colligas, quantùm laboret diabolus, ut ſuo in carcere

Ideò confeſſionē dæmon maximè impedit.

Geneſ. 31.

Et tentat illum ſupra modum, qui per eam exire conatur.

Exodi 5. ℣. 2.

Exodi 15. 9.

cere, te teneat, & oſtium cuſtodiat, ne inde exeas. Habes teſtimonium authenticum, & caſum expreſſum in S. Scriptura.

Marci 9. 16. XIV. Marci 9. Parens quidam venit ad Jeſum dicens: *Magiſter attuli filium meum ad te habentem ſpiritum mutum*, mutum dicit ſpiritum, quia mutum fecerat filium. Cum vidiſſet mutus Jeſum, conturbavit eum ſpiritus, & eliſus in terram volutabatur ſpumans, at Jeſus

Vt patuit in mox: Evangelico. illicò: *Comminatus eſt ſpiritui immundo, dicens illi: ſurde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & ne amplius introeas in eum, & exclamans, & multum diſcerpens eum, exiit ab eo, & factus eſt velut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus eſt.* Quærit D. Gregorius cur modò miſerum tractet ſeveriùs quàm ante: Et objectioni à ſe factæ

S. Gregorius. reſpondet: *Quia a maligni ſpiritûs poteſtate liberatur*; quem diabolus tam diu ſuo in carcere tenuerat, liberabat Chriſtus, & qui mutus fuerat, loqui cogitur: hinc adeò exclamat dæmon, & ita diſcerpit miſerum, ut mortuus ab omnibus putaretur; cœlum movet & terram, ne ſuum amittat captivum. Numquid id ipſum in te expertus es hactenus, pauper Patiens? A captivitate tua, pateris aliquem conſcientiæ aculeum? ſentis conſcientiæ arteriam? in pace ſunt omnia, agitur tecum bene, nullæ tibi à dæmone moleſtiæ: ſed quando nuper putabas effringere carcerem, quando ad confeſſionale flectebas, ut carceris oſtium aperires, quàm eras anxius, quàm turbatus? *Cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem*, ſolo cogitatu, tanto ſuffundebaris pudore, ut ſurgens, relictoque confeſſionali, de templo exieris: numquid veriſſimum quod dico? ſed quid te interrogo, dum ipſum habeo diabolum confitentem reum?

XV. S. Cyrillus Genuenſium Epiſcopus in hebdomada ſancta, quâ ſolent captivi diſſolvi à vinculis per Sacramentum pœnitentiæ, videbat diabolum habitu pœnitentis indutum, inter alios quaſi confiteri volentem, illuminatus à Deo inſignem pœnitentem illum interrogat: *Quid hic agis cruenta beſtia?* Quid tu inter pœnitentes, hîc congregatos, ut contriti condignam agant pœnitentiam ſuper peccatis ſuis? cui ille: *Pœnitentiam ago.* Quam tu pœnitentiam ages replicat Sanctus, qui induratus es, & in peccatis radicatus? Ego, inquit diabolus: *Reddo quod abſtuli. Quid abſtuliſti?* Subjungit bonus Prælatus: & reſpondit malignus: *Verecundiam abſtuli, verecundiam modò reſtituo*: Quaſi diceret: quod adſtaret, ut ibi ad confitendum congregatis verecundiam reſtitueret, quam abſtulerat, dum impudenter & abſque rubore offenderant Deum; quaſi diceret, modò illis reſtituere volo verecundiam, ut, rubore ſuffuſi, oſtium carceris non aperiant, ſed muti peccata reticeant, & ſic in ſuo carcere maneant. Non hæc miremini, N. N. mei; auſim dicere quod ipſe propemodum tollerabilior ſit diabolo gehennæ cruciatus, quàm vel unius amiſſio Captivi. Crederetis?

S. Cyrillus Genuenſium Epiſcopus.

Diabolus inverecunde peccantes, verecundos facit, ne confiteantur.

XVI. Lucæ 8. Venit Chriſtus ad regionem Geraſenorum & ecce occurrit

Inferni pœnas ſuſtinere malit quàm captivum ſuum perdere.

occurrit illi quidam habens dæmonium jam temporibus multis; Is, ut vidit Jeſum, procidit ante illum: & exclamans voce magnâ ait: obſecro te ne me torqueas. Interrogabat illum Chriſtus quod illi nomen eſſet, Cùmque reſpondiſſet *Legio*: quia intraverant multa dæmonia in eum: *Rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyſſum irent.* Hic quæro, an unquam diabolus ſine inferno ſit? Sciendum, quod nobiſcum ſint Angeli boni & mali, boni, qui ad bonum, mali, qui ad malum nos excitant: ſic tamen ut boni, licet nobiſcum ſint, videant faciem Patris cœleſtis non minùs quàm Sancti in cœlo: & mali volantes per aëra, & manentes in terra, non minùs ſuas patiantur pœnas, quàm damnati in inferno: ſicut verbi gratiâ, homo ſanus gaudet ſuâ ſanitate, & infirmus ſuam patitur infirmitatem, ſive is in domo ſit, ſive extra. *Rogabant* ergò diaboli, *ne imperaret illis* Chriſtus, *ut in abyſſum irent:* Non quod ſuum non circumferrent infernum, ſed quod ab homine peccatore, quem captivum tenebant, exire compellerentur, & captivus à tyrannide illorum liberaretur, quod illis tormentum eſt ipſo penè inferno intollerabilius. Audite S. Hieronymum Eccleſiæ Doctorem in Cap. 9. Iſaiæ: *Dæmoniis ſi optio daretur, magis eligerent perire, quàm prædam perdere.* Si hoc te non moveat, Captive, non habeo tibi ultrà quod dicam.

Lucæ 8. 31.

S. Hieronymus.

FERIA IV. DOMINICÆ II. ADVENTUS

De Captivitate Petri.

Et ecce Angelus Domini aſtitit. Act. 12.

Ex conſuetudine peccandi ſecuritas naſcitur.

I. Circa Captivi noſtri liberationem jam fermè deſperavero: Quia ſuo in fœdido carcere tam ſecurè dormit, ac ſi in viridi foret prato. Non ſentit ultrà carceris moleſtias, econtra impinguatur in illo, & eſſe ſub ſentibus delitias reputat: Sed unde illi obſecro, tanta ſecuritas? Ex peccandi conſuetudine, ex aſſiduitate carceris, qui adeò ei amœnus factus eſt, ac ſi eſſet omnium delitiarum centrum in quo placidè conquieſcens, nullis ultra patiatur conſcientiæ remorſus. Aliunde *Cuſtodes cuſtodiebant carcerem?* Diu noctuque invigilant, ne ei carceris oſtium aperiatur. Quæret aliquis à me quinam ſint Cuſtodes illi? dico iterum cum purpurato Ugone: *Cuſtodes ſunt dæmones ante oſtium carceris, id eſt Conſcientiæ, ne confiteatur, & ſic ſolvatur.* Et ideò, niſi omnipotens Dei manus oſtium carceris aperiat, vincula diſſolvat, & miſerum de carcere educat, actum eſt de illo. Quare

Et dæmon confeſſionem impedit.

rogemus dilectiſſimi Matrem Dei, ut intercedat pro ipſo apud filium : Jerem.52. 31. *Vt educat eum de domo carceris*, & dicamus illi, *Ave gratiâ plena*.

II. Deus motus Eccleſiæ precibus Act.12. (*Oratio enim fiebat ab Eccleſia pro eo*) ipſâ nocte mittit Angelum, qui captivum Apoſtolum ſuum ſecurè dormientem, excitet, vincula ejus diſſolvat oſtia carceris aperiat, & de carcere educat. N. N. ne putetis Petri liberationem tam facilem fuiſſe, multi adhuc dies tranſierunt, antequam videbitur à vinculis ſolutus. Captive diaboli, huc uſque vidimus ignominioſam captivitatem tuam : per peccatum factus eras peccati ſervus, mancipium dæmonum, traditus in manus dominorum crudelium. Magni conſilii Angelus miſericordiâ motus ſuper te, de ſupernis deſcendit, ut factus homo, per ſe ſuoſque, liberaret captivos de captivitate ſua. Per Concionatores, qui prædicent: Iſaiæ 61. 1. *Captivis indulgentiam, & clauſis apertionem*: per Confeſſarios, qui ſolvant eos à vinculis, & de carcere educant. Verba ſunt Doctoris Seraphici Serm. 10. in diebus Rogationum : *Diabolus tenet peccatorem in carcere clauſum; Chriſtus clavem ad aperiendum de cœlo apportavit, & amico tuo reliquit; ſed heu! diabolus cavet, ne aperiatur.* De liberatione illa miraculoſa agemus diebus ſequentibus. Incipio: vos favete, & præbete aures.

Sed miſericordia Dei captivum liberat.

S. Bonav. Serm. 10.

III. Pſalm. 101. Extollens Pſalmiſta viſcera miſericordiæ Dei noſtri exclamat : Pſal 101. 19. *Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum.* Mirabilia, quæ narraturus ſum, ſcribantur in membrana ſtylo ferreo, ſculpantur in marmore, & ære, ut poſteri veſtri & nepotes immenſas dent laudes Deo. Quæ ſunt, obſecro, iſta mirabilia Rex ſancte? *Quia*, inquit, *proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cœlo in terram aſpexit.* Verſ.20. Quid de cœlo aſpexit Dominus in terram? Num amœnitatem Paradiſi terreſtris? Num altitudinem maris, aut cætera hujuſmodi? Non, non: Verſ.21. *De cœlo in terram aſpexit, ut audiret gemitus compeditorum*: Plus dico, non ſolùm affectu tenerrimo de cœlo aſpexit compeditos, ſed deſcendit de cœlo ut liberaret eos : *Dominus ſolvit compeditos* Pſalm. 145. ſic eſt N. Pſalm.145. 8. N. *Juxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde; Eſt eis Dominus juxta*, inquit Ugo, Pſalm.33 19. Ugo Card. *ut medicus ægro, ut conſolator afflictis, ut adjutor laborantibus.* Confirmat hæc Deus ipſe.

Qui de cœlo deſcendit ut compeditos ſolveret.

IV. Exodi 3. Apparens Moyſi in rubo, in hæc verba prorumpit : Exod.3 7. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi propter duritiam eorum, qui præſunt operibus : & ſciens dolorem ejus, deſcendi ut liberem eum.* Non poſſum videre quod populus meus anguſtietur & affligatur, abſque eo quod miſerear. Suſpiria eorum, ſicut ſagittæ acutæ, transfigunt cor meum : catenæ, quibus vinciuntur, onerant me : afflictio eorum affligit me : *Vidi afflictionem populi mei : & ſciens dolorem ejus, deſcendi ut liberem eum: Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.* Pſal.90. Joſeph conjicitur in Pſal.90 15. carcerem,

Afflictio populi Deum movet.

Vt patet in Ioſeph. carcerem, vincitur catenis, & ecce Deus: *Deſcendit cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum.* Sap.10. Super hac Dei dignatione totus obſtupefactus Magnus Auguſt. ait libro de ſpiritu & anima: *Quaſi plus cruciet eum paſſio miſeri, quàm miſerum ipſum paſſio ſui.* Quid ad hæc, Captive? conjectus in obſcuriſſimum carcerem, vinctus catenis duabus, dormis ſecurè, jucundaris, & lætos agis dies. Peto iterum, quot à captivitate tua preces fudiſti? quoties Deum oráſti ut ex illa te educat? Quoties tentáſti carceris oſtium aperire? Pudet proferre, utinam vel ſemel! *Plus cruciat Deum paſſio miſeri, quàm miſerum ipſum paſſio ſui.* Tuum erat ſuppliciter petere liberationem tuam, pulſare portam Divinæ miſericordiæ, & factus in te crudelior, non dignaris aperire os tuum, ita ut plus cruciet Deum paſſiò tui, qui quamvis offenſus, te ipſum prævenit, & quaſi rogat, ut & tu pro liberatione tua orare velis. Ne me exaggerare rem putes, habes Spiritum ſanctum pro me loquentem.

Sap.10. 13. S. Auguſtinus.

Miſeret Deũ magis peccatoris, quàm ipſum peccatorem ſui.

Eccli. 30. 24. V. Eccleſiaſtici 30. *Fili* (ecce adhuc filium te vocat miſericors Pater, licet captivus ſis diaboli.) *Fili*, inquit, *miſerere animæ tuæ.* Quid clarius? Et interim non te pudet reſpondere. Non miſerear, non parcam. Ad hæc verba excandeſcit Salvianus Lib.3. ad Eccleſ. Cath. *Vide quàm miſericors ſit Dominus Deus noſter, qui nos ipſos pro nobis miſericordiam rogat:* MISERERE, inquit, ANIMÆ TUÆ, *hoc eſt dicere, miſerere etiam tu illius, cujus vides miſeratione me frangi: Miſerere illius tandem cujus miſereor ego: miſerere tu animæ ſaltem tuæ, cùm miſereri me cernas alienæ. Et quid poſt hæc, miſerrime homo, cùm Deus ſic tecum agat, non acquieſcis? Rogat te ut tui miſerearis, & non vis? cauſam tuam apud te agit, & à te non admittitur? dignatur ipſe pro te petere, & non poteſt impetrare?* Audi condignam pœnam, quæ te manet, qui modò rogantem te ſpernis: *Et quomodo, quiſquis es, ô miſer homo! quomodò te poſtea ſupplicantem ille in judicio ſuo audiet, cùm tu hîc eum pro te rogantem audire ipſe nolueris?* In eamdem ſententiam abit S. Auguſtinus Sèr.102. De tempore ad eadem verba: FILI MISERERE ANIMÆ TUÆ. *Quid ad hæc reſpondebit humana fragilitas? Deus te rogat ut tui miſerearis, & non vis. Cauſam tuam apud te agit, & à te non poteſt impetrare: & quomodò te audiet ille in die judicii ſupplicantem, cùm tu eum pro te ipſo nolueris audire rogantem?* Miſeret ipſum ſtatùs tui, & non miſeret te. Quoties te liberare voluit? Quoties obtulit clavem carceris, & noluiſti? Quoties etiam per ſuos publicari fecit captivis indulgentiam, & clauſis apertionem, & reſpuiſti? malens ſubeſſe tanto tyranno quàm legatos ejus audire, & animæ tuæ conſulere. Audi Doctorem Gentium, Chriſti nomine loquentem.

Salvianus.

Imò rogat illum Deus, ut ſui miſereatur.

S. Auguſtinus.

2. Cor. 5. 20. VI. 2.Cor.5. *Pro Chriſto legatione fungimur, tamquàm Deo exhortante per nos: Obſecramus pro Chriſto reconciliamini Deo.* Ex parte Chriſti vos rogo, ſupplico, conjuro, obteſtorque, ut reconciliemini Deo.

Deo. Ad hæc verba, extatico ſtupore plenus, exclamat Eſtius. *Mira Dei bonitas, ipſe eſt, quem homines peccando offendunt, & tamen legatos cum precibus ad eos mittit pro reconciliatione*, ut aperientes oſtium carceris per Sacramentalem Confeſſionem ſe reconcilient Deo: O mira Dei miſericordia! pro me loquitur ſolitâ ſuâ eloquentiâ Ter Tullius Tertullianus. *Inauditum miſericordiæ genus eſt, quod, cùm ſummo Dominus jure miſericordiam & veniam negare poſſet, non neget, ſed ipſe etiam & velit, & roget, & minetur niſi ad eum revertamur.* Idcircò profectò eſt quòd D. Ambroſius Lib. 2. de Pœnit. cap. 7. tibi conſulat: *Qui jaces in tenebris conſcientiæ quodam reorum carcere, exi foras, delictum proprium prode, ut juſtificeris: ore enim confeſſio fit ad ſalutem, quia ſi confeſſus fueris clauſtra rumpentur tua, & omnia ſolventur vincula.* Ut ibidem paulò inferiùs aſſerit. Et verò quis noſtrûm in teterrimum conjectus carcerem, etiam cum vitæ periculo, non conaretur omni modo poſſibili ex illo liberari? Parceretne ille expenſis, amicis, & laboribus? Puderet deſuper exſpectare reſponſum. Nôſti, miſer, quod captivus ſis diaboli, in continuo verſeris periculo perdendi vitam & animam: *Exſpectat Dominus, ut miſereatur veſtri.* Et rogat ut oſtium carceris aperias per ſe & ſuos ex illo te educturus, & renuis: Exclamat ad hæc S. Auguſtinus lib. 1. Conf. Cap. 12. *Quid miſerius miſero non miſerante ſe ipſum?* Poteratne Deus majorem tibi præſtare gratiam, quàm ut homo, etiam peccator, qualis tu es, Confeſſarius utique, de carcere te educat, modò tu oſtium aperias, id eſt delicta confitearis, ob quæ in carcerem miſſus es? S. Thomas à Villa-nova me melius hoc tibi „perſuaſerit. *Quis*, inquit, *tam „mirandus favor, quæ major clementia, quàm ut cauſa noſtra committatur fratri noſtro, qui eſt os de „oſſibus noſtris, & caro de carne noſtra? Quis in cœlo vel in terra invenire potuit judicem favorabiliorem, quàm Hominem Chriſtum, qui „propter hoc deſcendit de cœlis? Propter hoc judicatus & crucifixus eſt, „ne homines damnarentur.* Pergit Sanctus Pater, & ponderans datam Filio à Patre commiſſionem: „*Quia omne judicium dedit filio* ſic „loquitur: *Commiſſio equidem hæc „nimis favorabilis & ſupra modum „ſtupenda fuit.* Nihilominùs, quia Filius miſericordiam non ſine juſtitia „poſſidebat, pietatẽ & clementiam „non abſque rectitudine & zelo, offenſum vindicante æterni Patris honorem, ideò Chriſtus poteſtatem „hanc in nos tranſtulit peccatores. „*Sed quod filius Sacerdoti peccatori „tantum judicium committat, hoc vehementer mirandum & ſtupendum.* „Potuiſſet Pater æternus quodammodò objicere: quid agis fili? ego „tibi poteſtatem contuli omnes remittendi injurias & offenſas, gratiam nulli indultam Angelo, omnibus denegatam Archangelis, „certus de rectitudine & juſtitia „tua: *Et tu illam homini peccatori „commiſiſti?* Tam facilè meas injurias, & pro nihilo offenſas meas „donas? Quid namque faciet ille

Eſtius. Tertullian. D. Ambroſius. Iſaiæ 30. 18. S. Auguſtinus.

Et Pater propter hoc filium miſit. S. Thomas à Villa nova. *Et Filius ideò claves Sacerdotibus commiſit, ut vinctum educant.*

„Sacerdos peccator cum alio pecca-„tore,niſi quod vellet ſecum fieri de „peccatis ſuis? O mirabilem com-„miſerationem! ô ineffabilem dig-„nationem quod veniat peccator „peccatis onuſtus ad alium ſibi ſimi-„lem! & ille judicet eum & abſol-„vat, *Et deducat* (de carcere) *de in-„ferno* & reſtituat Paradiſo, & quod „iſte facit in terra, firmum & ratum „habeatur in cœlo; *Benedictus Deus*, „*qui talem poteſtatem dedit homini-„bus.* Tandem concludit: *Hoc eſt* „*onus? ita eſt: onus eſt mirabile, &* „*onus eſt maximum ſed immenſi be-„neficii, inenarrabilis clementiæ*, „*ineffabilis obligationis.* Hactenus „ille.

Dignitas Sacramenti Pœnitentiæ. VII. Nôſti quanti conſtiterit Chriſto Sacramentum Pœnitentiæ? Quanti illi conſtiterint tria illa ſolummodò verba. *Ego te abſolvo*? Abſolvo te à vinculis, à carcere? Nôſtine inquam? Conſtiterunt certè injuriis, & tormentis quaſi infinitis, conſtiterunt 70 ſpinis perforantibus Chriſti tempora, flagellis innumeris, ultimâ pretioſi ſanguinis guttâ, imò & vitâ Chriſti; hæc omnia pretium fuêre trium verborum iſtorum. Et grave onus reputabis ſic abſolvi? Quàm differt ab humano tribunali divinum? in illo confeſſionem culpæ ſubſequitur pœna capitalis; hinc trochleæ cruciariæ, equulei, cippi quibus torquentur & cruciantur, ut vel ſic ex ore rei habeatur confeſſio delicti, in fundamentum juſtæ condemnationis, ſicque miſer propriâ linguâ enunciat, ut ita loquar, contra ſe propriam ſententiam. In Divino autem tribunali accuſator ſui, eſt proprius advocatus: ſe reum fateri, innocentem reddit, culpam agnoſcere, eſt pœnam evadere, aut ad minùs tranſmutare in leviorem, æternam in temporalem. Compara modò tractamentum unius, & alterius tribunalis, & tunc conquceraris, ſi audeas, de Divino. Stylum hujus curiæ, noverat Moyſes.

Et quanta differentia inter tribunal Sacramentale, & ſeculare.

VIII. Exod. 32. Videns populus, quod ille moras traheret in monte, dicit Araoni: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* at ille tollens inaures aureas de uxorum filiarumque auribus, fecit ex eis vitulum conflatilem, quem populus adoravit, ſpreto Deo Iſraël: videns Moyſes quod Deus ob tam enormem idololatriam delere vellet populum: ad Divinæ læſæ Majeſtatis pedes proſtratus offert ſupplicam. At, cujus tenoris? Num fortè dixit quod eſſent primæ vices, ut ſic faciliùs veniam impetraret? aut exhibuit grave tædium ex tam longa mora contractum, ut vel ſic leviorem redderet culpam? ſic Advocatus ſupplicâſſet corâ tribunali terreno, ſed non ita ille. Etenim ne vel minimam circumſtantiam omittendo, ſtuduit aggravare delictum. *Peccavit populus iſte peccatum maximũ, feceruntque ſibi Deos aureos.* Non ſatis illi erat dicere *peccavit*, ſed adjungit *peccatum*, & ut clariùs exprimeret addit *maximum*, imò totam facti ſpeciem, & culpæ qualitatem exponit: *Feceruntque ſibi Deos aureos*, peccatum ſcilicet idololatriæ, pupillam oculi ipſius Numinis lædens, ipſamque Divinitatem invadens: ſiccine Moyſes Advocatum agis pro populo? cujus igitur tenoris exhibita fuiſſet contradictio Fiſcalis

Exod. 32. 1.

Ob illam Moyſes apertè confitetur peccatum populi.

Verſ. 31.

calis à Magiſtratu ſuffecti: ut contra reum ageret in ordine ad condemnationem? in qua ſchola hanc Rethoricam adeò peregrinam & barbaram didiciſti? in illa, undè veræ artes omnes, veræque ſcientiæ dimanant, in ſchola cœleſti. Noverat quippè optimè coràm quo judice ageret cauſidicum, utique non coram tribunali humano, ubi confeſſio culpæ ineluctabilem ſecum trahit condemnationem, ſed coram Divino, ubi errore patefacto, non aliud ſequitur quàm abſolutio à vinculis & apertio carceris. Hìc aperit os ſuum verè aureum S. Joannes Chryſoſtomus in Cat. Lippomanni: *Cur quæſo incipit Moyſes à Confeſſione peccati? quia in mundanis ac forenſibus judiciis poſt accuſationem & criminum confeſſionem ſequitur mors. Interim apud Divinum tribunal poſt accuſationem & confeſſionem criminum datur corona.* Vis utrumque caſum in uno eodemque expreſſum?

D. Chryſoſtomus.

IX. Lucæ 23. Diſmæ latroni fit proceſſus criminalis coram Pilato judice, poſt multa tormenta, fatetur crimina à ſe commiſſa, & Cruci adjudicatur, in Cruce moriturus. In illa pendens audit Filium Dei pro crucifixoribus orare. *Pater dimitte illis: quia neſciunt quid faciunt*: & dum Deum cognovit, confitetur crimina: *Domine memento mei.* Mei tam indigni, mei peccatoris graviſſimi: nam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt, confundor oculos meos levare ad te: quia tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci, latro ſum animæ meæ, homicidium feci, memento mei, miſerere mei, qui meritò in hanc miſeriam deveni. Exinde converſus ad collegam ait: *Neque tu times Deum quod in eadem damnatione es. Et nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali fecit.* Et ecce facta confeſſione audit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Iterum aperiat os ſuum aureum D. Chryſoſtomus *Incipit latro de veritate conſere, qui pro Pilato poſt multa tormenta confeſſus eſt ſcelera, & ibi quidem poſt confeſſionem pœna ſubſequitur, hîc autem confeſſio ſit ad ſalutem.* Quid dici poſſet ſuaviùs? quid dulciùs? 2. Reg. 12. Vix aperuerat David oſtium carceris, vix dixerat *Peccavi*, & audit illicò: *Tranſtulit Dominus peccatum tuum à te, & non morieris.* Promit hîc tertiò os Aureum verba aurea & ait: *Cum in reo habetur confeſſio, nullæ partes remanent judici, niſi ad condemnandum*; ſed in tribunali Divino: *Cùm habetur confeſſio, nullæ partes remanent judici niſi in abſolvendo* à carcere: Imò, inquit David, reſolveram ſolummodò apponere manum peſſulo, ut oſtium aperirem, & præbebat mihi Deus claves carceris, ut inde me educeret; Do verba ejus.

Diſmas per Confeſſionē à Pilato mortem, à Chriſto Paradiſum obtinuit.
Lucæ 23. 42

D. Chryſoſt in Cat. D. Thomæ.

Et David per confeſſionem abſolvitur.

2. Reg. 12. 13.

D. Chryſoſtomus.

X. Pſalm. 31 *Dixi, confitebor adverſùm me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*, quaſi diceret: ſtatueram tantùm apud memetipſum confiteri Domino impietatem meam, me-ipſum accuſando, & reum agnoſcendo, & ſtatim ubi confiteri, iniquitatem ſtatueram, tu Deus meus, remiſiſti iniquitatem peccati mei. Audi deſuper loquentem Magnum Auguſtinum:

Pſalm. 31. 5.

Imò dum tantùm ſtatuit confiteri abſolutus eſt.

S. Auguſtinus in hunc loc.

num: *Dixi: quid dixiſti?* inquit Sanctus Pater, *non jam pronuntiat, ſed promittit ſe pronuntiaturum, & ille jam dimittit. Attendite Fratres, magna res, dixi pronuntiabo, non dixi pronuntiavi, & tu dimiſiſti. Confeſſio verò mea ad os nondum venerat. Dixeram enim: Pronuntiabo adversùm me, verumtamen Deus audivit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, ſed auris Dei jam in corde erat.* Non exſpectat Dominus, ut quis pulſet oſtium carceris, aut peſſulum removeat: ſufficit illi, quod cognoſcat, captivum deſiderare apertionem oſtii, ut illicò illud met aperiat. Non exſpectat donec proſternas te ad pedes ejus: ſufficit, quod videat paratum te, ut carcerem effringas & tunc manum tibi præbet, non exſpectat donec lacrymas fundas, compunctum tantùm te videat, & amplectetur te. Fidei-juſſorem veritatis hujus præbet ſe S. Ephrem Syrus: *Priuſquam peccator pertingat ad januam carceris, tu ei aperis: antequam tibi procidat, manum ei prebes, antequam lacrymas*
S. Ephrem. *profundat, tuas ſuper illum miſerationes effundis. Charitas tua noſtræ ſalutis cupidiſsima ſeipſam ad nos inclinat.* Sed, ad quid emendico auctoritatem Sanctorum Patrum dum authenticam manûs propriæ Dei habemus, & Divini oris ſui atteſtationem? Iſaiæ 65. 24. *Antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Sufficit Deo cognoſcere deſiderium tuum aperiendi portam carceris, id eſt os ad confitendum, & ille jam dimittit ex carcere. *Non jam pronuntiat, ſed promittit ſe pronunciaturum & ille*
Iſaiæ 65. 24.

jam dimittit. Hæc omnia audis, Captive, & nondum manum peſſulo admoves ut oſtium aperias? Offert tibi Deus claves, offerunt ſe tibi innumeri Confeſſarii, parati ut de carcere te educant, ſi non acceptes, & interim contingat te mori in illo, cui imputabitur mors tua? Deo? hoc ipſum quod indies claves offerat, toties moneat ut animæ tuæ conſulas, hoc ipſum ſolùm ſufficit, ut ſola culpa conjiciatur in te. *Culpa peccatoris eſt ſi pereas, non Dei.*

XI. Dic mihi cui traditæ ſint claves regni cœlorum? Petro: *Tu es Petrus*, &c. *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Cur cœli claves non committuntur Angelis, domeſticis Dei? dicam: Angelus, ut Scholæ loquuntur, eſt *Subſtantia ſeparata*, naturâ & conditione à nobis ſeparatur, ita ut à nobis difficulter inveniatur; at homo, qualis eſt Petrus, & omnes ſucceſſores ejus, invenitur facilius, ita ut ſæpè in non quæſitos, non optatos impingamus. Hinc dantur homini claves cœli. Solidiſſima & digniſſima D. Petro Damiano obſervatio eſt. *Claves inferni dedit Angelo, utpote naturæ à conſortio hominum omnino ſejunctæ. Claves autem regni cœleſtis tradidit homini, ut in oſtiarios cœleſtes, id eſt Confeſſarios, nec volentes impingamus.* In hac urbe noſtra centeni, auſim dicere fortè ultra mille Sacerdotes ſunt: intremus Eccleſias Dominicis & Feſtis, quin & aliis diebus, omni ferè horâ videmus Confeſſarios ſedentes & exſpectantes nos; plateas obambulantes in illos impingimus, itinerantes navi, curru, pedites habemus obvios, in tantùm ut aliqui conquerantur, quod nimis multi dentur

Matth 16. 19.
Ille enim claves cœli homini, non Angelo dedit.
S. Petrus Damianus.

dentur Sacerdotes: quotquot ex illis approbati ſunt ad abſolvendum; oſtiarii ſunt regni cœleſtis, qui vincula diſſolvant & captivos de carcere educant: tot ex illis obvios & ad manum habere, numquid hoc eſt: *Impingere in oſtiarios Paradiſi etiam nolentes*? Occurſus ille ad ſingulos paſſus, ad loca, ad horas ſingulas, numquid tacita tibi exhibitio eſt abſolutionis, de carcere liberationis, & ſalutis? ſi nolis diſſolvi, ſi oblatas claves recuſes, & interim impœnitens moriaris in carcere, irreparabilis animæ tuæ ſtrages erit, & quidem ſimilis ſtragi Jerechuntinæ. Conferamus unam cum alia.

XII. Joſue 6. Obſidetur Jericho, nec circumvallata eſt, nec machinis bellicis oppugnata: ſed mandat Deus Joſue, ut Sacerdotes per dies ſex circumeant civitatem inflantes buccinas non martiales, ſed feſtivales: *Buccinas quarum uſus eſt in jubilæo*. Ad harum buccinarum ſonitum exſibilabant Iſraël Jerechuntini, & ecce die ſeptimo:

Joſue 6. 20. *Ierichuntini ſuâ ſic culpâ ſimiliter perierunt.*

Clangentibus tubis muri illicò corruerunt, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea, à viro uſque ad mulierem, ab infante uſque ad ſenem. Sic inter pacis & remiſſionis oblationem, & tubas Sacerdotum, proclamantium jubilæum, habuit fatale excidium obſtinata Jericho. *Ita bellum immane confecit tubæ clangor & infula Sacerdotis*, inquit, deſuper plangens D. Ambroſius.

S. Ambroſius.

Te modò compello, Captive, habet hîc aliquid infelix Jericho in cauſæ ſuæ defenſionem? Ad manum habet indulgentiam, & recuſat: circuibant Sacerdotes civitatem diebus ſeptem, offerentes pacem, & obſtinata ridet oblationem. Si in ore gladii, ſtrage cruentâ intereat, cui imputandum? Habes à te ipſo reſponſum. Quàm appoſitè hîc Magnus Auguſtinus: *Per liberum arbitrium, non impulſu violento muri Jericho corruerunt.*

S. Auguſtinus in hunc locum.

Numquid idipſum egiſti hactenus, Captive, nolens te ſubdere Deo? vocat te per ſuos, ut reconcilieris cum ipſo: claves, vi quarum de carcere libereris, obtulit non ſemel, & manes induratus, & ſecurè in carcere dormiens. Canunt Sacerdotes ejus *Buccinas quarum in jubilæo uſus eſt*, & non excitaris, econtrà inſurdeſcis in aure cordis: ſi in carcere tuo morte repentinâ corripiaris, iterum peto, cui foret mors illa imputanda, niſi tibi? Si vigil eſſes & non tam altè indormires, traderem tibi legendam Epiſtolam olim inſcriptam Epiſcopo Eccleſiæ Pergami, quia non minùs te tangit, quàm illum.

XIII. Apoc. 2. *Hæc dicit, qui habet romphæam utrâque parte acutam, ſcio ubi habitas, ubi ſedes eſt ſatanæ.*

Apoc. 2. 12. *Peccator mutus ſedē in anima dat ſatanæ.*

Ubinam quæſo ſedes eſt ſatanæ? In omni anima habente peccatum mortale, ſignanter in illa, quæ non ſolùm privata eſt divinâ gratiâ ejuſque amicitiâ, ſed inſuper muta eſt, nolens confiteri peccata, nolens aperire oſtium carceris: ita interpretatur hæc verba purpuratus Ugo: *Ubi ſedes eſt ſatanæ, id eſt manſio, non tranſitus. In illis enim manſionem facit diabolus qui peccata nolunt confiteri, ſed celant ea in gutture ſuo: ſed in illis tranſit qui etſi peccant, aliquando ex fragilitate,*

Ugo Card.

litate, *ſtatim confitentur*. Cùm ergò ſedes ſis ſatanæ, Captive & celare velis peccata in gutture, vide ne incidas in Dei romphæam utrâq; parte acutam. Cùm me adhuc dormiens, non audias, fortè Apoſtolus ſuâ invectivâ irâ fortiori, Romanis factâ, excitabit te.

Rom.2.4. *Et Dei benignitatem negligit.* XIV. Rom.2. *Ignoras quoniam benignitas Dei, ad pœnitentiam te adducit?* Quàm pernicioſa iſta tua ignorantia, neſcire cur Deus tamdiu, & tam benignè te tolleret in carcere, & in peccato! Quamdiu hoc ignoras, numquam cogitabis de carceris oſtio aperiendo, quia aliud eſt beneficio non correſpondere, aliud non æſtimare, aliud non cognoſcere. Qui non correſpondet, de numero eſt ingratorum: Qui non æſtimat de numero iniquorum: Qui non cognoſcit de numero incorrigibilium: quod Deus tibi parcat in carcere, non eſt, quod te non poſſit conjicere de carcere in carcerem, de temporali in æternum; ſed eſt, quod hoc nondum velit, ſperans quod tandem conſules animæ tuæ. Si non tam altè dormires, videres, quomodò benignitas Dei non ſolùm te ad pœnitentiam invitet, ſed & inducat, & adducat, aut, ut alii legunt, ad illam excitet & impellat. Videres quomodò Dominus tantæ Majeſtatis ſufferat tot contemptus & deſpectus, quos illi infers, ſolummodò ne tu vermis viliſſimus pereas. Et numquid tam mira benignitas ſufficere deberet ad commovendum etiam cor ſaxeum? Et tamen ſic eſt, ut dico: *Propterea exſpectat Dominus, ut miſereatur veſtri.* Iſaiæ 30. Cogita, ſi adhuc tibi animi ſenſus ſit, quàm horrendum malum committas, ſi inde pecces liberiùs, quia Deus erga te adeò benignum ſe præbet: ſi vis offendere Deum quia benefacit tibi, ergò etiam offendas eum, quia pro te lacrymas fudit & ſanguinem, & quia pro te mortuus eſt in Cruce. Vide, vide quàm ſint barbaræ iſtæ conſequentiæ: & tamen, ſi bene ponderes, tuæ ſunt, cùm benignitas Dei culpâ tuâ, non ſolùm ad pœnitentiam te non adducit, ſed potiùs ad impœnitentiam. Si nec hæc te moveant; conſidera quòd hæc bonitas Dei in hoc caſu noſtro vocetur: *Benignitas Dei*, ſcilicet bonitas gratuita, adeòque illâ privari poſſis, & tradi in manus juſtitiæ Divinæ. Cur ergò non cogitas quid futurum ſit de te, ſi illâ priveris? An illam putas ſuos non habere limites, quos non tranſiliet? Potentia Divina eſt infinita, & tamen non producit res infinitas. Providentia Divina eſt infinita, nihilominùs non providet rebus infinitis: ſic ſimiliter, licet bonitas Dei ſit infinita, non ideò diſſimulat, & parcit infinitis vitiis; habet ſibi præſcriptum numerum ab imperſcrutabili ordinatione ſua. Et quis novit an ille numerus reſpectu tui non ſit completus? Aliud eſt miſericordia ut attributum, aliud quoad effectus; hi non ſunt infiniti. *Multæ ſunt miſerationes ejus.* 1. Paral. 21. *Multæ*, non *infinitæ*. Quantus triumphus diabolo eſt, dum videt Captivum ita abuti tantæ miſericordiæ remedio, ut mori malit in carcere, quam oſtium aperiendo liberari ex illo? hoc ingemiſcens deplorat Eccleſiæ Doctor

Ac de remedus ſalutu diabolo triumphum erigit.

Iſaiæ 30.18.

1. Paral.21.13.

S. Auguſtin. Doctor D. Auguſtinus Lib. 1. de Pœnit. cap. 11. *Remedium noſtrum ſit ipſi diabolo triumphus.*

XV. Dic obſecro, Captive, quid eſt quod oſtium carceris renuas aperire? Quid te retinet, quid mutum te facit? An quia homini confitendum eſt? Audi alloquentem te Auguſtinum Serm. 30. ad Fratres in Eremo: *Noli timere peccata confiteri, O homo, nam illud quod per confeſſionem ſcio, minùs ſcio, quàm illud quod neſcio.* Et parum poſt: *Cur confiteri times peccata? peccator eſt, qui audit peccata, ſicut tu, & forſitan major: homo eſt, nihil differt à te, nihil alienum habet à te. Cur ergò times, ô homo peccator, homini peccatori confiteri? Elige quod vis, ſi confeſſus lates, inconfeſſus damnaberis.* Quid putas Confeſſarium dicere vel cogitare intra ſe, dum audit delicta, ob quæ miſſus es in carcerem? Idipſum quod Chriſtus Redemptor noſter in cœna noviſſima, detegens delictum machinantis proditionem: *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet.* Matth. 26. Ille ex atra bile ſanguinem bibit aut ſitit inimici ſui, ego eâdem ſiti accenſus fui non ſemel: *Intingit mecum manum in paropſide.* Hic ſemel manducavit carnem porcinam, carnem vetitam, & ego pluſquam centies: *Intingit mecum manum in paropſide.* (diſcurre) ipſe homo eſt, & ego homo ſum. *Intingit mecum manum in paropſide.* Hæc cogitat, inquit, Ugo Card. *Confeſſor cum pœnitente in eadem Paropſide miſeriæ manum tingere debet id eſt, per humanæ fragilitatis experientiam ſimilem ſe peccatoribus reputare.* Quid ergò eſt, Captive, quod homini confiteri exhorreſcas? Si quis fur à patibulo abſolvendus eſſet dumtaxat ob publicâ criminis admiſſi Confeſſionem, an non indilatè expleret conditionem? *Salutis cupiditate, pudorem contemneret.* Inquit D. Chryſoſt. Ad furcam damnatus es infernalem, reus criminis Divinæ læſæ Majeſtatis, ut ab æternis ſuppliciis te eximas, & de carcere libereris, ſola à te exigitur peccati confeſſio: Hæcque ſecreta non publica, & renuis explere conditionem: dico tibi cum Auguſtino in Pſalm. 50. *O incredibilis inſania, de vulnere ipſo non erubeſcis, de ligatura vulneris erubeſcis,* ſed quàm ineptè! lex dicit: *Ancilla, quæ in ſervitute ſui corporis quæſtum fecit, facta libera, non eſt infamis.* Favorabilior tibi Evangelica lex eſt, Matth. 21. *Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Verecundia humilis Confeſſionis, Teſte D. Cypriano, honor potiùs quàm verecundia habenda eſt: *Peccator confeſſione confuſionem honorat. Ergo non habet quod erubeſcat, cui peccatum dimiſſum eſt.*

Qui verecundatur confiteri homini ſibi ſimili.

S. Chryſoſt.

S. Auguſtin.

Matth. 21. 31.

S. Cyprian.

XVI. Eſtne qui audeat Prophetam Regium infamem dicere, quòd centies ſe lapſum dicat in Pſalmis ſuis, quos tamen Propheticè novit in omnibus Eccleſiis Univerſi uſque in finem mundi decantandos? Auguſtinum Eccleſiæ lumen habere infamem, qui integrum compoſuit librum ſuarum confeſſionum, ut ſcirent poſteri quàm magnus fuerit peccator? O ſi liceret hodiernâ luce de ſepulchro evocare Imperatorem Theodoſium, ut aſcendens hanc cathedram excitare & animare poſſet omnes animas Captivas, quæ ne pudore ſuffundantur, oſtium carceris nolunt

Et inde David, Auguſtinus & Theodoſius commendabiles ſunt.

Confiteri peccata non infame, ſed honor eſt.

lunt aperire. Non dedignaretur anima illa verè Cæſarea iterum venire in publicum, habitu induta pœnitentiæ, & ab Ambroſio petere abſolutionem ab incurſa excommunicatione ob ſtragem Teſſalonicam: erat tunc ſpectaculum admiratione dignum, videre Imperatorem habentem caput aſperſum cinere, margaritis depoſiti diadematis pretioſiore, & faciem Cæſareâ purpurâ rubicundiorem, præ ſancta verecundia in illa elucente. Stupebat populus, diſcernere neſcius an majeſtas in habitu pœnitentis de throno deſcendiſſet perſonata, an vero pœnitentia thronum aſcendiſſet Regiâ veſtita purpurâ. Eò devenit pius hic Princeps ad delendam culpam, quæ ex parte non tam ipſi, quàm Conſiliariis erat imputanda. Et tu, Captive, erubeſces ſecretò facere, quod publicè in præſentia numeroſiſſimi populi, & populi ſibi ſubjecti, fecit tantus Manarcha? *Quod privati facere erubeſcunt* (exclamat meritò Ambroſius Orat. in obitu Theodoſii) *non erubuit Imperator.* Sed ſit in apertione carceris quædam erubeſcentia: *Erubeſcentia ipſa*, inquit Auguſtinus, Lib. de pœnitent. *Partem habet remiſſionis.* Eſto, non haberet: quæ ratio ſuadet, ut ad evitandum exiguum, intollerabilem quis & æternum incurrat pudorem? *Meliùs eſt coram uno aliquantulum ruboris tollerare*, inquit idē Aug. l. 2. de Viſ. Infirm. c. 5. *quàm in die judicii coram tot millibus gravi repulſâ denotatum tabeſcere*: Hinc S. Thomas à villa-nova Serm. Dom 3. quadrag *Noli homo, noli celare peccatum tuum: Ne celes uni, ne univerſitati nudetur, revela uni pudenda tua, ne revelemur univerſo.* Senties in te, quod Auguſtinus in ſe in Pſ. 31. *Non operui, ſed aperui, ut operires. Nam quando homo detegit, Deus tegit. Cùm homo nudat, Deus celat, cum homo agnoſcit, Deus ignoſcit*: Addit & ſua Os aureum Hom. 3. de pœnit: *Pudeat te peccantem, non pudeat pœnitentem. Peccare non erubuiſti, & confiteri erubeſcis?* Et Hom. 31. Super Epiſt. ad Hebr. *Quid erubeſcis? Cùm peccare te contigit, haud erubeſcebas: Cùm te peccato liberes, erubeſcis.* Item Hom. 3. de Pœnit. *Tunc erubeſcere debuiſti, tunc oportuit pudore confundi, cùm peccabas: cùm factus es peccator, tunc pudere oportuerat, & ecce econtra cùm juſtus efficeris, pudes.* Pudeat intrare carcerem, exire non pudeat. *Diaboli hæc aſtutia eſt, inquit Idem, quod te in peccato, in carcere, erubeſcere vetet, & peccatum edicere impediat præ pudore.* Si oſtium carceris ob verecundiam recuſes aperire, cogita qualem verecundiam & confuſionem pro te paſſus ſit Deus, pro te factus Homo, non coram uno, decem, centum, ſed coram toto univerſo velut reus actus in Crucem.

S. Ambroſius. S. Auguſtin. *Melius eſt jam confiteri quàm in æternum confundi.* S. Thomas à Villa-nova. S. Auguſtin. S. Chryſoſt. *Peccare non erubuiſti, & confiteri erubeſcis?*

XVII. Hebr. 12. Inducens illos Paulus ad tollerandas viriliter afflictiones, revocanſque à peccatis, ait: *Deponentes omne pondus & circumſtans vos peccatum per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem, confuſione contemptâ.* Suſtinuit Chriſtus confuſionem pro te, & tu non ſuſtines pro Chriſto? Aperuit tibi Chriſtus Hebr. 12. 2.

ſecreta

ſecreta cordis, & tu non aperis? Permiſit lanceâ latus aperiri: *Ut videamus*, inquit Petrus Bleſenſis Sermone 19. *Quæ in corde ipſius patent arcana, lanceâ nobis aperuit ſecretum, de quo dixerat Dominus: Secretum meum mihi, etiam confuſione contemptâ.* Quantâ confidentiâ oſtendit Diſcipulis vulnera: *Videte manus & pedes, videte loca clavorum.* Nôſti in quem finem? Ut & tu facias, quod ipſe fecit, ut ſcilicet ei pandas animæ vulnera, ut tu illi aut Vicario ejus oſtendas paſſiones culpabiles, ſicut ipſe tibi pœnales, ut tu non minori confidentiâ ei detegas animæ vulnera, quàm permiſit ipſe tibi videre & palpare vulnera corporis ſui. *Et ita, inquit idem, mitteret quiſquam manum in latus Salvatoris, ut ſicut animam expoſuit Dominus moriendo, ita iſte conſcientiam exponat confitendo.* Excandeſco, dum videò Chriſtum pro te denudantem ſe, & te in confeſſione operientem te. Velum templi, quod erat purpureum in morte, Salvatoris ſciſſum eſt, quaſi improperans altari (ut inquit S. Proclus) quod velatum eſſet, nudo in Cruce pendente Salvatore; pia ſanè conſideratio, ſed utinam ſufficiens, ut quiſquam frangat in partes velum ſuæ verecundiæ! Nam teſte Ugone. *Velum templi eſt rubor confeſſionis.* Utinam ſe eximat de numero ingratorum ille, qui ad aſpectum Chriſti nudè morientis in Cruce, recuſat ſe detegere Sacerdoti. Auderes fortè replicare, quod te pudeat oſtium carceris tui aperire, & confiteri homini delicta tua? Peto iterum: *Non eſt melius coram uno ruborem tolerare, quàm in die judicii coram tot millibus damnatum tabeſcere:* Erubeſcis? Viles ſane conceptus formâſti de ardore infernali, ſi illum malls, quàm exiguam erubeſcentiam in facie ſubire. *Meliorne erit modica amaritudo in faucibus, quàm æternus cruciatus in viſceribus?* Quærit à te S. Auguſtinus: Erubeſcis uni confiteri, quod coram multis perpetrâſti? *Non te pudeat coram uno dicere, quod te non puduit coram multis facere.* Erubeſcis? *Et vereris Domino indicare, quod non vereris ipſo præſente committere?* Erubeſcis? Cur non cogitas quod magis occulta ſit culpa tua in Confeſſario, quàm in te? Tenetur ille ſub altiſſimo ſecreto, tu non item, qui ſæpè gloriaris in malitia: Ex parte enim confeſſionis obturatur os Sacerdotis, quod ipſa claudit & nemo aperit. Si tamen hæc omnia te non moveant, moveat te ſaltem anima tua.

Petr. Bleſenſ. — *Chriſtus vulnera corporis oſtendit, ut nos vulnera animæ aperiamus.* — *Ugo Cardin.* — *S. Auguſtin.* — *Confeſſio à ſigillo commendatur.*

XVIII. Eccleſiaſt. 4. 24. *Pro animâ tua ne confundaris dicere verum.* Si non te moveat injuria, quam infert Dei gloriæ hoc maledictum ſilentium, moveat ſaltem grave damnum, quod infers animæ tuæ, illam privans in præſenti incomparabili beneficio liberationis & abſolutionis ejus, & condemnans eam carceri æterno. Si durum eſt oſtium aperire, manifeſtare Sacerdoti delicta enormia, cogita quod facias *pro anima tua.* Humiliatio iſta præſcripta eſt à Medico cœleſti in bonũ tuum, tamquam medicina ſalutaris animæ tuæ. *Altiſſimus creavit de terra medicamenta:* ſi ergò in te vel ſcintilla ſit rationis, quomodò potes ita abhorrere? *Et vir prudens non abhorrebit illa.* Compatitur exiguo judicio tuo

Eccli. 4. 24. Sicut & abmulitate. — *Eccli. 38. 4.*

S. Chryſoſt.

D. Chryſ. in proæmio in Iſaiam : *O Te miſerum! effectus es peccator, non erubeſcis, quando juſtus efficeris te primùm pudet? Ergo pro anima tua non confundaris dicere verum.* Aliqui dicunt verum peccati commiſſi, ſed non in bonum animæ. Ubi tamen deberent dicere. *Pro anima ſua.* Quia narrant in conſortio confidentium, & occultant Confeſſario. Mi Captive, antequam ceſſem tibi loqui hodie, rogo : noli medicinam vertere in toxicum. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.*

FERIA V. DOMINICÆ II. ADVENTUS.

De captivitate Petri.

Angelus Domini aſtitit illi. Actor. 12.

I. QUod diabolus ſuos habeat cuſtodes, qui oſtium carceris cuſtodiant, id eſt, conſcientiæ portam clauſam teneant, ne Captivus confiteatur, & ſic ſolvatur, non miror : quia, iterum cum Auguſtino loquor, Si clauſerit ſuper eum puteus os ſuum, ſi perdidit confeſſionem, verè mortuus eſt, quia non habet undè eruatur : Confeſſione enim amiſſâ, non eſt miſericordiæ locus : ſed quod etiam Deus ſuos habeat cuſtodes, qui ad captivorum indulgentiam & clauſorum apertionem poſiti, carcerem cuſtodiant, id eſt conſcientiæ portam clauſam teneant, ne Captivi confiteantur, & ſic ſolvantur, hoc eſt triſte. Neſcitis fortè quò vergam, antequam illos nominem, Dei imploremus auxilium, per eam, quæ ab Angelo ſalutata eſt : *Ave gratiâ plena.*

Cuſtodes oſtii carceris etiam Deus habet.

II. Quis vel cogitâſſet quod magni conſilii Angelus de excelſo Sancto ſuo in terram proſpiceret, ut audiret gemitus compeditorum? Videnſque Captivi noſtri afflictionem, de Cœlò deſcenderet, ut liberaret eum, & ſolveret compeditum, quaſi plus cruciaret eum paſſio miſeri, quàm miſerum ipſum paſſio ſui? Ipſe etiam claves afferens, quibus carcerem aperiat, utpotè tormentis quaſi infinitis, & ultimâ pretioſi ſanguinis ſùi guttâ emptas, quas etiam dare voluit Apoſtolis ſuis, eorumque ſucceſſoribus, ut vi illarum Captivos de domo carceris educerent, ſed proh dolor! Quidam inter illos, quod deplorat D. Gregorius : *Damnoſi ſunt, qui officioſi & auxilio eſſe deberent* : qui Captivis, tamquam Angeli, auxilio eſſe deberent, illos, crudeles nimis, in carcere detinent, *Cuſtodes* facti *cuſtodientes carcerem*, alieni à ſpiritu Chriſti, qui de Cœlo deſcendit, ut ſolveret compeditos, durè & ſeverè tractantes eos, qui in confeſſione ſibi oſtium carceris cupiunt aperiri. De iſtis ſeveris cuſtodibus loquor hodie, attentas aures veſtras requiro.

S. Gregorius.

Illi ſunt debito rigidiores Confeſſarii.

III. Gen. 38. 27. Fornicata erat Thamar cum ſocero ſuo Juda, filio

Gen. 38. 27. lio Jacob: *Inſtante partu apparuerunt gemini in utero; Videns obſtetrix quod unus infantium protulit manum, ligavit coccinum dicens, iſte egredietur prior*: Hæc ita ſtrinxit, ut puellus jam erumpere incipiens, manum retrahens, in uterum denuò ſe receperit: Infans enim ille, qui poſteà vocatus eſt Zaram, ſentiens ligari teneram manum ſuam retraxit ſe, *Et retrahente manum, egreſſus eſt alter*. Scilicet Phares & ſic obſtetrix in cauſa fuit, quod manſerit in carcere matris, & alter factus ſit primogenitus. Huic obſtetrici illos ego captivarum animarum cuſtodes comparo, qui, dum captivus in confeſſione carceris ſui oſtium cupit aperire, ita illum conſtringunt, ita terrent, ita objurgant, & ubi tantum incipit confiteri delicta, ita confundunt, ut parere volens fructus dignos pœnitentiæ, præ pudore retrahat manum ſuam, dicam linguam ſuam, id eſt, inquit Cornelius à Lapide: *Ut conſcientiam à Deo & ſalute avertant*; & cum ad facilitandũ partum eos auxiliatrices manus extendere oporteret, ob duritiam eorum, ut cap. 26. Propheta Job teſtatur: *Obſtetricante manu ejus, eductus eſt coluber tortuoſus*. Confeſſio ejus fit confuſio, novum committitur ſacrilegium, & pauper captivus in ſuo manet carcere, & cuſtodes, quorum erat eum de carcere liberare, cuſtodiunt carcerem, eumque in illo detinent. Non ſic vos Deus docuit in Sanctiſſimo Patre N. Elia.

Figurati in obſtetrice Thamar.

Job. 26. 13.

Qui faciunt ut loco fructus pœnitentiæ naſcatur tortuoſus ſacrilegii coluber.

IV. 3. Reg. 19. Elias zelo plenus erga Dei inimicos, & ob licentiam, impuritatem, & ſcelera Jezabelis & Baalitarum, ſanctâ irâ & dolore ſuccenſus, lætum recipit nuncium, viſurum ſe Deum. Tanto favori inhians, cum in ſpeluncâ ſtaret, audit tranſeuntem Dominum, & ecce: *Spiritus grandis & fortis ſubvertens montes & conterens petras ante Dominum.* Dum putat iniquos jam jam deſtruendos, audit vocem: *Non in ſpiritu Dominus*, quaſi diceret Dominus, venti & turbines mihi quidem ad manum ſunt, ut idololatras perdam, & Jezabelem, ſed non eſt, hic clementiæ meæ modus uſitatus & congruus. *Non in turbine Dominus*. Ceſſante turbine, motus factus eſt adeò terribilis ut terra omnes peccatores deglutire velle videretur: At eadem vox clamabat, dicens: *Non in commotione Dominus.* Ceſſante terræ motu: Ecce ignis vehemens, totum quaſi incenſurus orbem, at iterum vox: *Non in igne Dominus*, igni tandem ſucceſſit *ſibilus auræ tenuis*, & cum eo ipſe Dominus. Porrò quid eſt quod neque in turbine, neque in terræ motu, neque in igne, ſed in ſibilo, aut leviuſculo illo vento Dominus appareat? Scilicet ut vel ſic innuat, ſe illum non probare ſpiritum, qui auſteritatẽ nimiam obtendit, ſed pietatem debitam, quam imitari debeat, quivis vir Apoſtolicus. Rectores animarum & quicumque ad Dei tribunal ſedetis, poſuit vos Deus, ut captivas animas de carcere liberetis: Mementote proinde proprium munus veſtrum eſſe ad miſericordiam, & quod hîc & nunc non tam vices geratis Domini exercituũ, quam illius: *Cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere*, Dei clementiſſimi, & ad punienda peccata longanimi.

3. Reg. 19. 11.

Dominus non in turbine, neque in commotione aut igne, ſed in ſibilo auræ tenuis & ſpiritu clementiæ reperitur.

Proprium Confeſſarii munus eſt ad miſericordiã cum proximo.

Ac idcircò quando miſeri captivi, per vos ſolvi petunt à vinculis, quibus irretiti tenentur, dumque crimina, ob quæ in carcerem miſſi ſunt, exponent, ne objurgetis eos: Quia *Non in turbine Dominus.* Ad primum crimen, quod proferunt, ne ita turbetis, ut tremuli non audeant ultrò vel verbum proferre: Quia: *Non in commotione Dominus.* Ne ad horrenda crimina, quæ auditis, ſtatim damnetis eos; Quia: *Non in igne Dominus.* Scio quod ſimilibus, mortem & pœnas æternas ob oculos ponere oporteat, ſed hæc addo, ut ſi eos extrà carcerem habere velitis, veniat *Sibilus auræ tenuis*: compatimini illis, in ſpiritu lenitatis, ad veram pœnitentiam adducite, & cùm ceciderint catenæ de manibus eorum, tunc de turbine, de commotione, de igne agite, ne alioqui cuſtodes ſitis cuſtodientes carcerem, & pauperes captivos in carcere detineatis. Hoc requirit à vobis D. Chryſoſtomus Hom. 2. de Lazaro: *Animæ dejectæ ne addas perturbationem; ſatis eſt cruciatus ſuus, ut ne illius calamitatibus inſultemus.* Dicite mihi quando Paſtor paſtorum à Patre miſſus, ut prædicaret captivis indulgentiam, & educeret vinctos de domo carceris, venitne ut leo rugiens? Quaſi verò: dicat hoc Præcurſor ejus Joannes: *Ecce* (inquit) *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Ad quod reflectens S. Auguſtinus, *Venit*, dicit, *ut Agnus, ut faciat agnos de lupis.* Nunc verò ſi Deus offenſus, peccatorem tantâ patientiâ, tantâ longanimitate expectet, totque promiſſis alliciat, ut carcerem deſerat: ſi tantâ manſuetudine ſufferat fragilitatem noſtram, cur nos, non offenſi, tantâ ſeveritate agere volumus cum Filiis Dei? Quod dixi dico: *Non in turbine Dominus, non in commotione Dominus; Non in igne Dominus*, ſed veniat *ſibilus auræ tenuis.* Hoc habemus ab ipſo Sacramentorum authore Chriſto Jeſu.

Et captivus prius è carcere leniter extrahendus, quàm turbandus.

S. Chryſoſt. *Quem Deus liberaturus venit ut Agnus?*

1. Petri 5. 8.

Ioann. 1. 29.

S. Auguſtin.

IV. Joannis 20. Inſtituens Sacramentum Pœnitentiæ, & Apoſtolos ſuos judices creans, quos oportebat cognoſcere, cauſas in tribunali Confeſſionis, Divinitùs illos delegans, *inſufflavit, & dixit: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Cum oportebat eos circumſtantias, & criminum qualitates diſcernere, cur non dicit *Accipite ſcientiam*? Si, ut Chriſti Vicarios, revereri eos oportebat: Cur non dixit: *Accipite majeſtatem*: ſed *Accipite Spiritum ſanctum*? Ad hoc reſpondet Magnus Auguſtinus in Catena hîc; Quia volebat eos judices viſcera habentes amoroſa, ideò fermentabat eos Spiritu ſancto, qui totus amor eſt: *Eccleſiæ charitas, quæ per ipſum diffunditur, peccata dimittit.* Quando, & ubi putatis Spiritum ſanctum datum Apoſtolis? An ſolùm in ſolemni illa miſſione, quæ facta eſt in die Pentecoſtes? Minimè. Datus eſt eis ante Aſcenſionem, cum adhuc in terris eſſet, dum eos Confeſſarios creavit: in terris datus eſt, in regione miſeriarum, in humanæ infirmitatis climate, ita D. Gregorius in eadem catena hîc. *Prius de terra datur Diſcipulis, poſtmodùm de cælo mittitur. De terra datur, ut diligatur proximus, de Cælo mittitur, ut diligatur Deus. Inſufflavit*, quaſi ex imo pectore

Ioann 20. 22.

Qui & idcircò per dationem Spiritûs ſancti Confeſſarios inſtituit, ut in ſpiritu amoroſo procederent.

S. Auguſtin.

S. Gregorius.

Cornelius à Lapide.

pectore ſe eviſcerans, inquit à Lapide, ut doceat Confeſſarios, dum captivos de carcere diaboli educunt, *debere ingenii ſpiritu, & charitate & zelo pollere, quem pœnitentibus inhalent, ut eos ad veram pœnitentiam, dolorem & contritionem impellant*, per quam oſtium aperiant carceris & educant: ſic fecit Eccleſiæ Doctor Ambroſius, audiendo confitentium peccata ita lacrymari ſolitus, ut lacrymis ſuis eoſdem ad lacrymas commoveret, licet ob graviſſima crimina etiam per annos multos detenti fuiſſent in carcere.

VI. Quæro cur poteſtatem captivos ſolvendi Petro dederit, & non Joanni aut alteri innocenti, aut ſaltem Angelis? Vultis ſcire? Dicet vobis Os illud verè aureum, aurea deſuper verba fundens: *Non Angelis hæc eſt commiſſa poteſtas, qui numquam peccaverunt, ſed homo paſſibilis ſupra homines ordinatur, ut dum in aliis ſuas recolit paſſiones, mitem ſe præbeat & benignum.* O mira Dei clementia! Stant tot innocentes, & peccator accipit claves. Claves non Baptiſtæ, non Seraphin dantur, ne durè nimis agerent cum captivis, ne Dei zelantes honorem nimium illos terrerent, ſed dantur Petro quondam captivo, ut hic ſuæ fragilitatis memor, mitiùs cum captivis ageret, eoſque non tractaret tam duré, poſtquam met carcerem expertus, ſciret quid ſit vinciri vinculis diaboli: imò Petro dantur claves præ reliquis, ut omnibus captivis animi adderentur, cùm vident poteſtatem abſolvendi peccatori, & ſuo quondam concaptivo datam, ſeſeque vel ſic invitari, ut ad ipſum

D. Chryſoſt. Hom. 8. in Matthæum.

Hoc probatur ex eo quod Chriſtus homines pra Angelis ad illud munus elegit. Et Petro claves commiſit.

recurrant confidentius, & ipſe commiſeratione ductus illis carceris oſtium aperiat. Non hæc mea ſunt, quamquam alioquin & mea, ſed D. Gregorii verba Hom. 21. In Evangelia; *Quia ex ſua infirmitate cognoverat quàm miſericorditer deberet aliena infirma tollerare.* Auditis hæc, qui ad Dei tribunal ſedetis? Nolite ergò, obſecro vos, nolite durè agere cum captivis, ne repellatis eos, dum ſibi oſtium carceris petunt aperiri; Juvate eos, & non exhorreſcat animus veſter, dum etiam horrenda delicta auditis, ne alioqui ipſos in carcere detineatis. Audite quid Chriſti Vicario contigerit.

S. Gregorius.

VII. Actorum 10. Aſcendit Petrus in ſuperiora domûs, ut oraret circa horam ſextam, & cum eſuriret, voletque guſtare, cecidit ſuper eum mentis exceſſus, viditque cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam velut linteum magnum, in quo erant omnia quadrupedia ſerpentia terræ, & volatila cœli, factaque eſt vox ad eum: *Surge Petre, occide & manduca.* Qui exhorreſcens ait: *Abſit Domine quia numquam manducavi omne commune & immundum.* Et vox ſecundò ad eum: *Quod Deus purificavit tu commune ne dixeris.* Hoc factum eſt per ter, *& ſtatim receptum eſt vas in cœlum*, omnia iſta innuunt nobis myſteria. Cum Jeſus pendeæret in cru e horâ ſextâ, dixit: *Sitio:* eâdem horâ Petrus Vicarius ejus eſurit, ſitiebat Jeſus non aquam materialem, ſed ſalutem animarum, quod etiam de fame Petri aſſerit S. Ambroſius Serm 10. *Puto Petrum poſt orationem non cibum eſurire humanum, ſed ſalutem, non inediâ vexatum corporis*,

Et roboratur ex viſione ejuſdem Petri.

Actor. 10.13.

Joann. 18.28.

S. Ambroſius.

ris , ſed inediâ credentium laborare , in ſalute animarum procuranda aſſociantur Chriſtus & Petrus. Chriſtus Redemptor & ſupremum caput ſibi ſitim vendicat, quæ fortior a: vehementior fame eſt, Petrus verò uti inferior ac ejus Vicarius , famem tamquam quid inferius. Ut autem ſciret quomodò in converſione animarum agere eum oporteret: *Deſcendit de cælo vas quoddam velut linteum magnum , in quo erant omnia quadrupedia & ſerpentia terræ.* Senſus viſionis, inquit Sylveira noſter, hic eſt. Cœlum , quod erat clauſum Gentibus, per Petrum clavigerum erat eis aperiendum , & Gentes , ob ſua peccata & vitia denotabantur per illa animalia ; quæ recipienda erant à Petro in Eccleſiam , ſignificatam per linteum purum & mundum: Ita ille.

Quæ explanatur pulcherrimè à Sylveira.

Facta eſt ergo vox ad Petrum, tamquam ſupremum caput Eccleſiæ, *Surge, occide, & manduca* , occide eorum vitia ac abominationes prædicatione , exhortatione , ac Sacramentorum applicatione , verba ſunt S. Hieronymi in Thren. cap. 3. *Petro ut Capiti dicitur , macta & manduca , id eſt , vetuſtatem eorum contere, & in corpus Eccleſiæ ac tua membra converte. Similia habet* D. Gregorius Lib. 48. Moral. cap. 20. *Ipſi primo Paſtori* (inquit) *dicitur macta & manduca, id eſt, à peccato eos, qui vivunt interfice, & à ſeipſis illos intra membrum Eccleſiæ converte.* Quaſi diceret peccatores, ac eorũ peccata per Confeſſionis Sacramentum occide, & eos manduca , convertens ac incorporans in ineæ Eccleſiæ corpore, vel, ut ait D. Auguſtinus Serm. 26. de diverſ. cap. 7. *In novam vitam Societatis Eccleſiæ.*

D. Hieronym. *D. Gregorius.* *S. Auguſtin.*

Petrus omnia immunda videns dicebat exhorreſcens. *Abſit Domine nunquam manducavi commune & immundum* , at exhorreſcentem arguit vox cœlica. *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris*: & ut Petrus magis certificaretur de veritate viſionis, & ad ejus executionem excitaretur , ter vas deſcendit de cœlo, & ter illi dictum eſt : *Occide & manduca : & tunc ſtatim receptum eſt vas in cælum.* Stupenda ſunt omnia , ſed pro me eloquetur myſterium doctiſſimus Sylveira inter modernos Evangelicos Interpretes facilè Princeps. Jam ergò , inquit, ex ſuperioribus liquet , quod illa animalia denotabant Gentes & peccatores converſos per pœnitentiam ; Petrus verò gerens hominum perſonam , cùm eos peccatores agnoſceret & reputaret, immobiliter perſiſtens non eos judicabat, ut in præſentiarum purificatos, quales audiebat è Cœlo , ſed fixus perſiſtens in ſua prima apprehenſione , eos adhuc immundos atque peccatores putabat, ita ut vox de cœlo clamans eum ab iſto cogitatu non potuerit primò avertere, ſed neceſſarium fuit iterum atque tertiò repetere : Ita Venerab. Beda. *Gentiles erant , quos Petrus adhuc immundos judicabat , & ut Petrus magis certus fieret de eorum juſtificatione, ſubditur: Statim vas receptum eſt in Cælum* , quia nempe illa purificata animalia jam non habebant locum in terra , ſed in cœlo cũ beatiſſimis ſpiritibus. R. R. Confeſſarii, Rectores animarum intellexiſtis hæc omnia ? Hinc diſcite peccatoribus compati , ad eorum peccata non exhorreſcere: manus illis porrigite , de carcere diabolis

Sylveira. *Vener. Beda.* *Et Confeſſariis hodiernis aptatur.*

diaboli eripite, & in corpus Eccleſiæ convertite, ut tandem locum habeant cum beatiſſimis Spiritibus in cœlo. Si modum ſcire cupitis, illum vobis ſuggerit Magnus Auguſtinus, (vel quiſcumque author eſt) Lib. de vera & falſa pœnitentia cap. 20. *Sacerdos adſit benevolus, paratus erigere, & ſecum onus portare, adjuvet confitentem, juvet leniendo, conſolando, ſpem promittendo, & cùm opus fuerit, etiam increpando. Sit particeps laboris, qui particeps vult eſſe gaudii.* In memoriam reducite quantum pro cœlo lucrum faciatis, animam è diaboli carcere liberando, & quantus vobis ſit honor coadiutores vos eſſe Dei in ſalutem animarum, quod opus eſt omnium divinorum diviniſſimum, conemini eis in patientia & manſuetudine oſtiũ carceris aperire, cogitantes quod ſint animæ Chriſti redemptæ Sanguine. Compatimini miſeriis carceris eorum, ne ſeveritate nimiâ, ubi ad aperiendum poſiti eſtis, ipſum potiùs carcerem cuſtodiatis & in illo captivos eos detineatis. Quod autem Magnus ille Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, Sacerdotes ſuos in Sacramento pœnitentiæ benignos, non auſteros velit, oſtendit manifeſtè, quandò Apoſtolos ſuos in miniſtros Eccleſiaſticos aſſumens, piſcatores vocavit.

S. Auguſtin.

Deus Apoſtolos piſcatores hominum fecit, quia benignos eſſe voluit.

VIII. Matth. 4. 19. *Faciam* inquit, *vos fieri piſcatores hominum.* Duobus modis fit piſcatio, retiis & hamo. Qui retiis piſcatur, ſtrepitum excitat, aquas commovet, ut vel ſic latentes piſces de latebris ſuis prodeant & capiantur; qui hamo piſcatur, ſingulari ſedet patientiâ & ſilentio, & eſcâ allicit ad captum: Ita miniſtri Eccleſiaſtici, animarum piſcatores, agere debent in converſione & piſcatione animarum. Retiis piſcantur concionatores, qui de pulpitis dicunt, quia, cùm ad univerſitatem populi dicant, convenit ut ſtrepitum edant; & peccatorum animas commoveant, ut de latebris vitiorum ſuorum, & de carcere ſuo exeant, juxta illud D. Ambroſii in 1. ad Cor. *Sint Concionatores ſine adulatione Chriſtum prædicantes, & geſta prava vitæ arguentes.* Et Chriſtus ipſe dum Actor 1. in Pentecoſte Apoſtolos ſuos Concionatores inſtituit miſſo ſuper eos Spiritu ſancto: *Factus eſt repentè de cœlo ſonus tamquam advenientis Spiritûs vehementis.* Piſcatio, quæ hamo fit repræſentat munus Confeſſarii, uno cum pœnitente agentis, cui pœnitens intima cordis ſui pandere debet, quocum obinde procedere debet in multa patientia, bonitate, & dulcedine, utendo verbis, pietate, & commiſeratione plenis; Et ideò inſtituens Sacramentum Pœnitentiæ: *Inſufflavit* quaſi in ipſos viſcera effundens. Utriuſque piſcationis exemplum dedit Salvator ipſe.

Matth. 4. 19. *Concionatores ſtrepitũ facere convenit, magis quàm Confeſſarios, & quare.*

S. Ambroſ.

Actor. 2. 2.

IX. Marci. 16. Poſt reſurrectionem ſuam Diſcipulos, in fidei myſteriis, ſignanter Reſurrectionis ejus, incredulos & ſimul congregatos reprehendit, eiſque exprobrat incredulitatem & duritiam cordis: At Joannis 20. Thomam incredulum correcturus, quantâ ſuavitate & dulcedine tractat? Thoma, inquit, credere renuis me reſurrexiſſe, niſi videris in manibus meis fixuram clavorum, *Vide manus meas;*

Chriſtus multis prædicando increpavit duritiam cordis.

Joan. 20. 27.

Vnum verò ad confeſſionē inducens tractavit mitiſſimè.

as; & ſi nec his contentus, etiam tangere velis: *Infer digitum huc, & noli eſſe incredulus ſed fidelis.* Potuiſſetne Redemptor animarum majori uti clementiâ ut Thomam ad confitendum peccatum ſuum induceret? Non putem, & ideò, ad hanc clementiam in anima tactus Thomas, illicò exclamavit: *Dominus meus & Deus meus!* Quotquot ad Dei tribunal, ſedetis ſtate hic, & ex ore D. Chryſoſt. audite verba aurea, quæ vos præmunt: habet illa operis imperfecti. Hom. 43. in Matth. *Melius eſt* inquit *propter miſericordiam Deo rationem reddere, quam propter ſeveritatem: ubi enim Pater familias largus eſt, Diſpenſator non debet eſſe tenax: Si Deus benignus eſt, ut quid Sacerdos ejus auſterus?* Date mihi vel unum in SS. Evangeliis, & in ipſis Actis Apoſtolicis peccatorem pœnitentem, ab ipſo repulſum, & rigidè tractatum? *Si ergo Deus benignus eſt, ut quid Sacerdos ejus auſterus?* Erubeſco dum vel cogito milites extra Sacramentum, mitiùs tractare peccatores, quàm Sacerdos in Sacramento tractet captivum.

D. Chryſoſt.

Melius eſt reddere Deo rationem de miſericordia, quàm ſeveritate.

Hinc Ioſue priorem modum elegit.

X. Joſue 7. Furatus erat Acham de anathemate Jericho: Joſue ut ad peccati ſui confeſſionem eum induceret, dicit illi in omni manſuetudine: *Fili mi da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi quid feceris.* Ad hæc verba ait Abulenſis: *Vocavit Joſue Acham filium ſuum, quia eſt iſte modus dulcis, ad ſuadendum conveniens, & hoc ut induceret eum ad confitendum: quid feciſti?* Quod etiam exitus probavit. Fac proinde & tu ſimiliter: quia, ſicut qui hamo piſcatur, rumorem aut ſtrepitum excitans piſces fugat, ſic ut eos capere nequeat; Ita & Confeſſarius, ſi cum pœnitente rigidis aut aſperis utatur verbis, facilè ſe retrahit & non confitetur integrè, ſicque pauper Captivus manet in ſuo carcere, & cuſtodes cuſtodiunt carcerem. Unde curam habentes animarum, cuſtodes carceris, rogo vos iterum, obteſtorque, ut captivos de carcere ſuo liberari cupientes, non durè tractetis, aut leviter dimittatis inabſolutos, ne alioqui Waldenſis noſter cogat vos comparare Phariſæis, Judam proditorem in deſperationem agentibus.

Joſué. 7. 19.

Abulenſis.

Vt hamo piſces, ſic extrahendi ſunt captivi.

XI. Matth. 27. 3. Videns Judas, qui Magiſtrum vendiderat & tradiderat, quod damnatus eſſet: *Pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus dicens: Peccavi tradens ſanguinem juſtum.* Cui illi aſperè & durè. *Quid ad nos? Tu videris:* Qui actus in deſperationem: *Abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Audite modò Waldenſem Witcleſiſtis loquentem Lib. 2. de Pœnitentia: *Quæ vox alia veſtra eſt. cùm etiam minoris peccati reus (quàm Judas) vobis factum proprium confitetur, quid reſpondetis aliud niſi hoc? Quid ad nos? Tu videris.* Hunc ſermonē ſequitur laqueus eò feraliore pœnâ, quo culpa eſt minor. Unde rectè docet Waldenſis: *Inhumanam pœnitentium tractationem ſequi laqueum deſperationis: Scimus enim quoſdam peccatores per Confeſſorum, verius laniorum indiſcretam ſeveritatem deſperabundos, omni nequitiæ paráſſe laxare habenas, de quibus tamen crudeles reformatores tumidè reſpondent, Quid ad nos? Ipſi viderint:* ſicque miſeros in carcere detinent deſperabundos.

Matth. 27.

Durè increpantes & inabſolutos dimittentes ſine cauſa ſufficienti Phariſæis ſimiles ſunt.

Waldenſis.

Et

Et quare obſecro tam durè, tractant & dimittunt ? ob unam fortè aut alteram recidivam. Peto ab eis, quid requiratur ut captivus de carcere ſuo educatur & ſolvatur à vinculis? Ut Sacramentaliter confiteatur cum diſplicentia & deteſtatione peccatorum, cum dolore ad minùs de omni mortali commiſſo in præterito, ceſſatione in præſenti, & abſtinentia in futuro, ſaltem in propoſito. Sic virtute abſolutionis Sacramentalis de attrito fit contritus, & licet timeat, & veroſimiliter credat, quod recidivabit, & iterum lapſurus ſit, poteſt tamen confeſſionem & communionem accedere, & iterum de carcere educi, modò habeat diſplicentiam in peccatis perpetratis, & firmum propoſitum, juxta fragilitatem humanam, abſtinendi in futurum. Hoc ſatis eſſe dilucidè traditur & oſtenditur nobis Joannis 5. Ubi Chriſtus videns 38. annorum paralyticum, jacentem in piſcina (quæ ſignificat corpus Chriſti, habens quinque porticus, quinque ſcilicet vulnera) ad ſanandum eum à paraliſi corporis & animæ, dixit : *Surge*, ſcilicet ex lecto vitiorum, cognoſcendo & deteſtando peccata præterita. *Tolle grabatum tuum* antè Sacerdotem per veram Confeſſionem, *Vade in domum tuam*, ſcilicet conſcientiæ, & ad propoſitum ſubdens: *Jam noli peccare*. Non dixit : *Non amplius pecces*, humanum enim eſt cadere, ſed : *Noli peccare*, id eſt, non habeas voluntatem ſeu propoſitum Peccandi, ſed firmiter proponas & habeas voluntatem abſtinendi in futurum à peccatis : ita Magnus Auguſtinus : *Non dicit non pecces, ſed non ſit in te voluntas peccandi*, præterquam quod Salvator prius eundem infirmum interrogarit: *Vis ſanus fieri?* Unde perperàm, quidam requirunt à pœnitentibus obligationem, votum, ſeu juramentum, quod numquam ampliùs illa peccata committent, requirentes inſuper præviam ſatisfactionem, & melioris vitæ probationem ; nolentes eos aliquin abſolvere ; Auſteras & longas pœnitentias injungunt, quas veroſimiliter non implebunt vel ſaltem non debitò modo. Quotquot eſtis tales legite tantùm Paulinas Epiſtolas, & videbitis quales vos velit Apoſtolus.

Quinam abſolutionis capaces ſint.

Joann. 5.

S. Auguſtinus

Et quæ male exigantur à pœnitentibus.

XII. Gentium Eccleſiaſtes Paulus omnes, quas ſcripſit Epiſtolas à benedictionibus exorſus eſt ; eis, quibuſcum habuit litterarum commercium, apprecando Divinam gratiam, conſolationem, ſalutem, vitam. Timotheo verò ſcribens modum ſingularem ſervavit, vovendo illi *Miſericordiam*. In prima Epiſtola 1. cap. ſic ſcribit : *Timotheo dilecto filio in fide, gratia, miſericordia, & pax à Deo* .... &c. in ſecunda 1. cap *Timotheo chariſſimo filio, gratia, miſericordia, & pax*. Romanis, Corinthiis, Galatis, Tito, Philemoni ſcribens hanc methodum (uti D. Chryſoſtomus & Theophilactus obſervant) non eſt ſecutus, ſoli Timotheo *Miſericordiam* vovet. Quare abſecro ? An fortè, quòd Timotheus pluribus contaminatus eſſet delictis, adeòque magis egens Dei miſericordiâ ? Econtrà tantâ pollebat Sanctitate, ut eum Apoſtolus in ſocium aſſumpſerit, & Eccleſiæ Epheſinæ Epiſcopum creârit,

1.Timot. 1. 2.

2.Timot. 1. 2.

Ut Timothei zelum ferventiorem temperet Paulus, miſericordiam ipſi præoptat.

rit; adeò abſtemius, adeò ſobrius & temperatus fuit, ut tantillum vini non niſi juſſus deguſtare voluerit ob ſtomachi corporiſque debilitatem. An fortè quia oves ſuas tondebat duriùs? Multò minùs, ardentiſſimo enim præ cæteris flagrabat zelo animatum; ſed quia innocentiſſimus erat, non ſolùm mortalium delicta ſed ne vel ipſum quidem nomen peccati poterat tolerare; hinc illi Paulus *Miſericordiam* vovebat, ut obſervat Rupertus Abbas: *Timotheus, ut fertur, zeli erat ferventioris, idcircò rectè & opportunè viſcera Miſericordiæ illi, ut haberet, præoptat.* Quod Paulus Timotheo, idipſum ego vobis peropto, Cuſtodes & Rectores animarum, viſcera nempe miſericordiæ, ne zeli ferventioris ſitis, ſed miſeris captivis compatiamini. S. Ludovicum Bertrandum Illuſtriſſimi Ordinis Prædicatorum præclariſſimum jubar, imitantes.

Rupertus Abbas.

XIII. Venerat ad eum, à vinculis diſſolvi cupiens, quidam per annos multos captivus diaboli: hic, ad cujuſlibet peccati recenſitionem intuitus in Bertrandum, arbitrabatur, ipſum torviorem ſibi vultum monſtraturum, ſed eamdem ſemper & immotam vir Sanctus tenebat aſpectûs ſerenitatem. Confeſſione finitâ, dicebat pœnitens reſtare adhuc ſibi aliquid: Illudque dicere juſſus aiebat: Pater, mentem meam iſta ſubiit cogitatio, te me pejorem eſſe; nec enim ſi talis non eſſes, tam atrocia & enormia, quæ recenſui crimina, ſine altercatione auſcultare potuiſſes: Cui Bertrandus: Sum, fateor, peccator, & omnium totius mundi peccatorum flagitioſiſſimus, tametſi nullius eorum, quæ mihi aperuiſti, reus: ſed noſtin, quamobrem illa patiens & tranquillè obaudierim? venientem te ad me, ut illa mihi manifeſtares, non ut eorumdem ampliùs amatorem inſpexi; ſed ut diaboli jugum & carcerem ejus jam effringere volentem illiuſque abhorrentem tyrannidem, in quo maximopere ædificatus ſum: dolui indubiè, talia te perpetraſſe, & tam duræ te ſubjectū fuiſſe ſervituti, ſed de tuâ converſione ſuperfuſus ſum gaudio. Noveris certè quòd in pejora prolapſus fuiſſem, niſi me Deus ſuâ protexiſſet pietate. Quid ad hunc caſum, Cuſtodes animarum? (ſi tamen Cuſtodes ſitis alii, quàm ut in carcere detineatis captivas animas) qui non tantùm, ut in Evangelio ſignificatum eſt, ſicut Sacerdos vel Levites jacentem vulneratum, & catenis vinctum præteritis, ſed ipſum novâ crudelitate ſauciatum potiùs in carcere mori videre vultis, aut ipſi occiditis, adimendo ſpem ſalutis, denegando miſericordiam Patris, reſpuendo pœnitentiam fratris: indiſcretè & ſeverè pœnitentes inabſolutos dimittendo, ſic ut ſuo in carcere quaſi mori compellantur. Dicite mihi duri & ſeveri Cuſtodes animarum (ſi qui tales ſitis, neminē enim taxare intendo) ſi contingeret & vos in carcerē detrudi, velletis vos ita tractari? Numquid optaretis de carcere liberari, & ſolvi à vinculis? Quomodò ergò ſic tractatis pauperes captivos, per vos facilè liberādos?

S. Ludovicus Bertrandus maximum peccatorem ſuâ manſuetudine liberavit

Ubi ſeveri eum potius perdunt.

XIV. Jonæ 3. Ad hanc Prophetæ prædicationem. *Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur.* Vidit Deus opera Ninivitarum, quia con-

Jonæ 3. 4. Iona iram corripuit Deus.

converſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit; hinc afflictus eſt Jonas afflictione magnâ, & iratus eſt dicens Deo: *Nunc Domine tolle animam meam à me, quia melior eſt mihi mors quàm vita;* cui Deus: *Putaſne bene iraſceris tu?* Egreſſus eſt autem Jonas de civitate, & ſedit contra orientem civitatis, & fecit ſibimet umbraculũ ibi, & ſedebat ſubter illud in umbra, donec videret, quid accideret civitati? Et præparavit Dominus hæderam ſuper caput Jonæ, ita ut lætaretur lætitiâ magnâ, cùm autem aruiſſet, & ſol percuſſiſſet ſuper caput ejus, petivit iterum animæ ſuæ ut moreretur. Tunc rurſus Dominus ad Jonam: *Putaſne bene iraſceris tu ſuper hædera?* Qui ait: *Bene iraſcor ego uſque ad mortem.* Itane? inquit Deus: *Tu doles ſuper hæderam, in qua non laboraſti, neque feciſti ut creſceret, quæ ſub una nocte nata eſt, & ſub una nocte periit: Et ego non parcam Ninivæ Civitati magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum,* & tu velles centum viginti millia hominum perire? Ad hanc Jonæ inmiſericordiam exclamat D. Thomas à Villa-nova: *O mirandam ſtupendamque indignationem! O ſingularem viri ſancti audaciam! Cum Deo ſuo ſuper aliorum venia contendere, quaſi etiam in hoc ipſo facto eâdem ipſe non indigeret veniâ.* Dic mihi Jona quando incarceratus eras in ventre cete, nũquid tunc Dei implorabas miſericordiam? Numquid tunc optabas tuã tibi dimitti inobedientiam fugiendo à facie Domini in Tharſis? Numquid tunc inclamabas Cœlum, ut ab illo carcere liberareris? Numquid tunc inſtabas ne tanto tecum procederetur rigore? Et tu tam ſeverè, tam durè tractas Ninivitas, ut omnes deſtructos velis? O ſingularem audaciam! ô crudelem immiſericordiam! Auditis hæc rigoroſi cuſtodes animarum?

S. Thomas à Villa Nova.

Et certè qui ſecum voluit agi miſericorditer, non debebat eſſe tam ſeverus ad alios.

XV. 2. Regum 12. Ex parte Dei ad coarguendũ Davidem de peccato ſuo mittitur Nathan Propheta: Hic præmiſſâ ſimilitudine, eam, quàm occultavit, ſic mitigabat increpationem: Accidit in Regno tuo, ô Rex! res maximè admiranda, quàm pro debiti mei obligatione Majeſtatem tuam celare non audeo: quidam ex ſubditis tuis pauper & modicus, præter ovem unicam habebat nihil, hanc dives aliquis, licet opibus circumflueret, vi ſublatam mactavit in prandium peregrino cuidam, qui illi hoſpes venerat. Hæc audiens Rex, iratus indignatione adverſus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: *Vivit Dominus, quia filius mortis eſt vir, qui fecit hoc, ovem reddet in quadruplum, eò quod fecerit verbum iſtud & non pepercit;* tali irâ accenſus eſt David, ut non eſſet in eo vena, cujus non ebulliret ſanguis, & legi talionis non tantùm, quâ æquale pro æquali ſurrogandum erat, adhæſit, ſed obligavit eum ad quadruplum redimendum. Tunc ad David Nathan: *Tu es ille vir, qui hoc fecit:* Uriæ, quam unicam habuit thori ſui conſortem, Berſabeam ſuſtuliſti; & maritum ejus in prælio perfidè trucidari mandâſti, quo audito, reſpondit David: *Peccavi.* Cur non dixit ſe reum mortis & dignum, qui regno, diademate, pur-

Melius, mitiuſque Nathan egit cum Davide.

2. Reg. 12.6

Licet hic ſeverior eſſet in alios, quàm in ſe.

purâ ac vitâ ipſâ exuendus eſſet & removendus ? Magnus Auguſtinus pandit myſterium : *Morte dignum divitem dixit, & ovem reddendam in quadruplum ſeveriſſimè atque juſtiſſimè, ſed peccatum ejus necdum erat coram eo, poſt dorſum erat quod fecerat, ſuam iniquitatem nondum agnoſcebat, & ideò aliena non ignoſcebat.* Miramini hoc NN? Audite Doctorem Angelicum: *Commune eſt quod in factis aliorum omnes ſint judices auſteri. Unde ſi videamus aliquem peccatorem, judicamus grande peccatum, noſtrum autem peccatum attenuamus :* Cuſtodes animarum, ſi contingeret & vos incidere in carcerem diaboli, numquid velletis ex illo, vel per unum *peccavi* liberari, & ſolvi à vinculis veſtris? Et vos, dum miſeri captivi de carcere ſuo educi cupiunt, & per vos à vinculis abſolvi, indiſcretè & ſeverè inabſolutos dimittitis, & in carcere detinetis. Et unde hoc? quia iniquitatem veſtram non agnoſcitis, ideò aliena non ignoſcitis.

S. Auguſtinus. D. Thomas. *Quod commune eſt vitiū multis.*

XVI. Gen. 38. Accuſatur apud Judam nurus ejus Thamar, quod, cùm vidua eſſet, ex conceptu videretur uter ejus intumeſcere. Audit hæc Patriarcha, & ſine longiore veritatis indagine mortis ſententiam edicit. *Producite eam, ut comburatur.* Cùm illa ad pænam ſe rapi cerneret, miſit ſocero annulum, armillam & baculum, omnia munera, quæ illi dederat Judas, ex quo conceperat; agnitis autem muneribus ait: *Juſtior me eſt.* Cuſtodes animarum, Eccleſiæ Doctor D. Ambroſius vos alloquitur Lib. 2. de Pœnitentia verſùs finem Tom. 1. c. 8. *Ut condolere*, inquit, *noverimus peccantibus affectu intimo. Hæc enim ſumma virtus, quia ſcriptum eſt, & non lataberis ſuper filios Juda in die perditionis eorum, & non magnificabis os tuum in die anguſtiæ:*

Vt probatur in Iuda. Gen. 38. 24. S. Ambroſius. Abdiæ ℣. 1

„Sed quotieſcumque peccatum
„alicujus lapſi exponitur, com-
„patiar, nec ſuperbè increpem ſed
„lugeam & defleam, ut dum alium
„fleo me ipſum defleam : Dicens :
„*Juſtificata eſt magis Thamar, quàm*
„*ego :* fortaſſe adoleſcentula lapſa
„ſit occaſionibus, quia delicto-
„rum fomites ſunt, decepta, & præ-
„cipitata ſit, peccamus & ſeniores.
„Repugnat in nobis lex hujus carnis
„legi mentis noſtræ, & captivos
„nos in peccatum trahit, ut facia-
„mus quod nolumus, illi de ætate
„ſuppetit excuſatio, mihi jam nulla,
„Illa enim debet diſcere, nos docere.
„Ergo *Juſtificata eſt magis Thamar*,
„*quàm ego.* Incuſamus alicujus ava-
„ritiam : recordemur ſi nihil ipſi
„avarè fecimus, & ſi fecimus :
„quoniam radix malorum eſt ava-
„ritia : & tamquam ſub terra in
„noſtro ſerpit corpore : Dicamus
„ſinguli : *Juſtificata eſt magis Tha-*
„*mar*, & recordatus ſuam eſſe cul-
„pam, ait : *Juſtificata eſt magis Tha-*
„*mar quàm ego.* Si commoti fueri-
„mus in quemquam graviter, cau-
„ſam leviorem laicus habet, quàm
„Epiſcopus eò quod commotus
„aliquid egerit, retractemus nobiſ-
„cum & dicamus: Juſtificatus eſt
„magis iſte, qui commotionis ar-
„guitur, quàm ego, ... Non
„ergò erubeſcamus dicere gravio-
„rem culpam noſtram eſſe, quàm
„ejus, quem arguendum putamus,
„quia dixit hoc Judas, qui argue-
„bat Thamar, & recordatus ſuam

eſſe

„eſſe culpam ait : *Juſtificata eſt* „*magis Thamar quàm ego.*„ Hæc ille. Cuſtodes animarum ſi magis delinquentes eſtis, ſi miſericordiam vobis fieri velitis, parcite, & ſuper fragiles homines miteſcite pauliſper. Melius eſt de nimia benignitate quàm de exceſſiva ſeveritate reddere rationem. Si quis viderit fratrem ſuum habere neceſſitatem temporalis impendii, & clauſerit viſcera ſua ab illo, non habet charitatem Dei in ſe juxta Joannem: Quid ergò erit ſi cancellos clauſerit fratri ſuo in carcere patienti & petenti exitum ad regnum Cœlorum medio beneficio abſolutionis? quomodò, inquam, non convincetur talis perditæ charitatis? Profectò non dicunt ſimiles cum Jeſu: *Solvite eum, & ſinite abire*, econtrà ſuper dolorem vulnerum peccatorum addentes, gravant eos rigidis pœnitentiis, & peccatis onuſtos & ligatos dimittunt, non curantes monitum ſalutare, ac Chriſtianæ benignitatis datum ab Auguſtino: *Melius eſt ut proſit, vel non noceat abſolutio, quàm obſit indiſcreta ligatio.* Dum ſimiles ſuis à vinculis ſolvi deſiderant, & alios inconfeſſos, & non abſolutos dimittunt, metuant Chriſti ſententiam in immiſericordem ſervum erga ſuum conſervum fulminatam Matth. 18. *Serve nequam omne debitum tibi dimiſi quoniam rogâſti me, nonne ergò oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? & iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus quoadusque redderet univerſum debitum.* Ne tanta vobis mala obtingant, legite Paulinam.

Charitate caret, qui in neceſſitate fratri non ſubvenit.

Joan. 11. 44.

S. Auguſtinus.

Matth. 18. 32.

Et ſervus corripitur, qui ſibi dimitti vult, non aliis dimittere.

XVII. Galat. 6. *Fratres ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum:* Magne Apoſtole, grandis hic barbariſmus eſt, turpis error contra Grammaticam. Galatis, ſcribis in numero plurali. *Vos qui ſpirituales eſtis*, & ſtatim ſtylum mutas quaſi uni tantùm ſcriberes. *Conſiderans te ipſum ne & tu tenteris*, Novit Apoſtolus quid, & quibus ſcribat: calamum ejus Spiritus ſanctus direxit: multùm diſtat Divina ab humana Grammatica: hæc regulas docet bene loquendi, illa autem bene vivendi. Monet ergò eos, qui ſpirituales ſunt, & quibus incumbit animas regere, monere, & captivos redimere, ut eos, qui in carcere ſunt, inſtruant in ſpiritu lenitatis, id eſt, non acriter ſed leniter juxta illud Eccleſiaſtici 8. *Non deſpicias hominem avertentem ſe à peccato*, à peccatorum vinculis ſolvi cupientem, *nec improperes ei; memento quoniam omnes in corruptione ſumus.* Sit mel & lac ſub lingua veſtra Cant. 4. juxta illud Pſalm. 104. *Corripiet me juſtus in miſericordia.* Sit virga veſtra ſicut virga Aaron, quæ protulit amygdalas. *Quia* (cum Ugone Card. loquor) *non eſt correctio Sacerdotalis, quæ non compatitur infirmis, quæ non habet dulcedinem ſub amaro correctice. Conſiderans te ipſum.* Conſiderans, quæ ſunt proximi tui ex te ipſo. Cur hoc? quærit Mellifluus: *Ne ſi proximi malum conſiderans, & tuum non attendas, movearis non ad miſerationem, ſed ad indignationem*

Galat. 6. 1.

Idcircò ſpiritum lenitatis Paulus commendat.

Eccl. 8. 6.

Pſal. 104. 5.

Ugo Card.

Et rectè, quia correctio Sacerdotalis non eſt, quæ lenis non eſt.

D. Bernardus.

nem; non ad juvandum, ſed ad judicandum: igitur eo ſpiritû fratri ægrotanti ſubvenias; quia tibi ſubveniri vis cùm ægrotas. Quàm pauci hodie ſimiles! hinc in plurali loquitur Paulus: *Vos, qui ſpirituales eſtis*: Vos, à Deo ad redimendos Captivos ſpecialiter electi, numerus illorum, qui ſpirituales ſunt, aut ſe eſſe putant, multus eſt, quia multi monitores, correctores & ſeveri judices animarum, & ideò in plurali dicit: *Vos, qui ſpirituales eſtis.* In ſingulari autem: *Conſiderans te ipſum.* Quia pauci ſunt, qui ſic vellent tractari, qui ſe conſiderant, quando & ipſi ſunt in carcere. *Conſiderans te ipſum ne & tu tenteris*; ne alioqui vobis contingat, quod illi Epiſcopo, de quo Waldenſis noſter (à Pontifice dictus validus hæreticorum malleus) qui Præſul, in aliis cum eſſet & clemens & dapſilis, tamen in abſolutionibus pœnitentium admodùm tenax, & ipſe ſine abſolutionis beneficio repentè migravit: ne & ipſi ſine abſolutione, quàm forſan in fine vitæ optabitis, migretis repentè ad infelicem æternitatem; quâ enim menſurâ menſi fueritis & Chriſtus remetietur vobis. Igitur rigide & indiſcrete confeſſor; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Noli tamen etiam nimium connivere, quia de illo defectu in proximo Adventu non minora dicentur. Medio tutiſſimus ibis.

Idest, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

FERIA VI. DOMINICÆ II. ADVENTUS

De Captivitate Petri.

Lumen refulſit in habitaculo. Act. 12.

Deus non tantùm Angelum miſit ut Petrum liberaret, ſed ipſe venit ut liberaret nos.

1. UT nudiuſtertius videbamus, Deus motus Eccleſiæ precibus mittebat Angelum, qui Petrum poſt longam incarcerationem ſolveret à vinculis, & de carcere educeret. Quod Angelus mittatur liberaturus Apoſtolum, non miror; quia concreditæ ei erant oves Chriſti, & conſtitutus erat ab eo caput Eccleſiæ; ſed quod miſericors & miſerator Dominus, Filium ſuum magni conſilii Angelum, & ipſe ſuos mittat, qui prædicent, *Captivis indulgentiam, & clauſis apertionem*, quodque plus eum cruciet paſſio miſeri Captivi, quàm miſerum ipſum paſſio ſui, & ipſe offenſus quaſi rogare eum debeat pro ſui liberatione, hoc non capio: & tamen id ipſum facit indies per ſuos, qui cum Apoſtolo clamant & ſupplicant: *Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Sinite me iterum exclamare cum Tertulliano: *Inauditum miſericordiæ genus eſt, quod, cùm ſummo Dominus jure miſericordiam & veniam negare poſſet, non neget, ſed ipſe etiam & velit & roget*, ut de carcere te queat educere; & tu interim renuis acceptare oblatam clavem, quâ oſtium apertias: & quidem non ab uno aut altero, ſed quodammodò ab innumeris, ita ut *In oſtiarios cæleſtes, id eſt, Confeſſarios nec volentes impingamus.* Proh dolor! *Remedium noſtrum*

Luc. 4.

2. Cor. 5. 20.

Tertullianus.

Et nos interim cœleſti remedio abutimur.

noſtrum ſit ipſi diabolo triumphus! Quantus triumphus diabolo eſt, dum abuti te videt tantæ miſericordiæ remedio! Niſi in tenebris eſſes, non adeò cæcutires; ſuperno lumine opus eſt ut videas, quod ut impetres, ſalutemus illuminatam virginem, ut ſibi *Illuminata*, tibi & nobis ſit *Illuminatrix*, dicamuſque cum Angelo, *Ave gratiâ plena.*

Quos abuſus niſi lumine cœleſti prælucente vitare non poſſumus. Act.12.7.

II. Quantùm colligo, Petrus adhuc dormit; Ut ergò eum Angelus de carcere educat: *Lumen refulſit in habitaculo.* Unde hoc lumen refulſerit, diſputant nonnulli; Exiſtimant alii quod ex ipſo glorioſo Angelo, alii ab eo productum aſſerunt. Hoc certum, quod iſto in lumine de ſuo exierit carcere. Captive diaboli, hortabar te nudiuſtertius, ut oſtium carceris tui aperires, ſed quomodò hoc à te ſperem in ipſa nocte peccati, niſi lumen refulgeat in habitaculo, niſi illuſtratio animæ tuæ divinitus immiſſa, à ſomno te excitet, efficiatque ut Deum, & te ipſum videas, miſerumque ſtatum tuum cognoſcas? Noſti te vinctum catenis duabus, ut à prima catena ſolvaris, ut intellectus obſcuratus illuſtretur, Deus lumen accendit, quod *Refulget in habitaculo*, inquit Ugo, *per peccati recordationem*, lumine ſuo cœleſti & gratiâ excitante illuſtrat intellectum, ut Deum, quem offenderas, cognoſcas, miſerumque ſtatum tuum conſideres, & Proh dolor! Rebellis lumini, tegetibus & ſtragulis te involvis, ut altiùs dormias! Hoc hodie oſtendo. Vos, N.N. mei, aures mihi præbete, & Captivo noſtro compatimini. Deo auſpice, Incipio.

Ugo Card.

III. Tridentini dogma eſt Seſſ. 6. Can.3. *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritûs ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Doctor Angelicus 1.2.q.109. a.6. dat rationem dogmatis, & probat quod homo ſe ad gratiam diſponere non poſſit, ſine auxilio gratiæ, hoc ſolido argumento; ſoli primo agenti convenit, ejuſque proprium eſt movere ad ultimum finem, ſtante quod ordo finium ſit ſecundùm ordinem agentium, ſed diſpoſitio ſeu præparatio ad gratiam ſanctificantem tendit in Deum, tamquam in ultimum finem ſupernaturalem, ergò neceſſariò procedit à Deo, utpote à primo principio ſupernaturali; & ad diſpoſitionem omninò requiritur ut divina motio & auxilium præveniat. Concludit S. Thomas diſcurſum ſuum in ſecunda reſponſione: Cum peccator ex ſe ipſo reſipiſcere non poſſit: *Indiget ut denuò ei lumen gratiæ infundatur: Sicuti, ſi corpori mortuo reſuſcitando denuò infunderetur anima.* Captive, excæcare te potuiſti, at amiſſum lumen ex teipſo recuperare non potes, quia naturaliter *A privatione ad habitum non datur regreſſus.* Gratia lumen eſt, peccatum tenebræ omnium tenebrarum denſiſſimæ, caliginoſiſſimæ, obſcuriſſimæ. Lumen amiſiſti, dum obſcuravit intellectum tuum Angelus tenebrarum; Illo privatus lumine in tenebris ſedes, & ut filius tene-

Trident. Seſſ. 6. Can.3.

Probatur ex Tridentino & ſancto Thoma.

D. Thomas.

brarum per tenebras ad tenebras ambulas, & tenebras amas, quia lumen non cognoſcis. Quis te educet ex tenebricoſo carcere tuo? quis arripiet te per manum, ut inde te educat? pro me loquatur Auguſtiſſimus Auguſtinus: *Nullus illuminatur niſi à Verbo, Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere*, ut Pſalmiſta loquitur Pſalm. 21. Mille licet faces accendas, lignorum ſtrues, candelarum multitudinem, & quæcumque poſſes in hoc mundo imaginari luminaria, ſi Dei lumen non refulgeat in habitaculo, per tenebras in tenebras ibis: loquatur iterum Magnus Auguſtinus: *Quid eſt, vanum eſt vobis ante lucem ſurgere? ſi ſurgamus antequam ſurgat lux, neceſſe eſt ut in vanitate permaneatis, quia in tenebris eritis.* Hoc poſito, miſericors & miſerator Dominus ex carcere te liberaturus, lumen accendit, *Lumen refulſit in habitaculo*, ut in lumine lumen videas, & ſtatum miſerum, in quo verſaris, agnoſcas: Non quæris eum, & ipſe quærit te, non vocas eum, & ipſe vocat te, non vides eum, & ut videas facem accendit, ut portam carceris queas invenire, & inde te ipſe educat, & viam oſtendat. Crederes hoc? vis probam?

S. Auguſtinus.

S. Auguſtinus.

IV. Stupet poſteritas Periclis factum: Petulans quidam, ſtirpis viliſſimæ, infamis moribus, audax & temerarius, Athenis ei obvius, debacchari in illum cœpit, convitiari, & afficere omni quâ poterat, contumeliâ: at magnus ille, & verè nobilis, more cujuſdam feræ majoris latratus minutorum canum ſecurus exaudiens, majori, quo poterat ſpiritûs moderamine, ſubticebat: cùm nox eſſet, ad ſuum pergebat palatium; hic verò magis inſultans ſequebatur eum uſque ad palatii limina, de cloaca infecti pectoris omnem infamiam evomens. Sed quis Pericles? Dux exercitûs, lumen Græciæ, ornamentum & flos nobilitatis Athenienſis, quid faciet adeò offenſus Pericles? audite & obſtupeſcite. *Cum jam nox eſſet, juſſit uni ex ſervis, ut accenſo lumine hominem comitaretur, ac reduceret domum*: Cedant, cedant Periclis ſcintillæ immenſo lumini Dei noſtri. Blaſphemo ore irritaverat Deum impia Gens Hebræa. *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis. Poſuerunt in cœlum os ſuum, & male locuti ſunt de Deo*: Et tamen irritatus & ſpretus Deus non ſolum dimittit peccatum, aut ſervum mittit, ſed ipſe accendit facem, & miniſterio ſervili præcedit illos ad oſtendendam viam in noctis caligine: *Dominus autem præcedebat illos ad oſtendendam viam per noctem in columna ignis*: Ad hoc prodigium exclamat Oleaſter: *Magna eſt dignatio tua Domine erga nos, ut quaſi puer tædas accenſas ante eos deferas, & iter doceas. Quis audivit unquam talia, ut Dominus accenſâ faculâ quaſi miniſter ſuis præcederet?* Quoties honore illo, durante Captivitate tuâ, te dignatus eſt miſericors Deus, lumen gratiæ ſuæ ob oculos ponens, ut in lumine iſto eum cognoſcas, & ſic de carcere te educat? ſi dicerem centies, non aberrarem, & interim clauſis manens oculis, peccatis indormis, & maledicto ſomno tuo indulges ſecuriùs, rebellis lumini, ex quo

Deus tam bonus eſt, ut peccatoribus hoc lumen præbeat.

Pſalm. 139.

Pſalm. 72. 9.

Exod. 13. 21.

Oleaſter.

Vt in Davide & aliis patuit. quo tamen innumeri, cognito miſero ſtatu ſuo, à ſomno excitati, de carcere ſuo educti ſunt, & libertati reſtituti. Habes in ſacris Paginis Davides, Prodigos, Petros, Magdalenas, & ſexcentos ſimiles.

Pſalm 50. 5. V. Unde Pſal. 50. Regi pœnitentium tot gemitus, tot ſuſpiria, tot lacrymæ? teſtatur ipſe: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco*: & addit: *Peccatum meum contra me eſt ſemper.* Ab illo inſtanti, quo lumine tuo illuminatæ ſunt tenebræ meæ, quo aperti ſunt oculi mei, peccatum meum contra me eſt ſemper. Hoc lumine, facti pœnitens, & Deo redditus Pſalm. 118.

Pſalm. 118. 59. ait: *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in teſtimonia tua.* Cogitatione lumen accenditur, cogitatio Sydus eſt: Converti pedes meos, in acceſſum ad Deum. De Prodigo

Lucæ 15. 17. loquitur Evangeliſta: *In ſe reverſus ait: Surgam & ibo ad Patrem meum.* Hunc regreſſum à peccato, & ingreſſum in ſe ſuperna lux præceſſit, & non eſt ad Patrem reverſus filius, niſi irradiante novo hoc lumine repedavit. Senſum hunc, ex textu elicit

S. Chryſoſtomus. D. Chryſoſtomus Serm. 2. *In ſe reverſus eſt: in ſe ante rediit, ut rediret ad Patrem, qui à ſe antè receſſerat, cum receſſit à Patre, à ſe migrat, & ab homine totus tranſit in beſtiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus, ait: Surgam, & ibo ad Patrem; jacebat qui dixit: Surgam, intellexit lapſum, ſenſit ruinam.* Hoc certum eſt, neminem de carcere ſuo liberandum, cui miſeri ſtatûs ſui non eſt cognitio, niſi lumen Dei effulgeat in habitaculo. *Eſt enim*, inquit Bernardus,

S. Bernardus. Lib. de Conſ. *primùm hominis ſapientiam affectantis, contemplari quid ipſe ſit, quid intra ſe, quid infra, quid ſupra, quid contra, quid ante, quid poſtea.* Sicut hoc lumen eſt ſalutis exordium, ita neſcire ſe, & ſtatum incarceratæ animæ ſuæ eſt caligo inferni porta, ut bene Iſaias;

Sed peccator hoc lumen ſæpe negligit.

Iſaiæ 5. 13. *Propterea captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam*: & quia tu, miſer, lumen non recipis, non cogitas vias tuas, nec convertis pedes tuos in acceſſum ad Deum, econtrà manes in carcere, amans carcerem. Utinam ſaperes! utinam videres! & cogitares vias tuas ſicut illa, de qua.

Lucæ 7. 38. VI. Lucæ 7. *Mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, lacrymis cœpit rigare pedes ejus*: Magdalena ad pedes Jeſu? de peccatrice ſancta? de lebete phiala? de corvo columba? de filia diaboli, filia Dei? de infernali, cœleſtis? de vaſe contumeliæ, vas ſanctificationis? Unde illi tam ſancta Metamorphoſis? *Ut cognovit.* Erat illa ſordida, luxuriæ pulvere adeò excæcata, ut non cognoſceret miſerum ſtatum ſuæ periclitantis animæ, at Chriſti prædicatione ac Verbi Divini radiis illuſtrata, ut lumen refulſit in habitaculo, de Magdalena facta Maria, id eſt, *Illuminata*, cognovit ſtatûs ſui infelicis cataſtrophen doloroſam, ad lumen & radios adeò ſplendentis ſolis cognovit ſordidiſſimas maculas, quæ impurâ caligine animam ita denigraverant. *Cognovit* quod per impudicas libidines factâ eſſet dæmonis ſponſa, *Et ut cognovit, venit, attulit, flevit, rigavit.* Cognovit errores, planxit culpas, tota

P 2 venit

venit contrita, attulit unguentum pretioſum, ſtetit intrepida, rigavit, lacrymata eſt dolens. *O ſi cognoviſ-* Lucæ 19. 42.
ſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad illuminationem tibi, cognoſceres ea, quæ nunc abſcondita ſunt ab oculis tuis, cognoſceres, & dum cognoſceres, fleres: ſed Proh dolor! ne illumineris, ſtragulis te integis, ne de ſomno exciteris, & facis animæ tuæ, quod Judæi Chriſto.

VII. Lucæ 22. In domo Principis Sacerdotum, non cognoſcit Pe-
Lucæ 22. 58. trus Magiſtrum, etiam juramento affirmans: *Non novi illum.* Adhuc
Verſ. 61. illo negante, cantavit gallus: *Et converſus Dominus reſpexit Petrum.*
Verſ. 62. Quid inde ſecutum? *Egreſſus foras Petrus flevit amarè:* Habes ad has
D. Hieronymus. lacrymas D. Hieronymum loquentem: *Non enim fieri poterat, ut in negationis tenebris permaneret, quem lux reſpexerat mundi.* Lege textum Verſ. 63. invenies, quod illicò ut Chriſtus reſpexerat & converterat
Verſ. 63. Petrum, ſubjungat: *Et viri qui tenebant illum .... velaverunt eum.* Cur obſecro faciem ejus velant? teſte S. Epiphanio, velamentum
S. Epiphanius. illud opus fuit diabolicum; *Timuit,*
Et obvelat eum judais faciem ne videat. inquit, *diabolus, ne etiam Judæi Chriſti oculis caperentur.* Ita & tu, Captive, timens ne oculis Dei capiaris, ne in lumine ejus, à ſomno tuo exciteris, ponis velamen ſuper faciem tuam, ne lumen videas; feneſtras claudis, ne lumen effulgeat in habitaculo, non ſecùs ac ille, qui ſolis radios à domo ſua excludit. D. Ambroſius in Pſal. 118. Serm. 19. te alloquitur. *Numquid*
D. Ambroſius. *ſi quis oſtia domûs ſuæ claudat, ſolis eſt culpa, quod non illuminet domum ejus? ergo ſi quis peccatorum ſuorum repagulis obſerandam mentem propriam judicaverit, & verbi à ſe ſplendorem ſultus avertat, ac ſibi inferat inſipientiæ cæcitatem, cauſari poterit, quod Sol juſtitiæ noluerit introire? aut infirmitatem cœleſtis luminis arguere?* Apoc. 3. Deus ipſe Apoc. 3. 20.
tibi improperat: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: Per excitationem*, inquit Angelicus, *terrendo per conſidera-* D. Thomas.
tionem pœnæ, vel immittendo dolorem de peccatis, vel deſiderium gloriæ, vel vocando per prædicatores, *Magis amant tenebras quam lucem.*
& repulſo lumine indormiſcis, in tenebris tenebras amplexus, oſtendis te de numero illorum eſſe, qui dilexerunt magis tenebras, quàm lumen: de illis loquitur Salvator.

VIII. Joan. 3. *Hoc eſt autem* Joan. 3. 19.
judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Non loquitur hîc Dominus de tenebris voluntatis ſed intellectûs, quia illæ in ſacris Paginis non tenebræ dici ſolent, *Sed opera tenebrarum* Rom. 13. 12. Rom. 13. 12.
Tenebræ dicuntur errores intellectûs juxta illud Sap. 17. *Unâ catenâ* Sap. 17. 17.
tenebrarum omnes erant colligati. Ut ab illa catena tenebrarum, quâ vinctus es, libereris, *Lux venit in* Joan. 3. 19.
mundum, & diligis magis tenebras, quàm lucem, non ſecùs ac illi, de quibus Pſalm. 35. affirmatur. *Nolunt intelligere, ut benè agerent.* Se- Pſalm 35. 4.
cundùm DD. Auguſtinum & Gregorium, duplex datur cæcitas, una, *Duplex datur cæcitas, figurata in duobus cæcis à Salvatore curatis.*
quæ eſt pœna peccati, in qua naſcimur, alia, quæ eſt peccatum, & principium peccati, quod contrahimus

mus propriâ malitiâ. Sicuti ex parte noſtra nihil contribuimus primæ cæcitati, illam ſine nobis ſanat gratia baptiſmalis; ſed ſicut ſecunda opus eſt voluntatis noſtræ, illam non tollit gratia abſque conſenſu libertatis. Salvator noſter oculos aperit duorum cæcorum: Cæci nati Joan. 9. & alterius Lucæ 18. modo tamen longè diverſo: cæco nato dat viſum non requiſitus, nullâque illi factâ interrogatione, an vellet videre? Alium autem interrogat: *Quid tibi vis faciam?* qui reſpondit *Domine ut videam.* Habes in his duobus duplicem cæcitatem, de qua agitur. In cæco nato cæcitatem originis, in alio cæcitatem malitiæ: primum ſanat Deus in baptiſmo abſque concurſu libertatis noſtræ, cujus necdum uſum habemus: ſecundum autem non ſine conſenſu & concurſu voluntatis: Ratio ergò quod lumen gratiæ non diſſipet tenebras tuas, eſt quod reſiſtas lumini: *Noluit intelligere ut bene ageret*, recuſas lumen, ne mutes vitam, non vis illuminari, ne te convertas, avertis oculos, ne lumen videas, ſemper & ubique rebellis lumini; ſed audi quid de te Veritas dicat: *Hoc autem eſt judicium*, quaſi diceret; non ſolùm te manet judicium, ſed jam eſt manifeſtum; Non indiges ulteriori probâ, non ſolùm vicinæ, ſed quaſi certæ tuæ damnationis. Dic mihi cur in S. Scriptura tenebræ ordinariò conjungantur cum umbra mortis? *Obſcurent eum tenebræ & umbra mortis* Job 3. *Eduxit eos de tenebris & umbra mortis* Pſalm. 106. *Sedentes in tenebris & umbra mortis.* Lucæ 1. Quid hìc indicat Spiritus ſanctus hâc formulâ, niſi quod illi, qui in tenebris ſedent, verſentur in ſummo mortis periculo & quidem, mortis æternæ? Dum umbram videmus, numquid illicò vicinum dicimus corpus? ità & tibi, rebelli lumini, vicina damnatio eſt; Quid vicinum dico & proximum? Umbra indicat corpus non ſolùm vicinum eſſe, ſed præſens. Quàm ergò vicini ſunt morti ab umbra ejus contacti? Qui ſedet in tenebris, facilè in ſomnum cadit: *Qui ſedent in tenebris: ſedent* ſimiliter *in umbra mortis.* Quid ſomnus, niſi umbra, niſi mortis imago? *Umbra mortis.* Vide ergò in quàm miſero & periculoſo ſis ſtatu, dum in tenebris dormis, diligens magis tenebras quàm lucem; Vide & attende, ne de tenebris cadas in tenebras, de temporalibus in æternas, ne, dum hìc lumen recuſas, de te verificetur illud. *Uſque in æternum non videbit lumen*: Contra te, tibique ſimiles jam terminatum eſt judicium: *Hoc eſt autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem*: Et Joan. 12. *Ego lux veni in mundum, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* In tenebris eſſe malum eſt, pejus diligere, diligere & manere, peſſimum. *Hoc eſt autem judicium*, judicium juſtiſſimum ſimul & ſeveriſſimum. Audi iteratam ſententiam contra te latam, quiſquis tenebras diligis.

IX. Job 38. 15. *Auferetur ab impiis lux ſua* Prov. 13. *Lucerna impiorum extinguetur* Apoc. 2. *movebo*

Lucæ 18. 41.

Pſal. 35. 4.

Ex repulſa luminis certa quaſi & præſens damnatio ſequitur.

Job 3. 5.

Pſalm. 106.

Lucæ 1.

Et ideò tenebris in Scriptura umbra mortis conjungitur.

Pſalm. 48. 20

Joan. 3. 19.

Joan. 12. 46.

Hinc peſſimum illas diligere, & in iis manere velle.

Job 38. 15.

Prov. 13. 9.

Apoc. 2. 5.

Deut. 28. 28.

vebo candelabrum de loco ſuo Deut. 28. *Percutiet te Dominus amentiâ & cæcitate, ut palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris.* Et quidem juſtè! Quid enim juſtius, quàm tollere ab eo bonarum lumen inſpirationum, qui illo abutitur? Explico me. Eſt mater habens filium ſtudiis non ſatis deditum, ut illis vacet diligentiùs, indies eum manè excitat, lumen accendit, ut ſurgat & ſtudeat: At ille in lecto ſtertens ſtragulis ſe integit, nolens ſurgere. Quid tunc illa? Non ultrà lumen affert, ſed tollit candelabrum, ne oleum & operam perdat. Idipſum facit tecum Deus. A Captivitate tua decies, vigeſies, dicam centies, te ſecurè dormientem excitat, accendit indies Divinarum inſpirationum, & illuſtrationum lumina, at ſemper fruſtrà. Quid tunc? non excitat amplius ut antè, non ultrà illuminat, ne iterato contemptui exponat auxilia ſua gratiarum, & quidem juſtè, ut rectè Doctorum Aquila, Auguſtinus ob ſervavit de Nat. & Grat. Cap. 22. dicens: *Prævaricatorem legis dignè lux deſerit veritatis, quâ deſertus, utique fit cæcus.* In eamdem abit ſententiam D. Angelicus 2. 2. q. 2. art. 5. ad 2. *Auxilium*, inquiens *quibuſcumque datur, miſericorditer datur, & quibus illud non datur, ex juſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati.* Auderes dicere, te de tempore in tempus, de die in diem, de hora in horam non ſentire inſpirationes, quibus interiùs à Deo excitaris? Nega ſi poſſis & audeas, illas internas Dei voces, occultas correctrices, ut evigiles de ſomno, ut deſeras carcerem, ne te Deus deſerat: Unde tibi tot ſubminiſtrata contumacibus oculis tuis lumina? Unde motus cordis, quos in te ſentis? Si rectè loquaris, fateri cogeris, illa omnia à Deo ſubminiſtrari, opus Dei eſſe; Et putas interim te illis impunè negare poſſe auditum, & ſubminiſtratum tam miſericorditer lumen extinguere? Conſiſtant gratiæ illæ te excitantes & moventes ſecundùm aliquos *In qualitate Phyſica tranſeunte:* Numquid tunc ut tales, requirunt à te velocem attentionem, cum non ſint durabiles ſicut habitus? Conſiſtant ſecundùm alios; *In piis cordis motionibus:* cum ſint motiones, adhuc certiùs exigunt feſtinum conſenſum, utpote tranſeuntes: Dicantur certa lumina practica & directiva, non tamen lumen ſunt ſolis aut lenti cujuſdam & diu durantis planetæ, ſed potius inſtar fulguris, fugientis ipſo quo ſplendet momento, tranſeunt velut corruſcationes: *Illuxerunt corruſcationes tuæ orbi terræ*: Sic evidens eſt quod ille qui non citò ad iſta lumina oculos aperit, non ſit viſurus poſteà. Dicantur inſpirationes, divinæ attractiones, quibus animæ trahuntur ad Deum; ſimiles tantùm ſunt illis de quibus Canticorum 1. *Trahe me poſt te, curremus.* Nota myſterium: *Curremus*: ad hoc verbum Theodoretus *Animæ ſtrenuæ, curſu id faciunt, ne relinquantur.* Dicantur internæ locutiones Dei ad cor noſtrum:

Idque quia negligunt lumen, Deus lumen ſubtrabit ulterius.

S. Auguſtinus.

D. Thomas.

Adeòq; illis velociter parendum.

Et hoc probatur ex natura gratia.

Pſalm. 76. 19.

Cant. 1. 3.

Theodoretus.

Pſal 147. 15. noſtrum: de illis loquitur Pſalmiſta. *Velociter currit ſermo ejus*: & ideò juxta Mellifluum, in quocumque gratiam conſtituas *Deus* (D. Bernardus.) *velocem deſiderat habere ſequentem*: Si ergò ad hæc lumina, quæ Deus accendit, in lecto maneas, ſi te ſurgere pigeat, Captive, attende ne citò moveat candelabrum de loco ſuo, & dormire te ſinat & quidem ſomnum mortis. Vide ne habeas conquerentem de te Deum: humilio me, ut ipſe lumen accendam in habitaculo tuo, & tu interim de ſomno tuo non evigilas, imò ſtragulis te involvis, ne lumen videas, habes certè quod verearis, ne tibi ſubdat: ſubtraham lumen congruum & compunctivum; quo per judicium juſtiſſimum indignus factus es.

Ac ulterius ex incertitudine an non ſit ultima.

X. Peto iterum à te. Quid ſi præſens inſpiratio non eſſet prima, ſed ſecunda, tertia, aut quarta; numquid excitare te oporteret, ut audires attentiùs? Quid ſi decima, ſi vigeſima? non judicas tempus eſſe ut dicas cum Auguſtino. (S. Auguſtinus.) *Vocâſti, clamâſti, rupiſti ſurditatem meam?* Lib. 10. Conf. Cap. 27. Quid ſi foret ultima? Et quis dicere poteſt, quod non ſit? certè nec ego, nec tu, nec ullus mortalium. Quis enim te certum reddet, quod ultrà lumen refulgebit in habitaculo, quod non tolletur candelabrum de loco ſuo? Dices fortè, miſericors Deus eſt, non ſeverus, ſcio: ſed & hoc ſcio, certiſſimum dogma eſſe in ſcholis, quod Deus non obligetur vocare, & illuminare ſemper; ergò aliqua vocatio, aliqua illuminatio ex tot vocationibus & illuminationibus erit tandem illa, poſt quam non ultrà vocabit, aut illuminabit; conſequenter illa poteſt eſſe ultima. Non ſit Deus ſeverus, hoc tamen eſt irrefragabile apud Theologos, quod numerus gratiarum, inſpirationum, internarum illuminationum ſit numerus finitus & determinatus, ita ut ſint vel 10. vel 20. vel certè 100. & non plures, unde quò plures negligis, eò manent pauciores, ergò ſi tot à Deo lumina extinxeris, tot internis illuminationibus contumacibus oculis reſtiteris, pauciores reſtabunt infundendæ, & conſequenter illa, quam modò habes, poteſt eſſe ultima. Ad Evangelicam veritatem te cito.

XI. Matth. 20. Homo pater familias exit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Alii vocantur in aurora, alii horâ nonâ, alii ad occaſum ſolis: at acutè dicit ſcriptor Evangelicus, quod in omnibus conductionibus ſubſequentibus. *Invenit alios*, *Vocavit alios*, vocavit de novo *alios*, *alios*. Sed hoc notandum quod primò vocatos non ultra vocaverit. Vocavit Chriſtus Apoſtolos, ſed ſemel tantùm, & qui primâ vocatione non erat Apoſtolus, non eſt factus poſteà. Si ergò dari poſſit caſus, in quo prima vocatio, prima inſpiratio poſſit eſſe ultima, à fortiori poteſt eſſe ultima, quæ eſt decima, vigeſima: ergò à fortiori poteſt eſſe ultima, quam modò habes; ſi illâ abutaris, quid putas futurum de te? vel putas Deum ſeverum tibi futurum vel pium aut miſericordem? Si ſeverum & juſtum: juſtitia exigit, ut non iterentur favores, dum ſpernitur

Matth 20. 2. *Quæ incertitudo ex Evangelio oſtenditur.*

ſpernitur Deus, dum lumen ejus extinguitur juxta Auguſtinum lib. de eſſentia Divinitatis ubi dicit. *Juſto judicio ſinere te judicari.* Si perſuadeas tibi, Deum futurum beneficum & pium, ex illa parte non aliter tecum aget, quàm olim egit cum Aſiaticis.

D Auguſtinus. *Et à juſtitia non tantùm ſed & à miſericordia Dei exigitur.*

XII. Act.16. Paulus & Timotheus circuibant civitates, ſeminantes Evangelica verba, at in Aſia minore non aperiebant os ſuum, & quidem de expreſſa inhibitione, ipſis à Spiritu S. facta; *Vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum in Aſia.* Vetati ſunt? quomodò ergò: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum?* Si in parte principali vetati ſunt loqui? quomodò ſecundùm Chryſoſt. *Gratia Dei in omnes diffuſa eſt?* Si Aſiaticis ſit denegatum lumen Evangelicum? & hoc myſterium fuit, inquit Beda. Deus, qui corda novit eorum, qui rebelles ſunt lumini, ſcit & prævidet, quod contemnent conciones, dum illas audient, & quod agnitæ veritati reſiſtent, ideòque gravior futurus ſit eis reatus audiiſſe & non acceptaſſe, ideò lumen prædicationis ſubtrahit. *Ne de contempto lumine gravius judicentur.* Do verba Bedæ mixta lacrymis: *Deus qui novit corda beneficii gratiâ, Doctorem removit ab Aſia, ne cor iniquum de contempta prædicatione gravius judicetur.* Ita, ita: Deus miſericors eſt, & miſericordiæ ejus infinitus eſt numerus, & quia miſericors eſt, illâ qualitate videns te rebellem lumini, & ad tot internas voces durum & contumacem, deſinit clamare, & illuminare, ne reddaris magis culpabilis: *Beneficii gratiâ removebit Doctorem, ne cor iniquum de contempta vocatione gravius judicetur:* Ergò non eſt quod ſperes, neque ex parte miſericordiæ, neque ex parte juſtitiæ; non ex illa, utpote miſericordiâ indignus, neque ex hac, quia poſt tot oblata & ſpreta lumina peccatis indormire, & novam ſperare gratiam, temeritas eſt non modica, unde timendum ne tunc dicatur tibi, quod à Parmenione olim dictum eſt Græcis.

Act.16. 6. Pſal.18. v.5. S. Chryſoſt. *Vt patuit in Aſiaticis.* Ven. Beda in Gloſſa.

Et hinc præſumptio de miſericordia Dei amputanda.

XIII. Hi Congregati in aula Philippi Macedonis audientiam habituri, audiunt dormire Regem; quereloſi quod Argus illorum ſuos clauſiſſet oculos, reſpondit Parmenion: *Nolite mirari dormire nunc Philippum, nam cum ſopiti vos eſſetis, hic vigilabat.* Ita ille Græcis, & ego tibi, Captive: Deus ſollicitè pro te dormiente vigilat, ut à ſomno te excitet, lumen ejus refulget in habitaculo, clamat, monet, exhortatur, illuminat, & dormis, & quod peſſimum, in deſpectum excitantis te, adhuc vis edormire; juxta computus tuos evigilaturus poſtquam ſomno ſatis indulſeris; Tunc petes audientiam, tunc offeres ſupplicam Deo, & Deus dormiet. Ego ex parte Dei dico tibi ex nunc pro tunc: *Noli mirari dormire nunc Deum, nam cum ſopitus eſſes hic vigilabat.* Noli decipere animam tuam, lumen quod refulget in habitaculo tuo ut à ſomno exciteris, illa vocatio amabilis, quam modò ſentis, poteſt eſſe ultima: quod ſi foret, dico quod Cyrillus noſter de Co-

Cum Deum vocantem audire nolueris, etiam te peccante non audiet.

S. Cyrillus.

lumna

lumna ardenti, in qua ductus eſt Iſrael de Ægypto. *Si obedieris lucem, ſi non obedieris ignem.* O judicium juſtiſſimum & ſeveriſſimum! audi argumentum ad hominem.

Hebr. 10. 28. *Quia illius ſanguini & gratiæ injuriam feciſti.*

XIV. Hebr. 10. dicit Apoſtolus. *Irritam quis faciens legem Moyſi ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moriebatur, quantò putamus deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Quod Hebræis Apoſtolus, ego tibi, Captive: Si in lege antiqua mori debebat, qui duobus aut tribus teſtibus probabatur prævaricatus partem legis, quantò magis dignus eſt morte, qui non uno, duobus, tribus, ſed decem, viginti, imò centum teſtibus probatur prævaricator? quot enim inſpirationes ſunt, quot accenſa lumina, tot ſunt teſtes, quos Deus

Job 10. 17.

inſtaurat contra te, juxta illud Job Cap. 10. 17. *Inſtauras teſtes tuos contra me.* Teſtes qui in te inſurgant, tamquam in deſpectorem Chriſti, & Spiritûs ſancti cujus gratiæ contumeliam irrogâſti, juxta illud, qui *Spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Utinam hæc ſaperes & intelligeres ac noviſſima prævideres!

Gen. 32. 26. *Ut Angelus, ad auroram dimitti petas ex carcere.*

XV. Gen. 32. 26. Tota nocte luctatur Jacob cum Angelo. Aurorâ exurgente, ait Angelus ad eum: *Dimitte me, quoniam aurora eſt.* Notat Doctor Angelicus, Angelum hic virum honeſtum imitari, qui in tenebris aliquid permittit aut committit, quod nollet in lumine fieri, & de quo palam erubeſceret. Utinam etiam tu radiis Divini Solis illuſtratus, in triſti illa lucta cum Deo habenda, idem diceres! utinam in lumine ejus te puderet peccatorum tuorum, dicereſque: *Dimitte me*, de carcere, *aurora eſt*; Sol juſtitiæ adeſt, *Lumen effulſit in habitaculo* carceris. Tempus eſt me de ſomno ſurgere. *Fac hoc & vives.* Hoc petit à te Doctor Gentium 1. Timot. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi.* Hoc petit Salvator ipſe. *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis ſitis*; & certè alioquin vereor ne, ſole occidente, ſiniſtri aliquid contingat. Audi caſum horrore plenum.

Luc. 10. 28. *Et primùm lumen ne negligas.*

1. Timot. 4. 14.

Joan. 12. 36.

XVI. Judicum 19. Vir quidam Levites habitans in latere montis Ephraim, uxorem duxerat de Bethleem Juda. Ille à ſocero benevolè exceptus, manſit in domo ejus tribus diebus comedens & bibens familiariter. Cum quarto die meditaretur reditum ad propria, ait illi Pater uxoris: *Quæſo te ut hodie hic maneas, pariterque lætemur*, qui cum manſiſſet, manè facto ſurrexit, ut pergeret cum uxore ſua, cui ſocer rursùm, obſecro ut maneas tantiſper nobiſcum, donec increſcat dies, & poſteà proficiſcaris; acquieſcens ille ſermonibus, iterùm comederunt ſimul; cùm autem poſt horas aliquas ſurgeret, ut pergeret cum uxore, rurſum locutus eſt ſocer: conſidera quod dies ad occaſum declivior ſit, & propinquet ad veſperam: *Mane apud me etiam hodie, & duc lætum*

Judic. 19. 6. *Ne tibi contingat, quod Levitæ de monte Ephraim.*

Verſ. 7. 8. 9.

diem, cum noluiſſet gener, profi-ciſcentibus illis: *Occubuit ſol juxta*
Vers. 19. *Gaboa*: Cum autem nullus eos reci-pere vellet hoſpitio, triſte illis accidit infortunium: Poſtquam enim viri civitatis illius, uxore ejus abuſi fuerant ante oſtium domûs, ubi manebat maritus ejus: inventa eſt manè mortua. Quid mirum? Occubuerat enim eis ſol; Quo viſo, Levites vindictam ſumpturus: *Arri-*
Vers. 29. *puit gladium & cadaver uxoris cum oſſibus ſuis in duodecim partes ac fruſta concidens, miſit in omnes terminos Iſrael*, quod cum vidiſſent, conclamabant: numquam res talis facta eſt in Iſrael. Ferte ſententiam, & *In commune decernite, quid facto opus ſit.* Utinam liceret hodie captivum quemdam, rebellem lumini, & occidente ſole, ſuo in carcere mortuum dividere in partes & fruſta, mitterem profectò ad detentos in carcere diaboli, lætoſque ibidem agentes dies, ipſius membra: Oculos dirigerem ad carnales ob carnis vitia ibidem vinctos: Linguam ad detractores; Manus ad fures & latrones; Pedes ad deſides & otioſos; Ventrem ad guloſos: *Quorum Deus venter eſt*, Cor ad invidos, unàque ac- Pſalm. 3. 19.
cluderem litteras: *In commune decernite quid facto opus ſit.* Quod ut melius faciatis, & vobis tempus ſit, conferte litteras vobiſcum & legite domi attentè.

DOMINICA III. ADVENTUS.

De Captivitate Petri.

Percuſſoque latere Petri excitavit eum. Actor. 12.

Qui ad allationem Divini luminis non ſurgit, ſpernit Deum & habet quod timeat.

I. SPeraveram Captivum noſtrum à ſomno ſuo excitandum, ex lumine, quod heri refulſit in habitaculo, ſed ut vidimus, rebellis lumini ſtragulis ſe integebat, ne lumen videret, & ut dormiret ſecurus. Quis crederet hominem adeò per peccatum excæcandum, ut Deum ſperneret, qui non ſolùm lumen accendit, ut de carcere eum educat, ſed inſuper, ut iter eum doceat, accenſâ face, quaſi miniſter ipſum præcedit? Certè de tali contemptu meritò conqueritur dicens: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Non attendens, quod tenebras diligens per tenebras ad tenebras ambulet, & in tenebris ſedens verſetur in evidentiſſimo æternæ mortis periculo; ſolet enim juſtus Deus à ſpernentibus lumen, idipſum auferre, lucernas extinguere, & movere candelabrum de loco ſuo. Rogemus Deum, ut Captivum noſtrum rebellem lumini, ab iſto malo præſervet, & eum aliis mediis (habet enim plurima) à ſomno excitet; & imploremus ad hoc opem Virginis Matris, ſalutantes eam *Ave Maria.*

II. Simon adhuc dormis? Non ergò excitavit te lumen, quod heri refulſit in habitaculo, ab Angelo poſt

poſitum ante oculos tuos? Hoc mirum. Angelus alio utitur medio: *Percuſſoque latere Petri, excitavit eum:* Quem nec vox, nec lumen excitat, excitat percuſſio. Captive diaboli, adhuc jaces? Adhuc dormis? Heſternum lumen non aperuit oculos tuos? Adhuc rebellis es lumini? Miſericors & miſerator Dominus, ut de ſomno te excitet, & de carcere educat, ne æternæ mortis ſomno dormias, miſerens tui percutit latera tua, *Percuſſoque latere, excitavit eum*: Excitat te percuſſionibus juſtitiæ ſuæ Divinæ, ut de ſomno evigiles; Audi de illis Doctorem Seraphicum ſerm. 3. Dom. 1. Advent. *Lateris percuſſio eſt temporalis correctio. Æterna enim percuſſio non in latere tantùm, ſed in omnibus membris fit*: Prov. 19. *Parata ſunt deriſoribus judicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus*: Deus non unum ſolùm, ſed multa habet flagella, quibus te excitet: *Multa flagella peccatoris.* Percutit Deus interiùs & exteriùs: Remorſu interno percutit conſcientiam tuam, ſi illa percuſſio interna non ſufficiat, addit flagella externa, morbos, calamitates, &c. Cur obſecro, tot percuſſionibus opus eſt? Ut Deus ſicut lumine ſuo illuſtrare conatur, excæcatum intellectum, ita & percuſſionibus ſuis obduratam emolliat voluntatem, ſicque duas catenas ſolvat, quibus es vinctus. Hoc hòdie oſtendo, & dum ſolitam benignam veſtram attentionem expoſtulo, incipio.

Actor. 12.

Licet Deus adhuc ſæpè aliis mediis & percuſſionibus utatur ut tandè evigilet.

S. Bonavent.

Prov. 19. 29.

Pſalm. 31. 10.

Et quid percuſſiones ſint.

III. Non datur dormienti animæ excitator efficacior, quàm emordens conſcientia. Gen. 3. Habes protoparentem tuum ab hoc crepitaculo à ſomno excitatum. Ut Adam præceptum Domini prævaricatus eſt, prævaricationis ſuæ illicò ſenſit effectum. Deguſtato enim bolo mortifero pomi vetiti, turbidis agitatus apprehenſionibus, modò foliis ficûs ſe tegere, modò feræ inſtar ſub frondoſo ceſpite ſe abſcondere nitebatur. Nullâ minarum factâ mentione à Deo interrogatus: *Adam ubi es?* timorem & angorem ſuum fateri coactus, reſpondit; *Audivi vocem tuam, & timui.* Times Adam in Paradiſo voluptatis, in loco delitiarum? Necdum maledicta terra eſt, necdum animalia ferociam induerant, cur igitur times? Necdum terra ſpinas & tribulos germinavit, & cor tuum timoris & tremoris aculeis perfoditur? Quid eſt, quod timeas, dùm non eſt accuſator qui te convincat, aut Judex qui te condemnet? Os aureum deſuper reſpondet Hom. 7. in Gen. *Quoniam videbat ſibi trucem ſtare accuſatorem:* (Conſcientiam dico) *neque enim alium objurgatorem habebat, & teſtem peccatorum, ſed unicum illum, quem intrinſecus circumferebat.* Hic illum ad pœnitentiam induxit. Ne miremini NN. quia conſcientiâ remordente, non datur dormienti animæ excitator efficacior. Gen. 4. Poſt commiſſum execrandum à Caïn fratricidium, terra accuſatrix ejus, videns ſe humano conſperſam ſanguine, vindictam clamabat; Ad Dei tribunal citatus Caïn: Audit vocē accuſatricis: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, quàm ſubſequitur Dei judicis ſententia: *Maledictus eris ſuper terram: Vagus &*

Gen. 3

Probatur in Adam.

D. Chryſoſt.

Probatur in Caïn.

Gen. 4.

& profugus eris ſuper terram. Quis hìc non exſpectâſſet condignam fratricidio ſententiam! Ergòne in vicem incarcerationis, aut extremi rigoris, etiam mortis, libertas datur per univerſum? Sunt exempla ſemina futurorum: Ad hoc exemplum, delinquentes poſteri, cenſebuntur non pœnâ ſed veniâ digni. Nolite ſic arguere: Siſtite tantiſper judicium NN. D. Ambroſius & ſeptuaginta ex vulgato, loco: *Vagus & profugus eris ſuper terram* legunt: *Gemens & tremens eris.* do verba Ambroſii in Pſalm. 35. *Latebat miſer tremens & timens, & cum adhuc percuſſor deeſſet, ipſe ſine ulla intermiſſione ſuus ipſe ſibi carnifex erat, ipſe percuſſor.* Parricidalis facinoris pœnas luens, à ſua conſcientia condemnatus, omnium tortorum ſeveriſſimo. Dixerat Caïn præ timore: *Omnis qui invenerit me, occidet me.* At Deus; *Nequaquam ita fiet, ſed omnis qui occideret Cain, ſeptuplum punietur*; Et ad majorem ſecuritatem: Poſuit Dominus in Caïn ſignum, ut non interficeret eum omnis qui inveniſſet eum: Vitam illi pollicebatur, & ille miſer, timens ac tremens abit profugus, abſcondens ſe. Audiendus iterum S. Ambroſius in Pſalm. 35. *Acceperat ſignum, ne aliquis eum occideret: Non ut vita ſuavitate frueretur, ſed ne mors auferret ærumnam: ut percuſſorem ſuum quotidie timendo, pateretur. Meruerat quidem ut percuſſor inhiberetur: Sed ſine ulla intermiſſione ipſe ſuus ſibi carnifex erat, ipſe percuſſor.* Ut vel ſic rediret ad cor, & culpam agnoſceret. Interrogaverat eum Deus: *Cain ubi eſt Abel frater tuus?* Et ut illuminaret obſcuratum intellectum ejus, illi ob oculos ponit nefandum ſcelus. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me.* At cæcus & induratus ille, audet Deo dicere: *Numquid cuſtos fratris ſum ego?* Quaſi verò crimen ejus Deum lateret; unde alio, ſed efficaciori medio, utiturDeus: ut vel ſic à ſomno peccati eum excitet, effuſum fratris ſanguinem ei ob oculos ponens, propriam conſcientiam excruciando. At neque hâc torturâ potuit induci ad criminis confeſſionem primogenitus reproborum: Ex qua tamen tam multi profecerunt, Do duo coronata capita.

S. Ambroſius.

S. Ambroſius.

Licet hic exinde non evigilaverit

IV. Rex Prophetarum, Regumque Propheta Divino ſpreto lumine, poſt commiſſum adulterium, & ſubſequens homicidium, undecim plus minus menſibus obſcuratum habens intellectum, non capit à Propheta Nathan propoſitam ſibi parabolam, donec tandem aperti ſunt oculi ejus, poſtquam verò percuſſerat eum Deus in conſcientia: *Percuſſoque latere.* Audi ex ore ejus quàm ſenſibilis ei fuerit ictus: Pſalm. 37. 4. *Non eſt*, inquit, *ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.* Explanat verba hæc Doctor Angelicus: *Commemorat hic multiplicem miſeriam ſuam, quàm patitur à ſuperiore, Deo ſcilicet infligente, & ab interiore, ſcilicet conſcientiâ remordente, & hoc à facie peccatorum meorum: id eſt, præ multitudine & gravitate peccatorum, non poſſum habere pacem mentis.* Hanc remordentem conſcientiam manifeſtat clariùs Pſal. 50. dum orat ingemiſcens: *Libera me*

Prout fecit Rex David.

Pſalm. 37. 4.

D. Thomas.

Pſalm. 50.16. *me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ.* Quid ſibi volunt verba hæc? Theodoret. *Uriæ cadem in memoriam revocat*, inquit Theodoretus. In eandem ſententiam abit D. Chryſoſt. in pſalm. 50. S. Chryſoſt. *Uriæ cadem in memoria verſat: Hoc enim etiam in initio planum fecit, his verbis utens: Peccatum meum contra me eſt ſemper:* Quaſi diceret: *Libera me de ſanguine Uriæ.* *A cujus exemplo p'urimi malè reſidunt.* In quo, obſecro, nocere tibi poterat Rex magne, Uriæ ſanguis à tot menſibus effuſus? Ultionem times ab homine dudum mortuo? Timeo, inquit, effuſum ejus ſanguinem, qui de ſepulchro petit meum: Umbra & vox Uriæ non dant mihi requiem: Mors quidem abſcondit eum ab oculis meis, ſed non à ſpiritu meo; Video ubique cruentum hoc ſpectrum, ubique locorum audio vocem ſanguinis ejus, ubique verſatur ob oculos meos: Sedens in menſa tenenſque in manu ſcyphum, videor illum mihi plenum videre ſanguine, in lecto videor ipſius ſanguine involutus? *Uriæ vel mortuus* D. Chryſoſt. *domum David depopulabatur*, inquit Chryſoſt. ideò clamat ad Deum: *Libera me de ſanguine Uriæ*, conſcientiæ aculeos ferre non ſuſtinens. Numquid hìc bonus & ſalutaris ictus fuit Davidi, ut de ſomno ſuo excitaretur? Fatetur ipſe pſalm. 31. Pſalm. 31. 4. 4. *Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina. Cognoſcendo*, inquit S. Auguſtin. Auguſtin. hìc, *miſeriam meam, compunctus malâ conſcientiâ converſus ſum:* Quomodo converſus? Audi quod ſequitur: Verſ. 5. *Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi. Dixi: Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, &* Verſ. 6. *tu remiſiſti impietatem peccati mei.* O percuſſionem ſalutarem! Captive diaboli, quot inſpirationes, quot motus pios, quot gratiarum lumina recepiſti, ut de ſomno excitatus ſurgeres, & de carcere exires? Poſt hæc omnia manes ſtertens: Dum ex lumine non expergiſceris, percutit Deus latera tua, id eſt, conſcientiam tuam: timore & animæ angore te corripit, ut vel ſic exciteris. Dic mihi, cur toties ingemiſcis? Unde tot tibi conſcientiæ remorſus? Unde timores nocturni? Cur non audes de nocte ſolus eſſe in tenebris, nec ſolus dormire? dum fulgurat & tonitruat cur adeò expaveſcis? Cur adeò manes times, ut ad ſolum nomen exhorreſcas? Cur ita angeris, dum in conſortio audis narrari aliquod facinus cujus te reum nôſti? Cur tunc erubeſcis, cum ſermo iſte non dirigatur in te? Reſponde ad hæc? Si non audeas, dicam ego tibi: Deus eſt, qui faciem tuam implet ignominiâ. Pſalm. 82. 13. Pſalm 82. 17. Et latus tuum percutit: In ipſo ſomno, conſcientiæ flagello te verberat, & tamen non plùs moveris ac ſi lapideus eſſes, pejor & inſenſibilior factus, ipſo Nabuchodonoſore. *Nabuchodonoſore pejores effecti.*

V. Dan: 4 Somniat ille, & in ſomnio arborem conſpicatus, ramos ejus vidit ſeverâ falce decidi; veluti que à ſtrepitu, aures feriente, excitatus, ſtatim exclamat: *Somnium vidi quod perterruit me*: Quid angeris O Rex? tantùm eſt ſomnium; angor, inquit, & meritò: quia conſcientia verberat me, etiam in ſomno, quæ tot mihi cauſat remorſus, quot repetiti ſecuris ictus *Siquidem etiam in ſomnis à conſcientia ſæpè percuſſi non evigilas.*

 arbori

arbori inſiguntur. Sic ſic, vel in ſomno, conſcientiæ verbera ſenſiſſe ſe fatetur. *Vidi ſomnium quod terruit me, & mente confuſâ ignoro quid viderim.* Pauper Captive, non debeo interpres eſſe ſomniorum, quæ perterruerunt te non ſemel: Peto tantùm, nonne modò viſus es in profundum demergi? modò fulgure & tonitru percuti? modò ab hoſtibus occidi? modò ad mortis anguſtias perduci? modò ad Dei tribunal citari, æterniſque flammis addici? Certè ſi mihi inter quatuor oculos veritatem velles eloqui, deberes cùm Nabuchodonoſore dicere, quod multa ſimilia ſomnia, quæ terruerunt te, habueris frequenter; Sed unde? à conſcientiâ tuâ, quæ non ceſſat repetitis ictibus te excitare. Tuo hoc nomine fatetur Propheta patiens cap. 4. *In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines, pavor tenuit me*: *Et* cap. 7. *Terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties.* Si ad hos ictus, ad has lateris percuſſiones non exciteris: vereor ne quid tibi ſiniſtri obtingat, uti quondam Judæ Apoſtolo.

Iob. 4. 13.
Iob. 7. 4.

VI. Matth. 26. Edentibus Diſcipulis Paſcha cum Chriſto: ait: illis: *Unus veſtrûm me traditurus eſt:* Trepidantibus cunctis ad hæc verba, intrepidus Judas mittit manum in paropſidem: Teſtimonium tamen perhibente conſcientiâ, quod ipſe eſſet proditor: Ad illam lateris percuſſionem non movetur, nam Accepto pane ſurgens de menſa exit continuò, & feſtinat ad Judæos, ut habeat milites, *Et cum accepiſſet cohortem, & à Pontificibus & Phariſæis miniſtros, venit illuc cum laternis & facibus & armis.* Sciebat proditor Chriſtum inermem, paucos ſecum habere Diſcipulos: Cur ergo cum armis, laternis, & facibus venit? Loquetur pro me D. Cyrillus noſter Alexand: Venit tot ſtipatus militibus, quia ſolus aut cum paucis venire non audet, venit cum luminibus, quia ab ipſis timet tenebris. *Magna quidem res conſcientiæ ſtimulus, qui quando quid mali agimus, etiam nullo præſente, ingenti nos metu agitat; Tale quid paſſus eſt proditor.* Urgebat judam remorſus, at iterum fruſtrà: Appropinquat Jeſu, ut oſculetur eum, qui dicit illi: *Juda oſculo Filium hominis tradis?* Vocat eum ex nomine, *Juda*, quod ſonat confeſſionem, ut eum vel ſic à peccati ſomno excitet: neque ad has percuſſiones potuit excitari; Quid factum? *Videns Judas, quod damnatus eſſet Jeſus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, dicens: Peccavi tradens ſanguinem juſtum;* quibus reſpondentibus: *Quid ad nos? Tu videris. Abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Audi modò verba Oris aurei: *Cum conſcientiæ cruciatus ferre non poſſet, adaptato ſibi laqueo ſe ſuſpendit.* Captive, putas edendo, bibendo, dormiendo oblatranti tibi conſcientiæ os obſtruere, ſtragulis te involvis, ne per interna crepitacula à ſomno tuo exciteris, ſed deciperis: indormi ut lubet, ſi ad remorſus conſcientiæ non exciteris habet Deus alios adhuc excitatores, quibus ſolet, etiam induratos, à ſomno excitare. Do probam in induratiſſimo.

Matth. 26. 21. Judais ſimilis factus.
Joan. 18. 3.
S. Cyrillus Alexand.
Matth. 27. 5.
S. Chryſoſt. in Pſalm. 5.
Sed Deus adhuc alios modos invenit excitandi te.

VI. Exod. 5. Deus liberaturus populum ſuum de Ægyptiaca ſervitute, mittit Moyſen ad induratum Pharaonem, qui nomine ejus dicat:

Hæc

Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Di-
Exodi 5. 1. *mitte populum meum, ut ſacrificet mihi in deſerto*; at ille, obſcuratum habens intellectum & induratam voluntatem, ſpreto Deo & legato ejus reſpondet: *Quis eſt Dominus ut*
Vers. 2. *audiam vocem ejus, & dimittam Iſrael? Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam.* Exſpectate tantiſper N. N. audietis eum brevi aliter cantantem. *Tolle*, inquit Deus Moyſi, *virgam tuam, & projice eam coram*
Vers. 7. *Pharaone & vertetur in colubrum*, qui
Vt patuit in plagis Pharaonis. eum exterreat. Percutit aquam fluminis, quæ converſa eſt in ſanguinem, ſed nec inde excitatus, aut factus melior. *Dixit Dominus ad Moyſen: Dic ad Aaron extende manum tuam ſuper fluvios ac rivos & paludes & educ*
Exodi 8. 5. *ranas ſuper terram Ægypti*: Ubique coaxat rana: ingrediuntur ranæ domum, cubile, ſtratumque ejus aſcendunt, ut ultrà dormire non lubeat &c. Audite modò loquentem: *Orate Dominum, ut auferat ranas à me & populo*
Vers. 8. *meo, & dimittam populum ut ſacrificet Domino.* Senſibilis quidem erat Pharaoni iſta percuſſio; at plagâ ceſſante, induratus Rex denuò renuit dimittere populum; Unde iterùm Deus per manum Aaron, percuſſit virgâ pulverem terræ: *Et facti ſunt cini-*
Vers. 17. *phes in hominibus & jumentis.* Malefici ejus percuſſionem hanc melius ſentiunt quàm ipſe; *Digitus Dei eſt, hic*, inquiunt illi. Quid tu ad ictum illum Pharao? clauſum eſt os ejus, & incidit iterùm in ſomnum. Iterùm ergò Dominus ad Moyſen: Immitte in eum, & in domos populi ejus omne genus muſcarum. Et venit muſca graviſſima in omnem terram Ægypti, & corrupta eſt terra ab hujuſmodi muſcis. Tunc Pharao: Vers. 24.
Ite, inquit, *& ſacrificate Deo in terra hac*, vultis plura? Promittit: *Ego dimittam vos, ut Sacrificetis Domino* Qui tandē populum dimiſit.
Deo veſtro in deſerto, verùmtamen longius ne abeatis, rogate pro me: Nec tamen hâc vice dimiſit populum, donec tandem peſte valdè gravi, in hominibus & jumentis plagâ ulcerum, grandine multâ nimis, locuſtis, tenebris denſiſſimis, & morte primogenitorum à ſomno excitatus, populum abire permiſerit: Audite jam Originem Hom. 3. in Exod. ad rem noſtram: *Iſte, qui modò dicit neſcio Dominum, poſteà cùm vim ſenſerit verberum dicturus* Origenes.
eſt: Orate pro me Dominum, cum ante verbera Dominum neſcit, verberatus ſupplicari pro ſe Dominum rogat. Captive, monet te Deus per Confeſſarios, & Concionatores ut à ſomno tuo exciteris: Habes internâ correctricē conſcientiam, & ne ſentias morſus, dentes ejus elimas, auſus dicere: *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus?* Dormiam ego, inquis, ſecurè, & nihil timeo: Itane? dum percuſſio interna te non excitat, percutit te Deus exteriùs in ſanguine, immittit ranas, ciniphes, muſcas, grandines, locuſtas, & tenebras, hoc eſt: mors uxorem, proles &c. abripit, ranarum inſtar coaxant inimici tui buccinantes ea, quæ tecta velles tenebris; rationales Ciniphes & muſcæ pungunt te undique, amici tui tamquam locuſtæ tranſiliunt à te: tam denſis te Deus tenebris tegit, ut quò te vertas neſcias, & tamen, quis crederet? Quantùmcumque percuſſus, necdum excitaris à ſomno, duriſſi- *Licet inſenſibilior ipſe ad hæc nondum exciteris.*

riſſimis ſed & ſuperbiſſimis quibuſvis peccatoribus factus in illa parte inſenſibilior.

VIII. Danielis 7. Vidit Daniel ſomnium, quod ipſe enarrat: Videbam, inquit, in viſione mea nocte: Et ecce quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari diverſæ inter ſe: *Prima quaſi leæna & alas habebat aquilæ,*

Dan. 7. 4.

aſpiciebam donec evulſæ ſunt alæ ejus, & ſublata eſt de terra, & ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei.

Prouitamen deberes facere non minus quàm leana Danielis.

Hic ſiſto; Portentum quippè grande eſt, quod alis donata, non moveat ſe ad volatum, nec ſublevet ſe de terra, alis verò evulſis, de terra ſe ſublevet in cœlum; *Et cor hominis datum eſt illi.*

Quæ alis ſuis jam avulſis Cœlos petiit.

Dicunt hic Interpretes, per hanc leænam adumbrari peccatorem beſtialem, diſſolutum, & ſcandaloſum, qui fortunæ alis ſublevatus à terra, pennis juventutis, ſanitatis, divitiarumque confiſus, fit ſuperbus, & rapax ut aquila, laſcivus & crudelis ut leæna: Sed ut de beſtia homo fiat, Deus alas evellit, tollit ab eo ſanitatem, mittit in lectum, lites ſuſcitat, aufert divitias, ad extremam reducit paupertatem, pennaſque evellit dignitatis & officii, ut his omnibus orbus de terra ſe, veluti alleviatus extollens, in cœlum oculos figat, & accepto corde hominis, chriſtianâ pietate ſe convertat ad Deum: Non ultra lupanaria, ſed templa frequentet: Non ſanguinem inimicorum, ſed lacrymas fundat: Non ultra chartas luſorias ſed manibus Roſaria terat: Nec amplius petra ſit ſcandali, ſed ſpeculum ædificationis. Sic eſt, inquit S. Anſelmus.

S. Anſelmus.

Adverſis irruentibus ſeparatur à terra fidelis anima, & cœlo ſit proxima. Ne tibi, captive, ſomnium videatur, quod dico, nominabo unum, quocum Deus ſic egit.

IX. 2. Paral. 33. Manaſſes ſceleratiſſimus princeps, quem umquam Judæa vidit, graviſſimum Deo bellum indixerat: Plorima idolis templa exſtruxerat, ad eorum cultum Dei populum provocaverat, & proprios filios idolis ſuis obtulerat: auguriis totus inhærens, omne ſtudium ad nicromantiam verterat, Dei ſervos fuerat perſecutus Prophetas occiderat, Iſaiam per medium diſſecârat Regis, cœleſtis contemptor in ipſo templo ſacro, Deo illuſerat, ſimulachra erigendo.

Et Manaſſes, qui omnibus orbatus ſe ad Deum convertit.

Multaque mala operatus coram Domino, ut irritaret eum. 2. Paral. 33.

Hæc omnia perpetrârat, felix, dives, voluptatibus affluens. Quis crederet tale monſtrum tandem ad Deum convertendum? Reſipuit interim Manaſſes, converſus ad Deum, humilis factus, devotus, totus pius, totus religioſus. Sed quomodò? *Percuſſo latere;* Calamitatibus, miſeriis percutit illum Deus, Aſſyrios immittit, capitur Manaſſes, in turrim conjicitur ferro gravis. Quid accidit? *Qui poſtquam coanguſtatus eſt, oravit Dominum Deum ſuum, & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum ſuorum. Deprecatuſque eſt eum, & obſecravit intentè, & exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jeruſalem in regnum ſuum, & cognovit Manaſſes, quod Dominus ipſe eſſet Deus.* Vers. 12.

Manaſſes, impium illud monſtrum: Ille Manaſſes, qui vitæ licentiâ diabolus erat incarnatus: Manaſſes, qui dum proſperâ fortunâ utebatur, nullam ini-

iniquitatem omiſit: *Poſtquam coanguſtatus eſt*, meminit Dei ſui, & nemini mortalium pietate & devotione ceſſit: Quando? *Poſtquam coanguſtatus eſt, egit pœnitentiam valdè.* In anguſtiis, oculis lacrymarum fluenta ſpargentibus, Deo fit ſupplex, pietatem ejus implorat, & totũ ſe Divinæ miſericordiæ committit. *Poſtquam coanguſtatus eſt*: Evertit idolorum templa & aras, lucos prophanos excidit, ſacri templi altaria, reſtauravit, Sacrificia Deo obtulit, & ſeveris edictis cavit, ne quiſquam alium adorare impoſterùm præſumeret, præter verum Deum Iſrael: reliquos deinde vitæ dies tranſegit Manaſſes in ſtupenda pietate ac virtute, & tandem ſanctè obiit. Audis hæc, Captive, Et non expergiſceris? à captivitate tua quoties percuſſit Deus latera tua, ut à ſomno te excitaret? Percutit adhuc indies interiùs, coanguſtans animam tuam; Percutit exterius afflictionibus, infirmitatibus, adeò coanguſtans te, ut quò te vertas, neſcias; poſtquam toties coanguſtatus es, adhuc ſtertis in fœtido tuo carcere, non cogitans de exitu? Si non verba, ſaltem verbera ſenſibilem te reddant, ne alioqui cogar dicere, te non ſolùm Manaſſe, ſed & beſtiis pejorem. *Percuſſiones non curans Goliæ ſimilis.*

X. 1. Reg. 17. 43. Deſcendens David in pugnam contra Philiſthæorum Achillẽ Goliath, non alia ſe cum arma portat quàm baculum & lapides quoſdam ſelectos cum funda: Ut gigas illum ſic appropinquantem vidit, ridens & cachinnans dicit illi: num tibi alia arma ſuppetunt? *Numquid ego canis ſum, quod tu venis ad me cum baculo?* Audit hæc verba *1. Reg. 17. 43.* D. Chryſoſt. Hom. de David & Goliath, & gigantem alloquitur: Non es canis, ô Goliath! Sed cane pejor, ille enim timet ſaxa & baculos, prævidet flagella, ad vocem Domini expaveſcit, percuti apprehendit, quod tu non times. *Pejor es cane, qui nec virgam metuis, nec Lapidem quo moriturus es, extimeſcis.* *S. Chryſoſt.* Ne ultrà, Captive, inquiras, undè tibi tot mala, quibus obrueris, Deus eſt, qui ad te venit cum baculo, ut percuſſus à peccati ſomno exciteris: Percutit te in bonis, fama &c. Si non expergiſcas toties percuſſus, *Pejor es cane, qui nec virgam metuis, nec Lapidem extimeſcis.* Imò Lapide inſenſibilior. *Es cane pejor eſt.*

XI. Num. 20. Petra ſemel aut bis percuſſa dat aquas, & tu poſt tot lateris percuſſiones non moveris nec excitaris; Audi de te conquerentem Prophetam Jeremiam c. 5. *Percuſſiſti eos Domine, & non doluerunt: attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam, induraverunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reverti*: Super hoc in ſtuporem datus D. Cyprianus Tract. cont. demet. exclamat: *Ecce verbera deſuper & flagella non deſunt, & trepidatio nulla, nulla formido eſt*: Ita ut inter ter tot percuſſiones & verbera adhuc dormiens dicere poſſis, quod habetur Prov. 23. *Verberaverunt me, ſed non dolui, traxerunt me, & ego non ſenſi*, nec ſum excitatus. Joël Propheta cap. 1. excandeſcit in te & tibi ſimiles: *Expergiſcimini ebrii, ſed flete & ululate omnes.* Quinam illi ebrii adeò profundo ſomno ſopiti? Gregorius Magnus. Libr. 34. Mor. cap. 40. novit ex nomine: *Numeror. 20. Ac rupe inſenſibilior. Ieremiæ 5. 3. S. Cyprianus. Prov. 23. 35. Joëlis 1. 5.*

R *Ebrii*

S. Gregorius. *Ebrii quippè vocati ſunt, qui mundi hujus amore confuſi, mala non ſentiunt, quæ patiuntur*, Subjungit: *Quid eſt ergò dicere: Expergiſcimini ebrii, & flete, niſi ſomnum veſtræ inſenſibilitatis excutite, & in devaſtatione cordis, tot tibi ſuccedentibus peſtibus, vigilantibus lamentis obviate?* In eandem ſententiam abit D. Hieronymus ſuper verbis Jeremiæ Thren. 2. *Replevit me amaritudinibus, & inebriavit me abſynthio. Licet amara ſint, quæ toleram, tamen* S. Hieronym. *eandem amaritudinem cæcitate cupiditatis, quaſi inſenſibilitate ebrietatis ignorant*; Hanc ob cauſam exacerbatus in te Propheta Regius querelas Deo deponit, dicens.

XII. Pſalm. 75. *Ab increpatione tua Domine, dormitaverunt omnes qui* Pſalm. 75. 7. *aſcenderunt equos.* Dum pſaltes Regius ſic Deum, te Auguſtinus alloquitur: *Attendat charitas veſtra rem* S. Auguſtin. *tremendam, increpatio ſtrepitum habet, ſtrepitus expergiſci ſolet homines facere.* Quomodò ergo poſſibile, ut ad ſtrepitum percuſſionum Dei non exciteris de profundo ſomno peccati? *Increpat Deus*, inquit Auguſtiſſimus, *& tu dormis? Certè mag-* Hinc iram *na ira increpantis eſt, magna ira*: Sed Dei meretur. quinam illi, qui tantæ iræ Dei ſe reos conſtituunt? *Qui aſcenderunt equos.* An igitur malum eſt equos aſcendere? deſuper audiendus Rufinus antiquus auctor *Quomodò inter tanta tonitrua adhuc dormiunt ſuperbi?* Rufinus. *Adhuc vitam veterem nolunt damnare, neque in novam vigilare? Quare hoc?* Reſpondet: *Niſi quia aſcenderunt equos, id eſt, extulerunt ſe in honoribus, in poteſtatibus, in incerto divitiarum. Tales ſunt equi eorum, quibus tamen indomitis, in æternum feruntur ſupplicium.* Nec mirum, quia quantùmcumque percuſſi, nolunt ſibi perſuadere percuſſiones illas à Deo venire. Ita Jeremias Propheta cap 5. 1. *Percuſſiſti eos, & non doluerunt.* Quomodò poteſt hoc fieri Propheta Jeremiæ 5. 3. ſancte? An captivum noſtrum adeò inſenſibilem putas, ut flagella non Datur cauſa cur ad ſentiat? Si percutiat Deus latera ejus, percuſſionem quomodò poteſt ſtare ut ſe percuti Dei non non credat? Quomodò? *Negave-* expergiſcat *runt Dominum, & dixerunt non eſt* peccator. *ipſe*: Credunt quidem quod flagella ſint flagella, ſed non credunt Dei eſſe flagella; Non credunt Deum eſſe, qui illos percutit; bella, defectum annonæ, peſtilentiam, inundationes, incendia, & terræ motus immittit Deus; at illi: *Negaverunt Dominum & dixerunt non eſt ipſe*, omnia ſorti tribuentes, ita ut meritò ingemiſcat D. Cyprianus. *Ecce irrogan-* S. Cyprian. *tur divinitùs plagæ, & nullus* Dei *metus eſt*. Sic ut de illis verificetur illud.

XIII. Jeremiæ cap. 6. *Fruſtra conflavit conflator: malitiæ enim eorum* Jerem. 6, 29. *non ſunt conſumptæ, argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos.* Chimicus ille Deus eſt, qui in variis Scripturæ locis hunc habitum induit, ut innuat quàm ſollicitè mundare illos ſtudeat à ſordibus eorum juxta illud Iſaiæ 1. *Convertam* Iſaiæ 1. 25. *manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam.* Si à me petas ubi? *In camino humiliationis.* Eccli. 2. 5. *At fruſtrà conflavit conflator*, Eccli. 2. 5. *vanè fortitudinem conſumpſi*, inquit Jeremias 6. cap. Vide & attende, Captive, num & tu ex illis ſis, qui ex percuſſionibus, quibus Deus illos percutit, loco quod expergiſcerent,

rent, altiùs indormiunt, & adeò perverſi ſunt, ut potius conſumi videatur fortitudo Dei in percutiendo (ut ita loquar) quàm malitia eorum à Deo percuſſa. Sicut meritò dicat Propheta: *Malitiæ eorum non ſunt conſumptæ.* Si tu ex illis es, hinc collige quanto ſopore opprimaris, ut non ſolùm Dei percuſſiones non ſentias, ſed quaſi fatigatum reddas percutientem te Deum, ut à ſomno te excitet. De te loquitur Jeremias Propheta cap. 5. *Percuſſiſti eos & non doluerunt, Attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam.* Audis horribile verbum *renuerunt*? Tanta eſt perverſitas tua, ut cedere nolis flagellis, quibus te percutit Deus, ut de peccato ſurgas: *Malitiæ eorum non ſunt conſumptæ*, ſed audi quid ſubdat Propheta: *Dominus projecit illos.* Non eſt Deus ultrà ſollicitus ut te excitet, non ultrà percutit, finit te dormire, quia videt percuſſiones ſuas inutiles, & hoc eſt quod dicit: *Projecit illos. Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum.* Antequam Deus te projiciat (ſpero enim quod necdum projectus ſis) vide miſericordiã ejus. adhuc ſemel te rogat Jeremiæ 6. *Erudire Jeruſalem ne fortè recedat anima mea à te.* O tremendam caſtigationem, non percuti à Deo! Tunc ſignum datur, quod Dominus projiciat te à ſe. *Auferetur zelus meus à te, nec iraſcar amplius.* Ezech. 16. Quamdiu te Deus percutit, habet zelum in te, hoc eſt zeloſus eſt pro te, pro ſalute tua ſollicitus, conſequenter ſignum quod te excitare velit de ſomno tuo & de carcere liberare; At econtra quando non iraſcitur amplius, quando percutere deſinit, ſed dormire te ſinit, ſignum eſt quod ad alium carcerem te reſervet, ad carcerem infernalem, carcerem æternum: Ne ex me hæc dicta putes, audi Chriſtum te alloquentem. Matthæi. 5. 25. *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exibis indè, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Adverſarius ille ad ſenſum SS. Patrum, alius eſt internus, alius externus. Internus eſt dictamen conſcientiæ tuæ quacum velut cum adverſario tibi luctandum; Hic habet juſtam prætenſionem adversùm te, & actualiter citat te coram judice, cui ſatisfacere poſſis vel viâ compoſitionis amicabilis, vel interventu compromiſſi, vel certè ſolutione actuali, ne poſtmodum condemneris ad ſolvendum omne debitum in ſummo rigore: Si caperes & intelligeres hanc veritatem, non te prçberes ad remorſus ejus, adeò inſenſibilem, ſed ad percuſſiones ejus de ſomno tuo ſurgeres; Quia licet dicatur *adverſarius*, non intendit niſi bonum, aliàs enim inimicus diceretur; Adverſarius dicitur quia adverſatur ſenſualitatibus tuis, non quia damnationem tuam vult. Externus verò, eſt virga & baculus, quibus Deus te percutit juxta illud Numeror. 22. *Ego veni ut adverſarer tibi, quia perverſa eſt via tua mihique contraria. Eſto conſentiens adverſario tuo*, inquit Chriſtus, *citò, dum es in via cum eo.* Dicit *citò* ne quæras tempus deliberandi, ſed *citò, citò*, dum ſentis te-

Jerem. 6. 29.

Cujus malitia quia non conſumitur adeò à Deo projicitur.

Ieremiæ 5. 3

Jeremiæ 6. Vers. 30.

Pſalm 80. 13.

Ieremiæ 6. 8.

Ezech. 16. 42.

Qui ex amore ſalutis ipſius flagella immiſerat.

Matth. 5.

Et tunc damnare parat cum ceſſat.

Duplex eſt adverſarius Captivi in bonum: conſcientia ejus, & virga Dei.

Num. 22. 32.

Si iſtis duobus non conſentiat citò, mittetur in alterũ carcerem.

morſum interiùs, & percuteris exteriùs, *Dum es in via cum eo*, quia poſt *viam*, id eſt, poſt hanc vitam, *Adverſarius tradet te judici*, non tamen ut adverſarius, ſed ut accuſator & actor, *Et judex tradet te miniſtro*, & mitteris in carcerem, de quo non exibis. Scio poſt hanc vitam duplicem dari carcerem: purgatorium & infernum. Unus è duobus erit tibi ſecundùm qualitatem delicti. Utrobique daturus Deo plenam ſatisfactionem: *Amen dico tibi non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem*: Particula *donec* ſæpè admittit terminum, & ſignificat id, quod futurum eſt, juxta illud Job. 14. *Expecto donec veniat immutatio mea*: Sæpè non admittit, & ſignificat id, quod numquam futurum eſt, juxta illud: *Donec deficiam non recedam ab innocentia mea*; Si quis purgatorio adjudicetur, exibit quidem inde, non tamen niſi ſatisfecerit in toto rigore: Si verò addicatur inferno, non exibit pro tota æternitate. Ille ergò adverſarius (conſcientia) poſt viam *tradet te judici & judex miniſtro*, & de terreno ac temporali tuo carcere, mitteris in infernalem & æternum. Tunc non ſolùm habebis accuſatricem conſcientiam, ſed & Angelum percuſſorem, melius dixero Deum ipſum, cujus modò non vis ſentire excitantes te percuſſiones: Si ergò adhuc tibi aures cordis ſint, erige illas, dum adhuc verbum facit ad te

Matth. 5. 26. Job. 14. 14 Iob. 27. 5. Amos 4. 1.

Probatur hoc pulcherrimè exemplo Samaritanorum.

XV. Amos 4. *Audite*, inquit, *verbum hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ*, audite vos, qui, dum Dei ſervitio totos vos dedere oporteret, facti captivi diaboli, quaſi bruta animalia laſcivientes de mundi hujus paſcuis vos impinguatis: Ut de ſomno vos excitarem, & de ſervitute diaboli vos eriperem, miſi in vos tantum ſtuporem dentium, tantamque indigentiam panum, ut beſtiarum inſtar, herbas terræ comedere coacti fueritis, & tamen quis ex iſta percuſſione ſecutus eſt fructus, dum habebatis, *Indigentiam panum in omnibus locis veſtris?* Miſi inſuper peſtem adeò horrendam, ut ob mortem potioris partis populi, manſerit quaſi ſterilis & deſerta patria veſtra, & vos, qui in vivis manſiſtis, quam vitæ mutationem feciſtis? *Non eſtis reverſi ad me, dicit Dominus.* Aliquot poſt annos *Prohibui à vobis imbrem, ita ut terra facta ſit arida*, nullos reddens fructus; Et quem inde fructum tuliſtis? *Et non rediſtis ad me, dicit Dominus.* Neque hîc deſtiti: *Percuſſi vos in vento urente & in aurugine multitudinem hortorum veſtrorum, & vinearum veſtrarum, oliveta veſtra & fruteta veſtra comedit eruca*; Et ne quidem ob hæc: *Rediſtis ad me dicit Dominus.* Et ecce miſi in vos horrida bella: *Miſi vos in mortem, percuſſi in gladio juvenes veſtros, & aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum in nares veſtras, & non rediſtis ad me dicit Dominus.* Tandem: *Subverti vos, ſic ut ſubvertit Deus Sodomam & Gomorrham, & facti eſtis quaſi torris raptus ab incendio*: Et nihilominus: *Non rediſtis ad me, dicit Dominus.* Quid factum? *Juravit Dominus Deus in ſancto, quia ecce dies venient ſuper vos, & levabunt vos in contis & reliquias veſtras in ollis ferventibus.* Addit his pauca

Vers. 6. Vers. 7. Vers. 9 Vers. 10. Vers. 11. Vers. 2. D. Hieronym.

pauca Eccleſiæ Doctor D. Hieronymus: *Qui virgâ Dei percutiente non ſe emendaverint, in ollam ſuccenſam mittentur inferni.* Hæc omnia iterum
Iſaiæ 50. 11. ipſe met confirmat Deus.

Et civitatis Jeruſalem. XVI. Iſaiæ 50. loquens Rebelli populo, & infelici civitati illorum Jeruſalem à Romanis deſtruendæ uſque ad ipſa fundamenta. Poſtquam exaggeraſſet flagella, tandem dicit illis. *De manu mea factum eſt hoc vobis, in doloribus dormietis.*
Dionyſ Cart. Quaſi diceret, inquit Dionyſius Carthuſianus *Meâ poteſtate ſecundùm ordinem Divinæ juſtitiæ illata ſunt vobis tanta tormenta à Romanis*, ut ita percuſſi, & virgâ cæſi, ſurgeretis de ſomno veſtro, & relictâ tandem ſervitute peccati, agnoſceretis miſerum ſtatum veſtrum; Sed quia video vos indies magis & magis peccatis indormire; *In doloribus dormietis*, condemnabo vos de carcere
Pſalm. 49. 32. ad carcerem, de ſomno ad ſomnum, de temporali ad ſempiternum: *Intelligite hæc qui obliviſcimini Deum.*
Jerem. 5. 12. Audiant hæc qui etiam ab eo percuſſi: *Negaverunt Dominum, & dixerunt non eſt ipſe.* Intellige hæc & tu, Captive: noli decipere animam tu-
Iſaiæ 10. 5. am, flagella quæ pateris, percuſſiones quas ſubis: *Virga furoris Domini & baculus ipſa ſunt.* Melius dixero: *Virga amoris Domini, & baculus ipſa ſunt.* Teſte pſalmiſtâ
Pſal. 22. 4. pſalmo 22. *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt:* Divina manus latera tua percutit, ut de ſomno te excitet & de carcere educat. Percutit te interius, ut illuminet obſcuratum intellectum, & miſerum ſtatum cognoſcas; percutit exterius, ut induratam voluntatem emolliat, & ex duro ſilice ignem amoris eliciat: Dominus enim Deus tuus ignis conſumens eſt: *Sed quid conſumit ignis iſte?* Quærit Origines Hom. 5. in Ezech. *Non ligna, quæ cernimus, ſed peccata.* O te felicem, Origenes.
ſi ut aurum in igne à peccati fæce purgeris! Væ autem ſi ad inſtar paleæ igne conſumaris, & in cineres redigaris, ut indè pejor reddaris: quia non reſtaret tibi niſi ignis æternus.

XVII. Si ergò ſapis dum adhuc tempus eſt, imitare alios quondam Captivos. Gen 42. 21. Filii Jacob qui fratrem vendiderant, in Ægyptum pro emendis frumentis à Patre miſſi ab eo cogniti, ac duriùs tractati in carcerem conjiciuntur, tunc illi: *Meritò hæc patimur quia peccavimus in fratrem noſtrum..... Idcircò venit ſuper nos iſta tribulatio.* Cur modò, & non ante, dum in ciſternam eum miſerunt, culpam agnoſcunt? Percuſſerat illos Deus in conſcientia: dixerant enim inter ſe, *Quid nobis prodeſt ſi occiderimus fratrem noſtrum & celaverimus ſanguinem ipſius?* ...... Manus noſtræ non polluantur: *Frater enim & caro noſtra eſt*; ſed percuſſio illa non poterat eos commovere, ut à venditione deſiſterent, at exteriùs percuſſi fame, egeſtate, & incarcceratione, tunc commiſſum crimen agnoſcunt: Fac & tu ſimiliter, Captive, ut te die craſtinâ inveniam excitatum.

Gen. 42. 21. *Hinc potius imitandi filii Jacob.* Gen. 37. 26.

FERIA II. DOMINICÆ III. ADVENTUS.

De captivitate Petri.

Excitavit eum dicens : Surge. Actor. 12.

I. QUis non miretur Captivũ noſtrũ ad tot repetitos ictus non excitari, nec verbera ſentire? Quis non dixerit illum lethargo potius, quàm ſomno correptum? Petebam heri undè illi tot remorſus conſcientiæ? Undè timores nocturni? Undè illi tot horrenda ſomnia? Undè tam frequentes gemitus? Cur adeò manes timeret, ut nec ſolus in tenebris eſſe audeat? Dicebam illi, venire hæc omnia à Deo latera ejus percutiente, ut de ſomno peccati evigilaret, nihilominus manebat dormiens, & tã multùm his movebatur, ac ſi lapideus fuiſſet, imò lapide inſenſibilior. Sperabam illum, ſi non ab internis, ſaltem ab externis percuſſionibus excitandum, cum Deus ſimilibus ſoleat etiam Pharaones, Nabuchodonoſores, Manaſſes excitare, ſed cane pejor, nec virgam metuebat, nec lapidẽ pertimeſcebat, econtrà ab increpatione magis indormiens, quantumcumque percuſſus, audebat negare Dominum, & dicere non eſt ipſe, qui plagas irrogat; Et exinde nullus in ipſo remanebat Dei metus, ſed omnem reſpuebat diſciplinam. Anhelo hodie ſcire conſtitutionem ipſius, & an adhuc dormiat, ac in illo ſtatu ſit, in quo ipſum heri reliqui. Nolo me deſuper informare, niſi ſalutatâ prius eâ, quàm Angelus ſalutavit: *Ave gratiâ plena.*

Stupendum quod ad percuſſiones Dei excitentur Nabuchodonoſores & Manaſſes, non tamen Captivus noſter.

II. Petrus Apoſtolus ex percuſſo latere de ſomno excitatus eſt. Sed, ut video, difficultas reſtat in ſurgendo, unde adhuc jacenti, & ſomnolento ait Angelus: *Surge.* Quid inde, ſi adhuc per horulam dormiviſſet? Metuit fortè Angelus, ne ſi moras necteret, excitarentur cuſtodes? *Non trepidantis eſt*, inquit D. Chryſoſtom. *Sed ſuadentis ne cunctetur*, & ne cunctando, iterùm in ſomnum incidat. NN. Laus Deo, tandem Captivus noſter eſt de ſomno excitatus, ita ut ex lumine, quod refulget in habitaculo, modò videat miſerum ſtatum, in quo fuit, & ex percuſſionibus, quas recepit, indurata ejus voluntas non parum ſit emollita; Sed licet ſit vigil, adhuc ſtertit in lecto, adhuc manet jacens, & ut vereor non videbo eum ante triduum ſuper pedes ſuos. Captive, quid agis? Pro amore Dei, *Surge.* Noli moras nectere, noli perdere tempus: *Surge. Surge* & noli tardare: *Surge*, inquam, quia niſi modò ſurgas dum potes, fortè non poteris dum voles. Hoc hodie oſtendo, dum incipio, aures præbete.

Cur Petrus jubeatur ſurgere.

S. Chryſoſt.

Ad cujus exemplum tandem expergiſcitur.

III. Lucæ 5. Offertur Chriſto paraliticus jacens in lecto (erat enim virtus Domini ad ſanandum eos, qui venerant ex omni Caſtello Galilææ & Judææ, & Jeruſalem) miſertus

ejus

ejus, ait Paralitico: *Tibi dico ſurge, tolle lectum tuum & vade in domum tuam*: Vix verbum *ſurge* audierat, & ecce *Confeſtim conſurgens*, nullas nectens moras, *Tulit lectum in quo jacebat, & abiit in domum ſuam, magnificans Deum.* Quis ille paraliticus, & quis lectus, in quo jacet? Dicant pro me SS. Patres Hieronymus & Hilarius: Paraliticus, eſt *Anima jacens in corpore ſuo virtutibus diſſolutis.* Jacens in lecto ſenſualitatum, malarum inclinationum, in lecto torporis & ignaviæ. Surgere verò, & lectum tollere, eſt à torpore ſe erigere, quia periculum eſt in mora. *Surgere*, inquit Rabanus eſt: *Animum à carnalibus abſtrahere, ire autem in domum ſuam*, eſt conſcientiam ſuam intrare, & miſerum animæ ſtatum intueri. Captive, jam excitatus es de ſomno tuo, ſed adhuc jaces in lecto, iterum rogo te: *Surge tolle lectum tuum*, & à torpore & ignavia, in quibus jaces, erige te, *Et vade in domum tuam.* Cum illuminatum habeas intellectum, intra conſcientiam tuam, ſtatum ejus perſcrutare, ejuſque cognoſce miſerias, rationes captivitatis tuæ examina: *Tibi, tibi*, dico *paralitice ſurge*: Si adhuc dicas vinctum te catenis, te per te ſurgere non poſſe, en tibi manum porrigit, qui per me tibi dicit *Surge*: Ille ſublevabit te, & de carcere educet. Diffidis? Alium paraliticum tibi ob oculos pono.

Lucæ 5. 24. Et cum paralitico monetur ſurgere.

S. Hieronym.

S. Hilarius.

Rabanus. Et quid hoc ſit.

IV. Joann. 5. Erat Hieroſolymis piſcina dicta Bethſaida, & in illa homo quidam habens triginta octo annos in infirmitate ſua: quem ut Jeſus vidit, dicit ei: *Surge, tolle grabatum tuum & ambula*: *& ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit grabatum ſuum & ambulabat.* NN. mei notate ordinem, quem ſervat Salvator: Primò dicit, *Surge, tolle grabatum & ambula.* Secundò; *Et ſtatim ſanus factus eſt ille.* Demùm: *Et ſuſtulit grabatum ſuum & ambulabat.* Num vobis videtur, quod oppoſitum dicere debuiſſet? Cur dicit: *Surge & ambula*, antequam dicat ſanus fias? Primò dicendum videtur: Sanus fias, & poſtea, *Surge tolle grabatum & ambula.* Sed cur ait *Surge*, antequam ſanus eſſet? Verſatur in ore omnium, Theologicum axioma: *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam ſuam*: Antequam ſanaret, voluit Salvator ut ex parte ſua faceret, quod poſſet, ſi non effectu, ſaltem affectu, utque ſaltem ſurgere tentaret, undè Vener. Beda in Cat. *Quid enim eſt dicere, ſurge & ambula, niſi à torpore & ignavia in quibus prius jacebas erigere, & in bonis operibus proficere ſtude.* Captive ſi illuminatus, ſi excitatus à Deo es, iterum, iterumque rogo te. *Surge, tolle grabatum tuum*; Sat diu lectum tenuiſti. A morte reſuſcitatum filium viduæ Naim imitare.

Ioann. 5. 8.

Idcò mandavit Chriſtus infirmo 38. annorum ſurgere.

Vener. Beda.

V. Lucæ 7. Effertur filius unicus matris ſuæ; accedit Chriſtus miſericordiâ motus, & tangens loculum ait defuncto: *Adoleſcens tibi dico, Surge.* Audit vocem, & ut audit: *Reſedit qui erat mortuus, & cæpit loqui, & dedit illum matri ſuæ.* Loculus eſt conſcientia peccatoris, quam Chriſtus tangit tripliciter, gratiâ inſpirationis, verbo prædicationis, flagello adverſitatis: Signa ergò hujus ſuſcitationis ſunt tria: *Reſedit, cæpit loqui, dedit matri ſuæ.* In his tribus actionibus

Sic etiam juſſus fuit ſurgere filius unicus matris. Lucæ 7.

nibus conſiderat Seraphicus Doctor Bonaventura, Captivi noſtri liberationem. *Reſedit*, ait, *per contritionem, quæ elevat caput à terra. Surgite poſtquàm ſederitis, qui manducatis panem doloris*. Pſalm. 126. 2. *Cæpit loqui per confeſſionem. Redditus eſt Matri Eccleſiæ per ſatisfactionem, quia ſatisfacere eſt debitum reddere, non tantùm* Deo Patri, *ſed etiam Matri Eccleſiæ.* Sed cur defunctum non vocat ex nomine? Cur non dicit, Petre, Joannes, Franciſce, ſed *Adoleſcens dico tibi, ſurge?* O profundiſſimum myſterium! *Adoleſcentem dixit* (Ugonis Cardinalis expoſitio eſt) *Adoleſcentem dixit, ut innueret quod inveterati in peccatis, vix reſurgunt.* Captive, ut miſericors Deus à ſomno te excitaret, & de carcere educeret, tetigit te non ſemel *gratiâ inſpirationis*: dum lumen refulſit in habitaculo; Magni conſilii Angelus aſtitit tibi pluſquàm centies clamans per ſuos, tùm Concionatores tùm Confeſſarios ut ſurgeres de ſomno tuo: *Surge*; at fruſtrà, ex utroque percuſſo latere externo & interno, excitatus quidem es, ſed, ut video, adhuc ſtertis in ſordidis ſtragulis tuis, non ſecus ac Moab qui Jeremiæ 48. *Requievit in fæcibus ſuis*. Proh pudor! Lucæ 8. Suſcitaturus Jeſus filiam Archi-Synagogi: *Clamavit dicens, puella tibi dico, ſurge, & ſurrexit continuò.* Et tu ad tot repetitos clamores manes jacens. *Numquid qui dormis non adjicies ut reſurgas?* An fortè tu ille, de quo dicit Iſaias: c. 24. *Eſt qui dormit & non addet ut reſurgat?* Si chara tibi animę ſalus eſt: *Surge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus*: Epheſ. 5. *Evigila, excute ſomnum*, inquit Auguſtinus. Hora jam eſt, cum eodem Apoſtolo te alloquor Rom. 13. *Hora jam eſt te de ſomno ſurgere.* Hora jam eſt, dùm *Lumen refulget in habitaculo; Nox præceſſit.* Si modò habeas illuminatum intellectum, *Surge*, hora jam eſt de ſomno ſurgere: *Quia tempus breve.* (Oris aurei verba ſunt Hom. 62. ad populum) *Quia tempus breve, & judicium præ foribus eſt, nemo debet dormire ſolem cernens* Surge ergò, *Dominus propè eſt.* In Adventu Dñi ſumus, vel ideò à ſomno peccati ſurgendum eſt: *Nunc enim proprior eſt noſtra ſalus, quàm cùm credidimus*, id eſt, quàm credamus. Dum aperta eſt janua miſericordiæ, quæ in Sabbatho claudetur ut habetur Ezech. 44. *Porta hæc clauſa erit, & non aperietur*: modò *Propior eſt noſtra ſalus.* Reſide ergò, loqui incipe, & redde te Deo & Eccleſię: Si prę nimio ſomno ſurgere te poſſe diffidas, juvabit te Chriſtus, eriget te & ſtatuet ſupra pedes tuos. *Surge*, ſtude ex parte tua, ne pigriteris, niſi enim jam expergefactus ſurgas, ſed adhuc lectum teneas, vereor ne tua expergefactio, nova fiat indormitio, & graviori denuò ſopore opprimaris. Non recedo à ſancto Captivo noſtro.

S. Bonavent. — *Cujus loculus conſcientiam figurabat, quàm Chriſtus tripliciter tangit.* — Ugo Cardin. — *Quare adoleſcens dictus fuerit.* — Ieremiæ 48. — Lucæ 8. — *Filia Archi-ſynagogi continuò ſurrexit.* — Iſaiæ 24. 20. — Epheſ. 5. — S. Auguſtin. in Pſal. 131. — Rom. 13. — S. Chryſoſt. — Phil. 4. 5. — Rom. 13. — *Et ſtatim ſurgendum eſt.*

VI. Actor. 12. Petro de ſomno excitato ait Angelus: *Surge velociter, circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me.* *Circumda*? cur non *indue*? Qualia erant veſtimenta iſtius temporis? convenit, quod non fuerint nodoſa, nec conſtiterint manicis compoſitis & ad brachia ſtringentibus, nec talia qualia videmus hodie ad ornatum compoſita: Ideò *circumda* non *indue*. Qui dormit & excitatur à cœlo deſuper, non diu occupetur ad veſtiendum, ſe nec diu

Et ideò ſimiliter juſſus eſt Petrus ſibi circumdare veſtimentum.

remaneat in lecto; *Circumda*, induat ſe illicò, ſtatimque ſurgat, ne alioquin contingat illi, quod ait Pſalmiſta pſalm. 72. *Velut ſomnium ſurgentium Domine, imaginem illorum ad nihilum rediges*: Velut ſomnium ſurgentium? quomodò ſurgens dormire dici poteſt? Si ſurgat quomodò dormit? ſi dormiat quomodò ſurgit? Vidiſtis indubiè aliquem manè excitatum laborare ut ſurgat: dum dulcis altuſque ſomnus interrumpitur, oſcitat, pandiculatur, conquiniſcit, terit oculos, petit veſtes, ſic tamen ut optet ſibi non obediri, mavult lectum tenere, oſtendens, quod invitus deſerat: Sicque ſomno prævalente, dormire iterùm incipit hoc eſt *ſomnium ſurgentium*, de quo Propheta; Ad quod vitandum ait Angelus Petro: *Circumda tibi veſtimentum tuum.* Hîc habetur ſecundùm Auguſtinum adumbratio ſomnolentæ & obdormientis animæ, quæ dum audit vocem: *Jam hora eſt nos de ſomno ſurgere*, ſi non ſurgat illicò, ſi oſcitare, conquiniſcere & oculos tergere incipiat, differatque circumdare ſibi veſtimentum gratiæ, iterùm cadet in ſomnum: Hoc de ſe deplorat D. Auguſtin. Lib. 8. Confeſſ. cap. 5. *Veluti ſomno aſſolet, dulciter premebar, & cogitationes quibus meditabar in te, ſimiles erant conatibus, expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine remerguntur.* Hoc prædico tibi, Captive, ſi excitatus ſtertas in lecto tuo, ſi non ſurgas velociter, reincides in ſomnum, ſi non in letargiam, ab illa non facilè poſteà excitandus. Nôſti differentiam inter ſomnum, ſoporem & letargiam? A ſomno facilè, à ſopore difficiliùs, à letargia difficillimè quis excitatur, probo quod aſſero.

Pſal. 72. 20.

Ne differens forſan ad nihilum redigeretur.

Rom. 13. 11.

S. Auguſtinus

VII. Lucæ 8. Venit Princeps quidam nomine Jairus ad Chriſtum rogans eum, ut intraret domum ejus, intrans Jeſus domum ait puellæ: *Puella ſurge, & ſurrexit continuò.* Lucæ 7. Effertur filius unicus matris ſuæ viduæ ut eum à ſomno mortis excitet, *acceſſit & tetigit loculum.* Tunc demum ait: *Adoleſcens tibi dico: ſurge, & reſedit, qui erat mortuus.* Joannis 11. Reſuſcitaturus Lazarum quatriduanum, bis infremuit ſpiritu, lacrymatur, turbat ſe, *Et voce magnâ clamavit: Lazare veni foras*: notate differentiam N. N. in reſuſcitando, & unà myſterium in reſuſcitato, ut diceret Chriſtus: *Lazare veni foras*, dicit Evangeliſta, *ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes inſtitis, & facies ejus ſudario erat ligata*, Cur, quæſo, *ſtatim*, & tanta cum feſtinatione? dicat pro me rationem D. Chryſoſt. Serm. de Lazaro: *Lazarus exivit de ſepulchro cum linteaminibus, ne tardus juſſionibus Dei notaretur; ſi vel breviſſimum tempus in ſolvendis linteaminibus conſumeret.* Oſtendit Chriſtus in Lazaro cujus naturæ & qualitatis ſit dormientium, ſignanter letargicorum excitatio, requirens ab illis promptam obedientiam, ut ſurgant illicò de lecto, & foras veniant, ſicut ille fecit, qui maluit obductâ facie, & inſtar malefactoris manibus & pedibus ligati, in præſentia Chriſti & aſſiſtentium ſe ſiſtere, quàm vel ad momentum non obedire Deo reſuſcitanti. Audi hoc Captive,

Luc. 7. 15.

Lazarus adhuc ligatus prodiit.

Joan. 11. 44

Et ideò propter lites & occaſiones procraſtinanda non eſt ſpiritualis reſurrectio.

D. Chryſoſt.

tive, à Deo excitate, & adhuc in lecto ſtertens, & vide ne dicas, dum tibi ſurgendum eſt velociter, priùs revelandam eſſe faciem à lite quàm habes, relaxandas priùs manus à temporali intereſſe, diſſolvendoſque pedes ab occaſionibus, quibus ligaris: Vereor enim & meritò vereor ne tunc unquam veniatur ad rem, ſed econtrà torpori & ignaviæ indulgens lectum teneas, ſicque de te verificetur, quod Job ait cap. 18. *Immiſit in rete pedes ſuos, & in maculis ejus ambulat.* Hoc eſt, inquit S. Greg. Lib. 14. Mor. cap. 5. ſicut, cum quis pedes in rete injicit, non cum voluerit exit, ſic qui in peccata ſe dejicit, & excitatus à Deo, monitus ut ſurgat, non obedit illicò, ſed dicit: Surgam poſteà, tantiſper quieſcam, certum eſt: *Quod non mox ut voluerit ſurget, ſed cum ſe expedire ad ambulandum nititur, ne ambulet obligatur.* Unde ſi ſapis, ſequere ſapiens conſilium.

Job. 18. 8.

D. Gregorius.

VIII. Eccli. 5. 8. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Incuriam tuam, ineptiam tuam, amentiam tuam reprehendens D. Ambroſ. te alloquitur Lib. de Elia & jejunio cap. 22. *Si aurum tibi offeram non mihi dicis cras veniam, ſed jam exigis, nemo differt, nemo excuſat*; Et ubi agitur de anima tua, de æterna ſalute, *Redemptio animæ promittitur, & nemo feſtinat.* Captive, quæ remora detinet curſum ſalutis tuæ? Aut quæ ſpes vana perſtringit oculos mentis tuæ, ut imminens animæ tuæ periculum non perſpicias? Fortè allegabis criminum gravitatem, ob quæ in carcerem miſſus es, & diuturnitatem incarcerationis; Peto quot peccatis modò graveris? Ob quæ crimina miſſus ſis in carcerem? & quantum temporis ſit, à quo factus es captivus? Dices fortè à quinque aut ſex menſibus, crimina autem ſex aut ſeptem: Et ob illa detinet te diabolus in ſuo carcere, ut de lecto tuo, in quo jaces ſurgere non valeas? ita, ſic eſt. Jam argumentor: Si ob pauca illa peccata difficultatem habeas, ut ſurgas de lecto tuo, & ad Deum te convertas, & ſi tam exiguo temporis ſpatio, quo in carcere fuiſti, amara facta ſit tibi pœnitentia, quid erit, quando ad iſtos menſes acceſſerint duo, tres, quatuor aut plures anni? Quando dictis peccatis accreverint decem, viginti, quinquaginta & fortè plura etiam graviora? Profectò Cyrillus noſter Alexandrinus Lib. 4. in Joannis cap. 17. ad talem Captivorum corruptiſſimam replicam ſilere non potuit: *Quando igitur*, inquit, *quicumque tu es, qui iſta dicis, quando dignus eris? quando Chriſto te ipſum offeres? Nam ſi peccando indignus es, & peccare non deſinis, (quis enim delicta intelligit ſecundum Pſalmiſtam) Expers omninò eris vivificæ hujus ſanctificationis.* Et ad deſperationem tandem per tales cogitationes degenerans, in impœnitentia ſæpè finali ex hac ærumnoſa captivitate ad æternam tranſires. Quare & adhortatur ibidem ut caveremus, *Ne loco laquei damnoſam religionem diabolus nobis prætendat.* Vel certè, addo ego, ne nos ipſi nobis difficultatem inſuperabilem malè fingamus in præcepto: Deus enim qui mandat ut ſurgamus impoſſibilia non præcipit,

Eccli. 5. 8.

S. Ambroſius. *Maximè cum temporale lucrũ non differas, & ſpirituale præferendũ ſit.*

Excuſationes quæ in contra adſeruntur mille ſunt, & tantum decipiunt.

Cyrill. Alex.

pit, Auguſtino & Tridentino dicentibus. Si verò nimium præſumptuoſus ex oppoſita parte mihi dicas: non ſunt primæ vices, quibus incarceratus ſum, & de carcere liberatus, licet à Deo excitatus jam adhuc lectum detineam, expediam me poſteà ut antè feci. Cave profectò, cave, ne eoſdem computus faciens, quos olim Sampſon, eâdem etiam menſurâ, ſi non pejori, remetiatur tibi.

IX. Judicum 16. deſcribit Spiritus S. Sampſonis caſum, deplorandum quidem, ejus tamen temeritati tribuendum: caſus eſt curioſus, licet notiſſimus; ceciderat ille in manus Dalilæ, quæ à Philiſtæis ſubornata, tentavit ut diſceret ab illo, in quo lateret fortitudo ejus, & quomodò ſuperare eum poſſent Philiſtæi vinctumque abducere. Hic ſemel, etiam bis ab illa deceptus, & in manus inimicorum traditus, ac ab iis vinctus, ruptis ſecundò vinculis, eò cæcitatis devenit, ut illi detexerit ſecretum dicens: *Si raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea.* Tunc illa (*Judic. 16. 17.*) vocatis iterùm Philiſtæis dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput, raſiſque ſeptem crinibus ejus abegit eum, & à ſe repulit clamans: *Philiſtiim ſuper te Sampſon.* At ille ſubridens, putans, ut ante evadere, de ſomno conſurgens ait: *Egrediar ſicut ante feci, & me excutiam.* Sed deceptus eſt, quia *Receſſerat ab eo Dominus.* Unde ligatus, captus & excæcatus ductus eſt in carcerem: Legite NN. totam S. Scripturam non invenietis exemplum vivaciùs exprimens ſtatũ Captivi noſtri: ſic eſt Captive, de

Vt patuit in Sampſone.

te narratur non fabula ſed veritas.

X. Quid Samſonem perdidit? An ſolus amor ergà Dalilam? Minimè: temeritas cauſa eſt ruinæ, temeritas evadendi iterum periculum, quia ante evaſerat: *Egrediar ſicut ante feci & me excutiam* Ille paralogiſmus perdidit illum: & ille perdet te, Captive. (*Vers. 20.*) Dormientem te in carcere, vinctumque catenis, Deus excitavit non ſemel, & de carcere eduxit; iterum captivus ductus, vinctuſque à Deo excitaris, at quieſcens in ſinu Dalilæ minimè veritus quod Dominus recedet à te dicis, in corde tuo: *Egrediar ſicut ante feci, & me expediam*: O diabolicum paralogiſmum! Vide, ſi ſapis, ne tibi contingat, quod olim Diogeni.

XI. Florebat ille in inſula Rhodo tanquam litterarum profeſſor famoſiſſimus: Tiberius Cæſar illuc tranſeunter appulit, cupiens audire Diogenem & videre: Unde dignatione & humanitate indicibili, ad ædes ejus ſe contulit, cui poſt petitam & non obtentam audientiam, reſponderi juſſit Diogenes: *Redeat poſt ſeptem dies.* Contigit, quod Romæ exiſtenti Tiberio, ab eo audientiam petiturus, libellum obtulerit inurbanitatis ſuæ immemor: Quo viſo, ut intellexit Cæſar, illum à Diogene Rhodano offerri, reſpondit: *Veniat poſt ſeptem annos.* Et ſic repulſam paſſus eſt ab eo, quem antè repulerat, dicens Cæſari: *Redeat poſt ſeptem dies.* Captive, numquid tu ille, ad cujus oſtium non ſemel pulſavit Rex regum & Dominus dominantium? Non ſimpliciter habiturus audientiam, ſed te de carcere liberaturus, in quo vinctus eras, nec unquam in-

Diogenis exemplum ad hoc etiam adducitur.

de, niſi per ipſum liberandus? Quoties lumen ejus refulſit in habitaculo tuo? quoties à mortali ſomno excitavit te, rogavitque ut ſurgeres? *Surge*, & quid reſpondiſti? *Redeat poſt ſeptem dies.* Non habeo tempus, non poſſum jam ſurgere, nec. dum lubet, peragenda prius ſunt negotia, merces expediendæ, &c. *Redeat poſt ſeptem dies.* Moveris interiùs, ut te reconcilies Deo, & dicis: Inſtant Natalitia: *Redeat poſt ſeptem dies*; Inſtat hebdommada ſancta, poſt ſeptem dies erit Paſcha, tunc ſurgam, redeat tunc: *Redeat poſt ſeptem dies.* Quid? Deus *Redeat*? dicere Deo *Redeat*? Deo qui venit tecum acturus de negotio ſummi momenti, quale eſt ſalus animæ tuæ & æternitatis? Deo, qui tibi offert primum annulum catenæ prædeſtinationis tuæ? illi dicere *Redeat*? Quando, tu petes audientiam à Deo, quando eris in ſummis mortis anguſtiis: vereor certè ne ſimiliter tunc tibi reſpondeat, & juſtè quidem: *Redeat poſt ſeptem annos*, & interim relinquet te in lecto deſtitutũ auxiliis efficacibus, ut tractus gratiarum non ſentias, aut ex febre maligna delirus, incapax futurus ſis ad pœnitendum: *Redeat poſt ſeptem annos.* Si apoplexiâ tangaris, quid tunc erit de te? dicis in præſenti in corde tuo: tunc vocabo aliquem, confitebor tunc. Sed Deus permittet forſan quod non invenietur Parochus aut Confeſſarius: quodque audies. *Redeat poſt ſeptem annos*: Quid ſi ex vulnere, caſu &c. Mors improviſa ſequatur? Tunc vocabo ....& Deus..., .Tunc ſurgam de ſtrato meo, tunc pœnitebo &c. Præ dico tibi, ſi modò non ſurgas dum potes, non poteris dum voles: Et ut hoc tibi probem, nil jam mihi cum Diogene, nil cum Tiberio: dum Deum habeo alloquentem te, & hæc mala tibi met prædicentem.

XII. Prov. 1. 24. *Vocavi & renuiſtis, extendi manum meam & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes neglexiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo vos, cum vobis id, quod timebatis, advenerit; quandò veniet ſuper eos tribulatio & anguſtia, tunc invocabunt me, & non exaudiam: eò quod exoſam habuerint diſciplinam.* Non eſt verbum, quod non quadret tibi, Captive: *Vocavi & renuiſti.* Millenis illuminationibus & inſpirationibus internis, vocavi te ad pœnitentiam, invitavi ad Confeſſionem Sacramentalem, & ſemper Spiritui ſancto reſtitiſti: *Extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret*: millies extendi auxiliatrices manus meas ad facilitandum partum peccatorum tuorum, offerens tibi ſinum meum, & vulnera in lectum, in quo quieſceres, & non es dignatus me aſpicere. *Deſpexiſti omne conſilium meum.* Miſi ad te Angelos meos, id eſt, Concionatores & Confeſſarios, qui excitarent te à ſomno peccati, & conſulerent frequentare Sacramenta, & riſiſti eos, nequidem dignatus illos audire: *Increpationes meas neglexiſti.* Percuſſi latera tua, per conſcientiæ remorſus, per timores nocturnos, etiam per ſomnia, percuſſi te infirmitatibus, tribulationibus & plagis multis, ut te excitarem, & excitatus ſurgeres de miſero ſtatu tuo, *& increpationes meas* ne-

Prov. 1. 21.

Sed adhuc magis roboratur ex teſtimonio prima veritatis.

neglexiſti: Differendo de die in diem; Crocitando indies cras cras. Tu ita mecum egiſti hactenus: *Ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Veniet tempus, quo voles ſurgere & defectu gratiæ efficacis, quam juſtiſſimè tunc denegabo, non ſurges. *Tunc invocabunt me & non exaudiam.* Apertè loquor, concludit Deus, non in umbra, nec in parabolis: tunc implorabis auxilium meum & miſericordiam, & non invenies auxilium, quod efficaciter te conducet ad pœnitentiam, ad confeſſionem validam, quia juſto meo judicio: *Non exaudiam, non exaudiam.* Subſannabo te, cùm tibi id, quod timebas advenerit. Quando veniet ſuper te tribulatio & anguſtia, tunc invocabis me, & non exaudiam, *eò quod exoſam habueris diſciplinam.* Anima Captiva, verba ſunt hæc ſacræ Scripturæ, verba Spiritûs ſancti, verba veritatis infallibilis, verba Dei mentiri neſcii, & heu! exclamat D. Gregorius Lib. 7. Paſtoral. Admon. 13. *Hæc dicit Dominus, & tu audes inſpirationibus ejus aures occludere?* Ubi Deus tanto rigore minatur: audes etiam hòc momento quo, ad pœnitentiam te invitat, aures ei occludere, & differre de die in diem? Attende: *Ne ſi, cum Deo placere poſſunt, noluerint, ſerò non poſſint.* Ad quid ergo te reſolvis, peccator? Vel ſurgere de lecto peccati & confiteri, vel mori impœnitens? Si te tædeat hodie ſurgere, cras poteris difficiliùs; Si non poſſis hodie, cras minus poteris. *Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.* Surge ergo hodie, ne tenendo lectum Dei miſericordiâ indignum te reddas.

D. Gregor.

XIII. Exodi 21. 5. Loquitur Deus Moyſi: Hæc ſunt judicia, quæ propones populo tuo, &c. *Si emeris ſervum Hebræum, ſex annis ſerviet tibi, in ſeptimo egredietur liber gratis.* Quod ſi quis ſervum emiſſet Hebræum, eo per ſexennium ut ſervo uteretur, ſeptimo autem anno liberum dimitteret; quòd ſi verò Domini ſui amore captus, ſervitutem præferret libertati, & juri ſuo cederet, condemnandus eſſet ad perpetuam ſervitutem: *Quod ſi dixerit ſervus diligo Dominum meum & uxorem & liberos, non egrediar liber: offeret eum Dominus dîs, & applicabitur ad oſtium & poſtes, perforabitque aurem ejus ſubula & erit ei ſervus in ſeculum.* Quis ſimilem non habeat pro infami? Quis tam demens eſt, ut ſpretâ libertate voluntariâ, perpetuam ſuſcipiat ſervitutem? Tu es ille vir, Captive, qui oblatâ promptâ occaſione excutiendæ miſeræ ſervitutis peccati, & recuperandæ per pœnitentiam libertatis, illam reſpuis. Sed cur tali auris perforatur? Cur? quia, qui Deum audire renuit, qui pœnitentiam de die in diem differt, & de peccato ſurgere negligit, meritò audiendi ſenſum perdit, ut pœnitere poſteà nequeat, & quaſi impoſſibilis reddatur ei converſio: Non eſt qui hîc meliùs & terſiùs ad rem noſtram loquitur quàm Philo Hebr. Lib. de Cherub. *Si reſpondeat, contentus ſum Domino meo, & uxore, omnibuſque liberis, nolo poſt hæc eſſe liber, adductus ad tribunal Dei, judicante ipſo, ferenteque ſententiam habebit quod poſtulavit, perforatâ primùm auriculâ, ne exaudiat*

Et domeſtica nolentium de captivitate diabolica ſurgere oſtenditur.

Exodi 21. 5.

Philo Hebr.

audiat Dei verba de libertate animæ, hic enim eſt veluti rejectus à ſacro certamine reprobatuſque. Captive, jam ego te alloquor, invitat te Deus ad beatam libertatem, & non acceptas? quid dico, non acceptas? ſpernis illam, retinens amanſque ſervitutem; quanta hæc infamia, quanta ignominia, præferre miſerrimam ſervitutem ſuaviſſimæ libertati! Peto à te ipſo quam pœnam mereri te cenſeas? dic candidè, nonne ſic faciens miſericordiâ Dei indignum te judicas? nonne perpetuâ mulctandum ſervitute, nonne perpetuâ pœnâ dignum? te etiam tacente, teſtabitur hoc mundus univerſus.

Quæ impœnitentes perdidit in diebus Noë. Gen. 7. 16. XIV. Gen. 7. 16. Seculo integro eviſcerabat ſe Noë, ut perverſi homines ſui temporis, mores mutarent & vitam: prædicabat verbo & opere, at ſemper fruſtrà, inſurdeſcebant enim in aure cordis, amore creaturarum magis allecti, quàm Creatoris. Arcam ingreditur Noë cum tota familia, ridebant illi, & non convertebantur, aperiuntur cataractæ Cœli, pluit Dominus quadraginta diebus & quadraginta noctibus, intumeſcebant fluvii, multiplicabantur aquæ: mirabantur illi, & non convertebantur: elevabant aquæ Arcam in ſublime, & hoc videbant, ſed non convertebantur: Adeò prævalebant aquæ ut operti fuerint montes omnes excelſi, ſtupebant illi & tremebant, ſed non convertebantur. Crediderim cum Alapide & Lyrano in Gen. 7. 16. Quod tunc illi plus ſemel oculos attulerint ad Arcam illam, vel certè, quod anxietate pleni ad Noë clamaverint, miſericordiam & auxilium rogantes, at fruſtra: quia clauſa erat arca deforis, ita ut Noë aperire illam non potuerit: *Incluſit eum Dominus deforis*, quaſi diceret: quando potuiſtis ſalvari, noluiſtis, modò cum vultis, clauſum eſt oſtium miſericordiæ. Captive, clamat Deus, clamant Confeſſarii, clamant Concionatores, clamant *Surge*. Ad pœnitentiam & vitæ emendationem te invitant, modò tibi facile eſt ſalutem conſequi, Arca miſericordiæ aperta eſt, benigniſſimus Deus te expectat; ſed ſi negligens exſpectes: *In diluvio aquarum multarum*: uſque dum inundabunt in te mala, dum fortè voles, audies *Clauſit oſtium Dominus*. Audi proindè dum adhuc tempus eſt. S. Ephrem Serm. 1. de Pentec. clamantem ad te: *Ecce oſtium pœnitentiæ apertum eſt, feſtina, peccator, priuſquam illud occludatur*: & jungit ſe Magnus Auguſtinus Ephremo Serm. 18. de tempore. *Sine ulla mora medicamentum pœnitentiæ feſtinemus animarum noſtrarum vulneribus adhibere.* Si ergò tibi chara eſt anima, quæ Deo tuo tanti conſtitit rogo te, ſupplico te, atque conjuro, ut ſurgas de lecto torporis & ignaviæ, ne differas de die in diē pœnitere, & converti ad Deum. Si recluſus eſſes tenebroſo in carcere, & quidem cum mortis periculo, numquid omni modò poſſibili ſtuderes ex illo liberari? Scio, ſcio, & ipſe noſti, quod nec pecuniis, nec amicis, nec labori parceres. *Pellem enim pro pelle, & cuncta quæ habet dabit homo pro anima ſua*, inquit Job. 2.

Pſalm. 31. 6. S. Ephrem. S. Auguſtinus. Job 2. 4.

Et

Et interim, ô te miſerum! factus es Captivus diaboli, horrendo incluſus carceri, funibus peccatorum conſtrictus, in continuo periculo perdendi vitam & animam, & non es ſollicitus, ut ab ejus tyrannide libereris? quanto gaudio per hoc afficis diabolum!

S. Antiochus. *Certè ridet dæmon ad hanc hominum inſaniam.*

XV. Graviſſima & digniſſima ſententia eſt S. Antiochi Homil. 7. de Pœnitent. *Dum lenteſcimus, & cunctamur converti, plenum paramus dæmoni gaudium:* Verba profundiſſima! dum pigri ad bene operandum, dum lenti ad vitæ emendationem, dum obſtinati in malo ſumus, & pœnitentiam differimus, tunc dæmoni exhibetur gaudium, tunc gaudium ejus fit plenum. Joan. 16. dicit Chriſtus Apoſtolis ſuis: *Vſque modò non petiſtis quidquam in nomine meo. Petite & accipietis ut gaudium veſtrum ſit plenum.* Quale hoc gaudium eſt? ubi, & quando erit? In cœlis, inquit Auguſtinus Tract. 12. in Joannem: *Quando tantùm erit ut ei aliquid jam non ſit addendum, tunc erit plenum.* Gaudet dæmon, dum peccator fit Captivus ejus, dum ſecurè dormit in carcere, ſed tunc plenè gaudet, tunc gaudium ejus fit plenum, quandò à Deo excitatus ut miſeram captivitatem cognoſcat, mavult lectum tenere, ſuoque manere in carcere; quàm per pœnitentiam de illo educi, tunc tam certò illum pro ſuo reputat, quaſi jam in inferno ipſum detineret.

Joan. 16. 24.

S. Auguſtinus.

Qui plenũ ei faciunt gaudium.

Filio prodigo pejores eſſe.

XVI. Quantum ergò ab illo abhorres, Captive, tantùm feſtina, & à ſomno excitatus, ac in te reverſus, dic cum prodigo: Lucæ 15. *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in Cœlum & coram te.* Ille, ut ait Titus Boſtrenſis: *Surrexit è peccatorum, Cathedra. Et ibo ad Patrem meum,* inquit idem Pater. *Hoc eſt, pulchrè eò revertar, unde turpiter deceſſi. Ibo,* peccato relicto: *Quia penes extraneum,* inquit D. Chryſologus Serm. 1. *ſervam ſenſerat libertatem, penes Patrem credit ſibi futuram liberam ſervitutem.* Dicam ei: *Pater peccavi in Cœlum & coram te: jam non ſum dignus vocari filius tuus.* Quia ab obedientia tua me ſubduxi. *Et quia,* ut ait D. Hieronymus Epiſt. 146. *Servus eſſe malui idolorum, id eſt, vitiorum. Et ſurgens venit ad Patrem,* nec moras traxit, nec conſultationem fecit; *Non enim ſatis eſt dicere, niſi ad Patrem veniat,* inquit D. Ambroſius in Comment. *Vade igitur & tu fac ſimiliter,* ut te cras non ultrà jacentem inveniam. Ergò in craſtinum.

81. Lucæ 15.

D. Chryſologus.

D. Hieronymus.

D. Ambroſius.

FERIA

FERIA III. DOMINICÆ III. ADVENTUS.

De Captivitate Petri.

Surge Velociter. Act. 12.

I. CAptive, adhuc ſtertis in lecto, quamquam de ſomno excitatus? ſi me heri audire nolueris, iterum tibi dico hodie: *Surge: tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*, Surge de torpore & ignavia, in quibus jaces, erige te & intra conſcientiam tuam, intuere miſerum ſtatum conſcientiæ tuæ. Paraliticus triginta octo annos habens in infirmitate ſua ut audiit: *Surge tolle grabatum tuum*, ſtatim ſuſtulit grabatum & ambulabat. Defunctus Naim, ut audit: *Adoleſcens tibi dico ſurge*, reſedit illicò, & tibi fortè centies dictum eſt *Surge*, & adhuc jaces intra ſtragulas? vereor ne tibi contingat, quod heri dicebat Pſalmiſta: *Velut ſomnium ſurgentium Domine imaginem illorum ad nihilum rediges*: Vereor inquam ne ſimilis fias de lecto ſurgere volentibus, qui ſuperati ſoporis altitudine remerguntur, ſicque de ſomno in letargiam incidas. Unde iterùm atque iterùm te rogo: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Surge, noli tardare, quia niſi modò ſurgas dum potes, fortè non poteris dum voles. *Neſcit enim tarda molimina Spiritûs ſancti gratia*, inquit Thomas à Kempis; noli dicere cum Sampſone, licet modò ſim vinctus in carcere: *Egrediar ſicut ante feci, & me expediam*, quia fortè tunc: *Recedet à te fortitudo Dei, auxilium ejus efficax*, & auxilium quo fieret ut faceres: audiſti ex ore Dei: *Vocavi & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes neglexiſtis, quando veniet ſuper vos tribulatio & anguſtia, tunc invocabunt me, & non exaudiam.* Hæc dicit Dominus, & tu audes adhuc inſpirationibus, & vocationibus ejus aures occludere? Et tu audes dicere Deo: convertam me, ſurgam poſteà, quando nempè lubuerit? certe, ſi ſapias, ſequeris conſilium D. Auguſtini; *Sine ulla mora medicamentum pœnitentiæ feſtinemus animarum noſtrarum vulneribus adhibere*, dum adhuc oſtium pœnitentiæ apertum eſt; ne alioquin claudat oſtium Dominus. Super his habeo hodie ad te multa, non exordiar, niſi prius dixero *Ave Maria.*

Paraliticus ſurrexit, Filius Naim ſurrexit.

Surge & tu, ne poſteà non poſſis cum voles.

Prov. 1.

D. Auguſtinus.

II. Quid ſibi vult, quod Angelus, qui Petrum percutiendo à ſomno excitaverat, adeò ſollicitus ſit & feſtinus, ut de lecto ſuo ſurgeret: *Surge velociter*? cur non indulget adhuc horulam quietis? num veretur anguſtias temporis & periculum moræ? non ſane: Sed voluit eum ad liberationem ſuam magis expeditum reddere, ut tu, Captive diaboli

Malè dicens faciam poſteà.

diaboli inde colligas; quod *Facilis deſcenſus Averni eſt, ſed revocare gradum, ſuperaſque evadere in auras, hoc opus, hic labor eſt.* Hortabar te heri, de lecto tuo ut ſurgeres, & adhuc jaces? Iterùm te rogo: *Surge, & fuge velociter*, quia periculum eſt in mora. Sed, ut video, benè dares mihi reſponſum olim à tibi ſimili datum Auguſtino: *Facio quod me delectat, poſteà pœnitentiam agam*. Teneo me ſuper lectum plumeum laſcivarum delectationum, ſurgam in fine vitæ: tunc ero ſollicitus pro anima, quandò ultrà non potero pro corpore: ſicq; non ſolùm differs de die in diem, de menſe in menſem, de anno in annum, ſed ad mortalem infirmitatem, ad mortis periculum. Si tibi hic computus ſit, ne fortè te deceptum invenias, audi rationes, quas hodie contra te adduco. Voſque N. N. præbete benignas aures, & judicate quàm temerè agat Captivus noſter, & quomodò ludat cum anima ſua. Incipio.

S. Auguſtinus.

Job 24. 23. *Et adhuc pejus abutẽs medio pœnitentiæ ad ſuperbiam.*

III. Propheta Job de Captivo noſtro loquitur Cap. 24. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam.* O rem mirandam! *Deus*, Dominus immenſæ majeſtatis, offenſus, læſus, à quo? à te, à verme viliſſimo, à ſubdito ſuo, à mancipio ſuo, *Dedit ei*, tibi dedit, non ex debito, ſed ex puro affectu, & dono merè gratuito; *Locum pœnitentiæ*, & tempus pœnitendi, dedit ſtimulos, dedit auxilia, & etiamnùm dat: & tu quid facis? *Et abutitur eo in ſuperbiam.* Nempè peccando liberiùs, eo abuteris. O rem ſtupendam! quis crederet, ſi non videretur in te? ſed dic, obſecro, cur tempore tibi à Deo conceſſo adeò abuteris in ſuperbiam? vis dicam tibi? audacior factus es, quia vides illud à Deo tantâ tibi dari miſericordiâ. Si Deus puniret te ſubitò, quàm humiliatus incederes? ſed quia conſervat te, ideò magis inſoleſcis. *Quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Eccl. 8. 11. Abuteris in ſuperbiam, perſuadens tibi quod in fine vitæ exibis de carcere, quod tunc pœnitebis, & ad Deum te convertes: qualis arrogantia! adeò ſibi abblandiri, ut, ubi ſimilium mille ni ſunt, qui moriuntur malè contra unum aut alterum, qui fortè moritur benè, tu ſperes te illum futurum, qui ab Eccleſiaſtico indigitatur tamquam prodigium magnum, & *Tamquam qui evaſerit in die belli.* Eccleſiaſtici 40. 7. Audi qualiter te idem aggrediatur capite ſuo 17. 16.

Eccl. 8. 11.

Eccl. 40. 7.

Eccli. 17. 26. *Ac manens in errore impiorum. qui propriè in confeſſionis dilatione conſiſtit.*

IV. *Non demoreris*, inquit, *in errore impiorum, ante mortem confitere.* Porrò quis ille error, qui antonomaſticè dicitur error impiorum? Illorum ſcilicet, qui dicunt quod in fine vitæ ſurgent de lecto ſuo, quod tunc ſe convertent ad Deum, & pœnitebunt ſicut oportet; quod tunc habituri ſint ſatis temporis, ut dignè ſe diſponant, quod Deus tunc futurus ſit tam miſericors, quàm nunc, quippe qui non velit mortem peccatoris &c. is, inquam, error impiorum eſt. Et ideò N. *Non demoreris in errore impiorum.* Spiritus ſanctus non dicit tibi, ne cadas in conſilium

impiorum, ſed *Non demoreris*: Si ſolummodò cadas in iſtum errorem, ſi ſimpliciter cogites, quòd etiam in extremis poſſes diſponere domui tuæ, & pœnitere ad placitum, abſque eo, quod illi errori adhæreas, aut in illo demoreris, tùnc error tantùm eſt in intellectu, ſed ſi ulteriùs tranſeas, ſi demoreris, tunc acceptas errorem, & de intellectu tranſit ad voluntatem, quod peſſimum eſt, & ideò dicit tibi æterna Veritas: *Ne demoreris in errore impiorum, antè mortem confitere.* Ne te ſinas decipi: *In partes vade ſeculi Sancti, ante mortem confitere.* Surge velociter, ſcias confeſſionem in mortis articulo factam quaſi mortuam. *A mortuo quaſi nihil, perit confeſſio. Confiteberis vivens, vivus & ſanus confiteberis, & gloriaberis in miſerationibus ipſius*: Non dicit Spiritus ſanctus, nec dico ego, in morte quandoque non dari bonam confeſſionem, ſcio dari poſſe bonam & ſanctam: ſed hoc dico, tempus illud ordinariò non eſſe tempus carcerem perfringendi: & ut manifeſtè videas, quod verum dicam, te teſtem volo: Omnis error fundatur ſuper falſum, conſequenter & tuus: quandò differendo ad horam mortis, de peccato ſtatuis tunc ſurgere & pœnitere, præſupponis tria non minùs falſa quàm fallacia; Primum eſt, quod tunc confiteberis; Secundum quod bene; Tertium quod ſic pœnitendo certò ſalvaberis: quæ omnia à vero adeò remota ſunt, ut dæmon innumeros hoc funiculo ita inſolubiliter ligatos tenuerit, ut rarò eos amiſerit. Scilicet *Funiculus triplex difficilè rumpitur.*

Eccli.17.25. *Si quidem multò plures ex differentibus periit quàm ſalvantur.* *Eccl.17.26.27* *Eccle.4.12.*

V. Ergò ſupponis primò, quod tunc ſurges, & confiteberis. Ad hoc dico cum S. Iſidoro Lib. de Off. Eccleſ. Cap.16. *Non dubitamus circa finem juſtificari hominem per pœnitentiæ compunctionem, ſed quia rarò id fieri ſolet, metuendum eſt, ne, dum ad finem differtur converſio, incerta occupet mors, priuſquàm veniat pœnitentia.* Dicis ergò, quod tunc carcerem effringes, tunc ad Deum te convertes & confiteberis. Siſte hîc: & ut tunc certò confitearis: tolle priùs de medio ſclopeta, gladios, cultros, arcus, ſagittas totamque mortis ſuppellectilem: mandet priùs mors mari, fluminibus, aquis ne te ſubmergant: liget manus fulminum, ne te tangant aut percutiant; ſint pro te viperæ & ſcorpiones abſque veneno. Exareſcat reſpectu tui omnis catharri diſtillatio, ne te ſuffocet: ligentur manus apoplexiæ, ne te apprehendat; causâ tui revocet M. Auguſtinus, quæ dixit de morte: *Inopinata mors mille homines quotidie rapit*: eradantur de Evangelio Chriſti verba: *Quâ horâ non putatis filius hominis veniet.* Habeſne breve aliquod ſimilium privilegiorum tibi cœlitùs datum? profer in medium, ſi potes. Et dato quod certò morieris in proprio lecto, quo morbo putas te moriturum? *Neſcit homo finem ſuum* Eccleſ.9. 12. Numquid poteſt conſiſtere in letargia, in ſuffocatione catharri, in cordis oppreſſione, aut in febre violenta, quæ auferat omnem ſenſum? in tali ſtatu inſtitue confeſſionem ſi potes. Agis profectò

S. Iſidorus. *Et hoc quia mille mortis via improviſa.* *S. Auguſtinus.* *Lucæ 12.40.* *Eccleſ.9.12.*

profectò ſicut Amaſa, qui fidebat Joab, quem inermem credebat. Porro *Amaſa non obſervabat gladium, quem habebat Joab.* 2. Reg. 20. Eleva mortis pallium, & videbis quot ad necem tuam ſicas teneat abſconditas, ad quas non attendis, & tu interim de te ſecurus audes dicere, tunc confitebor, tunc me expediam de carcere. Non vereris ne Propheta Evangelicus tibi improperet quòd ſis de numero illorum, de quibus loquitur.

2. Reg. 20. 10.

VI. Capite 28. Minitabatur divina ſupplicia, & mortem populo Hebræo, populo contradicenti & duræ cervicis: at illi ludibriis exceperunt talia comminantem fulmina, dixeruntque quæ nobis infligenda mala minaris non tam gravia erunt, imò nulla feremus, toties enim ſimilia prædixerunt nobis Prophetæ, & ea tamen minimè experti ſumus, ſic & iſtæ evaneſcent minæ; minimè terremur, lætam ducimus vitam, dormimus ſecuri, ſi in futurum quid contigerit, aliud tunc capeſcemus conſilium: implorantibus enim Deus non denegat gratiam; tunc deteſtabimur peccatum; Itáne inquit Iſaias: *Propter hoc audite verbum Domini, viri illuſores. Dixiſtis enim, percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, flagellum inundans cum tranſierit, non veniet ſuper nos: quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus.* Quaſi dicat, quid aſſeritis inſani? quid vobis ſpondetis? num fœdus percuſſiſtis, & pactum iniſtis cum morte, cum dæmone, & cum inferno? quaſi mors non ſit vibratura falcem ſuam, niſi dum vobis lubuerit? nec infernus fauces ſuas explicaturus, nec dæmon ſuam erga vos exercitaturus protерviam? quaſi dicere velletis, ut bene Ugo Card. *Confœderati ſumus morti & inferno, & ideò non invadent nec nocebunt nobis ſicut confœderatis ſuis, & ideò non timemus comminationes veſtras.* Verè & tu, ex illis es, Captive, qui in lecto torporis & ignaviæ ſtertis, & ſurgere renuis, nec mortem timens, nec dæmonem nec infernum, dicis in corde tuo, percuſſi fœdus cum morte, & cum inferno pactum feci, confœderatus ſum illis, & ideò non invadent, nec nocebunt mihi: dabunt mihi ſatis temporis ut in fine vitæ me reconciliem Deo, & inſtituam bonam confeſſionem, ſicque tam perditam vitam ducis, tam impudenter peccas, tam intrepidè, tam obſtinatè viam iniquitatis percurris, ut re ipsâ oſtendas fœdus percuſſum inter te, mortem, & infernum; ab ipſis nullum amplius timens tibi malum infligendum, nullo te credis inſperato obruendum impetu, & hinc, omni continentiæ fræno diſrupto, abis poſt concupiſcentias tuas, quod verè eſt fœdus cum morte pangere: quippè *Cum morte fœdus percutere eſt mala audacter perpetrare* (ut inquit D. Greg. lib. 6. in lib. Reg. Cap. 2.) & profligatâ omni ſuppliciorum mortiſque formidine delinquere, cum certa fiducia, quod ad libitum pœnitentiam ſis facturus. Super iſta temeraria reſolutione iterùm te aggreditur Iſaias.

Hebræi riſerunt divinas comminationes.

Iſaiæ 28. 14.

Peſſimum fœdus cum morte percutientes.

Ugo Card.

Et quid hoc ſit fœdus cum morte. D. Gregorius.

VII. Cap. 47. 10. Improperat Propheta Babyloni malè ſibi conſulenti: Iſaiæ 47. 10.

 lenti:

Babylonis prædictum quod fiducia iis eſſet cauſa ruina. lenti: *Fiduciam habuiſti in malitia tua, ſapientia tua, & ſcientia tua, ipſa ſeduxit te.* Infelix Babylon ſecuritate magnâ & fiduciâ pejore committis omnia genera peccatorum, laxas habenas libidinibus, uſuris, injuſtitiis, ſuperbiæ, & vindictæ, cæteriſque peccatis tuis: confidis bonitati, & patientiæ Dei, ac adducis tibi multa miſericordiæ Divinæ exempla, facta inde audacior, &c. ſed prædico tibi, inquit: ipſa confidentia vana,
Iſaiæ 47. 11. ipſa ſeduxit te. Sed quomodò? *Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum ejus, veniet ſuper te repentè miſeria, quam neſcies.* Non aliter agis tua, ac ſi ad nutum tuum ſtarent tempus, & momenta vitæ tuæ, ſed prædico tibi: *Veniet ſuper te malum; & neſcies ortum ejus.* Et verificabitur in te, quod habetur Jeremiæ 15. 9. *Occidit ei ſol cum adhuc eſſet dies;* Quid dicis ad hæc? poſſetne Propheta tibi loqui clariùs, & necdum credis? ſed demus tibi, quod non morieris ſubitò, eſne certus quod tunc benè confiteberis? prout ſupponis ſecundò, & ego tecum, ut magis confundam te.

Pœnitentia infundatò in finem differtur, VIII. Suppono ergò, licet gratis, quod non morieris ſubitaneè, ſed quod lecto decumbens morieris, idque integris ſenſibus & totus tibi præſens: fateris interim ad veram converſionem non pauca requiri, numquid? Sed putas te ad illa ſufficientem, quando te febris proſtraverit? quando vix poteris vel verbum proferre? imò præ capitis dolore vix alios audire poteris loquentes? Ut experientia docet, vix cum devotione aut attentione legere poteris unum Ave: & putas tunc tempus aptum fore ad inſtituendam confeſſionem & convertendum te ad Deum, & ad reducenda in mentem omnia peccata cum debita diſpoſitione & integritate, ſicut oportet? dices mihi, tunc incipiam cogitare; quid, quæſo, cogitabis? an cum Davide pœnitente Pſal. 37. *Cogitabo tibi pro peccato meo?* cogitabis, ſic eſt, ſed audi quid cogitabis. *Pſalm. 37. 19.*

IX. 3. Reg. 13. ſuffiebat Jeroboam altare incenſo ſacrilego, erigens duos vitulos adorandos; Et ecce Propheta Domini de altaris ſciſſione prophetans ait: *Ecce altare ſcindetur & effundetur cinis, qui eſt in eo.* Hæc audiens Rex impius, extendit manum in capturam Prophetæ Dei reprehendentis, quæ illicò exaruit: *Extendit manum dicens: apprehendite eum, & exaruit manus ejus.* Sacrilegus ita à Deo tactus quid cogitat? In caſu Divinæ punitionis, & miraculi tam evidentis, cogitaverit indubiè culpam agnoſcere, & contritus veniam petere, ac verum Deum adorare, nec non idola deſtruere. Dixerit indubiè: *Deprecare faciem Domini Dei tui,* & cætera hujuſmodi. Illa tua poteſt eſſe cogitatio, non eſt ipſius. *Ora pro me,* inquit, *ut reſtituatur manus mea mihi:* cogitabat curationem manûs, non animæ. Acutiſſimè Theodoretus in hunc locum. *Stultus rogavit Prophetam, ut peteret non ſceleris remiſſionem, ſed manûs curationem.* Sicut ille, ita & tu cogitabis, non animæ ſalutem, ſed corporis ſanitatem; tunc convocabis medicos corporales, neglectis ſpiritualibus.

3. Reg. 13.
Quando rarò de anima cogitatur, ut in Ieroboam patuit.
Verſ. 4.
Verſ. 6.
Theodoretus

Stultis

Stultè rogabis non ſceleris remiſſionem, ſed manûs curationem. Econtra, inquies, cogitabo pro peccato meo, cogitabo de Deo, de animæ meæ ſalute: putas quod in tali conſtitutione corporis levare poteris oculos in cœlum, & cogitationes in Deum? putas quod tunc ſeriò cogitabis de anima? videamus caſum practicum & expreſſum.

X. Joſue 7. Exploratâ Hai, cedit populus Iſraël hoſtibus propter furtum Achan de anathemate Jericho: interrogatus Achan confitetur: *Sic & ſic feci.* Vidi inter ſpolia pallium coccineum valdè bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum, & concupiſcens abſtuli. His auditis, Joſue furore plenus, fulminat in eum horribilem mortis ſententiam: *Lapidavitque eum omnis Iſraël, & cuncta, quæ illius erant, igne conſumpta ſunt.* Quid agis Joſue? ſciò Achan deliquiſſe, & graviter quidem, ſed ſi culpam agnoſcat, & peccatum ſuum confiteatur, cur non abſolvis? Ad hoc reſpondet Rupertus lib. 1. in Joſue cap. 11. Verum eſt, confeſſus eſt Achan, ſed tarda nimis fuit ejus confeſſio: *Non tamen veniam mereri ullam debuit, quia confeſſio nimis tarda fuit.* Quid ad hoc, Captive, quid dicis? Poſtea confitebor, & numquam eſt nimis ſerò, ut ad Deum me convertam & petam in Sacramentali Confeſſione de carcere abſolvi: Itane? numquam eſt nimis ſerò? Audi reſponſum ejuſdem Ruperti: *Antè enim turbatus eſt Iſrael, quàm ille reatum agnoſceret, & antè ſors veridica, Deo auctore prodidit perſonam, quàm ipſe* culpam. Dic mihi quomodò lecto detentus, & ardenti febre correptus, inſtituere poteris bonum confeſſionem in tanta perturbatione corporis & animi? ſcio, confiteberis quidem. *Sed quando erit conturbatus Iſraël* præ febris ardore, & intolerabili capitis dolore, atque acerbis viſcerum tormentis: confiteberis quandò cor palpitabit, in mortali agonia conſtitutus. Sed Hei me, qualis confeſſio! dum ſanus es atque integris ſenſibus & mente pacatâ non potes confiteri debitè, & poteris, *Quando conturbatus eſt Iſraël*? quando plorabunt filii? quandò gemet uxor? quando deſperabunt medici? quandò conſanguinei urgebunt ante confeſſionem teſtamentum fieri? eritne tunc tempus benè & practicè confitendi? credat qui voluerit, ſed non ego: *Non tamen ullam mereri veniam debuit; quia confeſſio nimis tarda fuit: Ante enim turbatus eſt Iſraël, quàm ille reatum agnoſceret.*

Joſue 7.
Et ſi tunc confiteantur, confitentur ſæpius infructuosè ſicut Achan.
Joſue 7.
Rupertus.
Idem.

XI. Dices occludam me in conclavi cordis. Videamus utrum tunc futurus ſis in ſtatu hoc faciendi. Job. 1. 14. Funeſtus nuntius nuntiat illi, *Boves arabant, aſinæ paſcebantur, irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia.* Job 1. 14. Animosè Job, jam ad conclave, ut recolligas te. Non habeo tempus: Et enim *Cùm adhuc ille loqueretur venit alter* nuntians ſecundum infortunium. Verſ. 16. *Ignis cecidit è cœlo, oves conſumpſit.* Et *Adhuc illo loquēte venit alter,* dicens: *Chaldæi invaſerunt camelos, & tulerunt. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intravit,* nuntians improviſam filiorum mortem: *Domus corruens oppreſſit liberos.* Verſ. 19. Ad quid tot iterati nuntii?

Verſ. 17. *Idque præ multitudine turbationum, &c.*

Lyranus. nuntii? cur unus venit poſt alterum? Lyranus novit latens myſterium: *Ex procuratione dæmonis factum eſt*, inquit, *ut inter illos nuntios nullum eſſet intervallum, in quo Job poſſet ad cor recurrere.* Non poterat Job vir ſanctus & juſtus, tunc ſolitum ad Deum habere recurſum, & tu poteris in malo radicatus? cogitationes bonorum temporalium, domûs, prolium, &c. *Domus corruet ſuper te*: conſanguinei cingentes lectum tuum divertent te ab iis, quæ ad animam ſpectant, pro bonis temporalibus ſolliciti. Vim fortè tibi inferes? ſed vereor ne afflictivæ cogitationes adeò te obruant, quòd *Procuratione dæmonis fiet, ut non ſit intervallum temporis, in quo poſſis ad cor recurrere.* Certè hoc multis contigit, & ſi tibi contingat, numquid tunc actum erit de te? Vide ergò quàm malè ſupponas, quòd tunc benè confiteberis, unde iterum rogo: *Ne demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere*: Ad bonam confeſſionem, ut nôſti requiritur diligens examen. Si hoc dum ſanus es adeò tibi difficile ſit, quid erit dum infirmaberis ad mortem?

Oſeæ 13.12. XII. Oſeæ 13.12. De Ephraim loquitur Spiritus ſanctus: *Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum ejus.* Ubi *iniquitas* ſignificat peccata contra proximum, quæ ratione reſtitutionis faciendæ tam in bonis fortunæ quàm in honore ſæpè multis, iiſque maximis implicantur difficultatibus. *Colligata eſt iniquitas ejus. Peccatum* verò, quod culpas denotat, quas contra nos met-ipſos, & contra Deum commiſimus, ratione ſuæ multiplicitatis ac diverſitatis verè abditiſſimum eſt. *Abſconditum eſt peccatum ejus.* Quomodò autem poteris tunc languidus adeò fortiter colligata, totque implexa nodis diſſolvere? vel certè diſcooperire infirmitates tam profundè tectas, & vulnera patefacere adeò obducta & abſcondita? Verumtamen ſi omnis difficultas ibi ſiſteret, adhuc parum eſſet, & penè nihil. Aſt, cùm ad bonam Confeſſionem non ſufficiat bonum examen, ſed inſuper dolor animi & emendationis propoſitum requirantur & altiſſima cordis innovatio, quæ ex toto non pendent à te, ſed à te & à Deo ſimul; quomodò ergò poſt tot irritationes divinæ juſtitiæ, & poſt tot ſcelera promittere tibi potes, quod ea omnia in iſto ſummo rerum omnium vitæque diſcrimine habiturus ſis, ubi ipſa lucta cum anima totum occupabit diſtrahetque hominem; Certè ſive attendam ego demerita tua, & qualiter Deum ad vindictam potiùs quàm ad gratiam provocâſti, ſecundùm impœnitens cor tuum theſauriſans tibi iram: ſive attendam quomodò ex frequentatis malis actibus peſſimus in te habitus generatus ſit, & quàm altas radices in corde tuo peccata egerint, ex neutra parte invenire poſſum fundamentum, quo tibi tam infundatè abblandiaris. Et verò qui videt quàm difficulter nunc peccata evellas, & pravas conſuetudines eradices ex anima, ubi tamen integer viribus, & ſanus mente & corpore exiſtis, poteritne is ſperare, quod tunc quaſi in inſtanti tam annoſam malorum

Alia incertitudo veræ pœnitentiæ adfertur ex parte Dei, & ex parte peccatoris.

malorum arborem radicitùs de corde extrahes, omneſque illius ſimul ſurculos de terra tua extirpabis? Credat qui voluerit, ſed non ego. Nôſti, & indubiè nôſti, qualiter viator trans torrentem ſaltaturus non expectet donec & quouſque jam aqua plenè intumuerit, ſed econtrà, ubi eam demiſſam conſpicit, ſtatim, & indilatè tranſiliat; ut omne ſubmerſionis periculum tantò certiùs evadat. Sic, ſic & tibi faciendum eſt, Captive, ſi quod Pſalmiſta cecinit, de te aliquando verificatum deſideres: ſcilicet *Torrentem pertranſivit anima noſtra.* Si enim incurius ſis, ubi adhuc diminutæ ſunt turbulentæ aquæ peccatorum, certè cùm increverint, debebit anima veſtra pertranſire aquam intollerabilem, quod adeò rarò ſperandum eſt, ut ipſe idem Pſaltes Regius non dubitaverit particulam dubietatis plenam in eodem Pſalmo adjicere, dicens: *Forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem.* Cave ergò ne te confidas bacillo adeò debili, & ne pondus totius ſalutis tuæ appendas ad filum tam infirmum. Hoc enim non eſſet tantùm errare cum impiis, ſed apertè inſanire. Audi quid Propheta Ezechiel dicat de ſimilibus.

Pſalm. 123. 5.

Ezech. 47. Et exemplificatur in Ezechiele,

XIII. Ezech. 47. Ad ripam fluminis exiſtens, videt ad ſe venientem menſorem: *Cùm egrederetur vir ad orientem, qui habebat funiculum in manu ſua, traduxit me per aquam uſque ad talos.* Traduxit me per vadum, cognoſcis hîc periculum? nullum: pergit ulterius, & aſcendit aqua uſque ad genua. *Traduxit me per aquam uſque ad genua:*

Verſ. 3. 4. 5.

Vides hîc periculum? etiam nullum: pergit adhuc ultrà, & pervenit aqua uſque ad renes. *Et traduxit me per aquam uſque ad renes:* Hîc incrementum fit majus, & conſequenter etiã periculum incipit: pergit tamen adhuc, & tentans denuò tranſitum, reperit torrentem adeò tumidum, ut tranſvadare jam amplius nequiret: quippe: *Intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non poteſt tranſvadari.* Magis intumeſcit hîc torrens lacrymis D. Petri Damiani plangentis animarum naufragium: *De parvis & planis aquis ad intranſmeabilem profundi torrentis plenitudinem pervenitur.* Vide ergò quomodò peccatrix anima, ſi ſtatim fuerit ſollicita, torrentẽ pertranſire poſſit: at ſi converſionem differat in tempus mortis ſæpe non poſſit: *Forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilẽ.* Et ex his cognoſce periculum, quod ex parte tua eſt, quiſquis in horam infirmitatis mortalis confiteri procraſtinas. Nunc quantùm ad Deum; quomodò ſperare potes tunc propitium illum te habiturum, quem toties ad iracundiam provocâſti, & toties irritâſti? Miſericors eſt Deus, fateor: ſed licet miſericors ſit, permittit indies damnari innumeras animas Turcarum, Judæorum, Gentilium, Hæreticorum & malorum Catholicorum: & quis ſcit nùm forte inter illas non ſinet perire & tuam? Scis quod ſine auxilio gratiæ non poſſis pœnitere. Si Deus ergò in illo puncto, pro quo timent etiam Sanctiſſimi, juſtiſſimo judicio non det tibi illud auxilium efficax, quo fiat ut pœniteas, & tu culpâ tuâ cum ſufficienti (quod ſecundùm varios

S. Petrus Damiani.

rios omnibus datur) non operis, prout cum ſolo ſufficienti ex nimia infirmitate tua non facies, numquid tunc actum erit de anima tua in æternum? Et quis, quæſo, jam promiſit tibi, quod Deus ad ſalutem tuam concurret in brachio forti & potenti auxilio, iſtius ſcilicet gratiæ efficacis? In negotio ergò tanti momenti, quale eſt æterna ſalus, relinque incertum, & aſſume certum. Duæ res ſunt, inquit Magnus Auguſtinus, *Aut ignoſcitur tibi, aut non ignoſcitur, quid horum tibi futurum ſit, neſcio: ergo tene certum, dimitte incertum.* Oſtendit ſe fatuum, qui in quocumque negotio aſſumit incertum, relicto certo: & tu in negotio æternæ perditionis aſſumes incertum, relicto certo? eſt Deus miſericors, ſed & pariter juſtus. *Dulcis & rectus Dominus* Pſal. 24. 8. Si manè abuſus fueris miſericordiâ ejus, ſtertendo in lecto, & inutiliter perdendo meliores horas vitæ tuæ, vereor ne veſperi experiaris juſtitiam ejus. *Ad annunciandum manè miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.* Pſalm. 91. 3. Non oſtendis Propheticam monitionem tibi cordi eſſe, quiſquis oppoſitum practicas.

Incertitudo illa tenendâ certum præ incerto ſuadet.

S. Auguſtinus Tom. 10. de vera Pœnit. Hom 42.

Pſalm. 24. 8.

Pſalm. 91. 3.

XIII. Jeremiæ 13. 16. *Date Domino Deo veſtro gloriam antequam contenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos.* Dare gloriam Deo ſignificat hic peccata ſua confiteri, deteſtari, deflere, & pro iis debitam facere pœnitentiam; tunc autem reddimus Deo illam gloriam, quam cogitatione, verbo, & opere peccando abſtulimus, quando cogitatione, verbo, & opere proteſtamur, quod peccaverimus, eum offendendo: illam gloriam vult ſibi dari *Antequam contenebreſcat.* An putas quod velim dicere, antequam mors veniat? Non, non: ſed antequam ſol occidat, & ſtatim poſt peccatum tuum: quia ſi differas pœnitentiam, ſenties in mente veſperam: nam juxta Magnum Patrem Auguſtinum: *Multos ſolet ſerotina pœnitentia decipere.* Quantùm Deo ſacrificia nocturna diſpliceant, habes Levit. 2. dum noluit in ſacrificium noctuas ſibi offerri: Nam juxta Cyrillum noſtrum: *Sacrificium nocturnarum avium*, hoc eſt, *opera dilata in ſupremas mentis anguſtias, atque obſcuriſſimas tenebras.* Da ergò Deo gloriam *Antequam contenebreſcat, & antequam offendant pedes tui ad montes caliginoſos*: Si tunc confiteri intendas, quando contenebreſcet, vereor ne offendas pedes tuos ad montes caliginoſos. Et inde iturus ad æternitatem quot caliginoſos & obſcuros montes offendes? aut quomodò poteris viam invenire in tenebris tam denſis conſtitutus? Voles felicem hunc tranſitum facere, reſtituendo cuique ſuum: ſed impinges in difficultates præjudicandi familiæ tuæ. O altum montem! Voles dimittere illatam tibi injuriam: ſed ecce alterum montem, quomodo radicatum odium convertes in amorem. Voles dimittere pellicem: & hic rurſus mons eſt, quomodò amorem convertes in odium. Voles confidere Divinæ miſericordiæ: ſed en alium montem multò altiorem: tunc enim recordaberis quoties illâ abuſus fueris

Jerem. 13. 16.

Et hoc antequam contenebreſcat,

S. Auguſtinus.

Levit. 2.

S. Cyrillus.

Quia nocturna ſacrificia diſplicent Deo.

fueris, quod te vix non in deſperationem compellet: & ſic quòcumque te verteris: *Pedes tui offendent ad montes caliginoſos*; Porrò ſcis unde montes caliginoſi dicantur? ex eo quod in iis latrones nidificant; & ecce alteram ſolemniſſimam dementiam, quam committis, differendo pœnitentiam uſque ad mortem, putans tunc ſalvare animam, quando innumeri erunt, qui in exitu te invadent; Et quàm tunc potentes erunt inimici tui infernales, ut in carcere te detineant, & de carcere in carcerem te deducant; tunc perſuadebunt quod tibi advenerit nox
Joan. 9. 4. illa, de qua Chriſtus: *Venit nox in qua nemo poterit operari*, quod nulla tibi ſuperſit ſpes, nulla ſalvandi commoditas, quod in ſecula ſeculorum incideris in manus illorum. Conſidera ergò dum adhuc tempus eſt, an tunc futurum ſit tempus te ſalvandi, & de carcere exeundi.

XIV. Præſupponis tertiò, quod ſi tunc benè confitearis, quod certò ſalvaberis. Sed *Ne demoreris in errore impiorum*. Quia & hoc incertiſſimum eſt ex parte hoſtium infernalium, tunc maximè ſævientium, ut teſtatur Eccl. 39. *Sunt ſpiritus, qui*
Eccl. 39. v. 33. *Dæmones virtutes ſuas effundunt in morte, & etiam reddunt periculoſam pœnitentiam ſeram.* *ad vindictam creati ſunt, & in tempore conſummationis effundunt virtutem*. Ne mireris dæmones in morte adeò furioſos: *Deſcendit ad vos diabolus habens iram magnam*. Et quare? *ſciens quod modicum tempus habes*. Et quomodò tunc illi reſiſtes? audeo tibi dicere quod olim Saul Davidi.

XV. Inermis David contra Goliath gigantem in armis & fortitudine confidentem, in arenam deſcendit: quod videns Saul, Davidem
1. Reg. 17. 33. alloquitur: *Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti*. Tu quippe es paſtorculus inermis, & ille armatus miles, tu paſtor ovium, ille dux militum. *Non vales reſiſtere Philiſthæo huic, nec pugnare adversùs eum, quia puer es, hic autem vir bellator ab adoleſcentia ſua*. At David jam pugnis & victoriis aſſuetus ab adoleſcentia, quaſi hîc nihil etiam dubitans de palma, Sauli reſpondit: *Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi conſurgebant adversùm me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos: nam & leonem & urſum interfeci ego ſervus tuus*: Trahens quaſi neceſſariam conſequentiam ex præmiſſis longæ conſuetudinis certaminibus deductam, & fiducialiter inferens: *Erit igitur & Philiſthæus hic incircumciſus quaſi unus ex eis*. Quàm grande ſolatium erit in illa horâ animabus juſtis, quæ in vita infernalem hoſtem ſuperârunt non ſemel? tunc percutient illum, ut David gigantem. Sed tu, Captive, tu mancipium diaboli, qui numquam adversùs hoſtē pugnâſti, & multò minùs eum ſuperare ſolitus es, quando in illa hora deſcendet ad te *habens iram magnam*, quid tunc facturus es? *Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare contra eum, quia puer es, hic autem bellator eſt*. Dum ſanus eras audire renuiſti Jacobi conſilium Jacobi 4.
cap. 4. *Reſiſtite diabolo & fugiet à vobis*. Et in illa hora, in carcere ejus exiſtens, & quidem poſt tam

V longam

longam incarcerationem,*putas quia valebis reſiſtere* tentationibus & ſuggeſtionibus ejus, & tam multis impudicitiis, quibus in vita adeò indulſiſti? Numquam arma tractâſſe, & certam ſibi ſpondere de hoſte vaferrimo victoriam, quàm hoc ſtultum! & interim pœnitentiam differs in illam horam? *O præſumptio nequiſſima, unde creata es*! Eccl. 37. v. 3. Ne ſinas te decipi ab inimico tuo vanâ promiſſione, quia hæc eſt illa *repromiſſio nequiſſima*, de qua Eccleſiaſticus c. 29. 24. quæ *multos perdidit*. Licet promittat tibi, quod tunc confiteberis, & quod benè, conſequenter quod certò ſalvaberis, fallit te, & necdum credis? Audi ergo caſum à D. Ambroſio Eccleſiæ Doctore propoſitum:

Eccl. 37. 3. Et hinc de ſimili pœnitente ſero multùm dubitant SS. Patres.

S. Ambroſius.

XVI. *Agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus ſi exierit, an ſecurus hinc exeat?* Supponamus ergò quod confitens det ſigna veræ pœnitentiæ: condat pia legata: largiatur eleëmoſynas multas: ſubveniat viduis & pupillis: faciat reſtitutionem famæ: *Et ſi quid aliquem defraudavit, reddat quadruplum*: quod doleat, quod pœniteat, quod ploret, quod ingemiſcat, quod *moritur quaſi in oſculo Domini*, tenerrimo affectu oſculans pedes, clavos, latus & manus Chriſti Redemptoris. Quid tu Ambroſi ad caſum à te propoſitum? gravis difficultas, caſus rarus, quem non facilè reſolvero. *An ſecurus hinc exeat? ego non ſum ſecurus.* Sed quid videtur tibi? poſſet anima tam benè diſpoſita damnari? non flecteretur his omnibus infinita Dei miſericordia: *Qui non vult mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat*, ut recipiat eum in gratiam & gloriam? *Numquid damnabitur?* hoc non dico, inquit Ambroſius, *non dico*, Salvabitur ergò? *Neque dico.* Non datur hic medium, aut damnabitur, aut ſalvabitur, unum è duobus fiet: ſed *Quid futurum ſit ego*, inquit, *neſcio.* Ambroſius videtur nimis ſcrupuloſus. Quid tu dicis, Auguſtine? *Si converſio contigerit in fine, timendum eſt de pœnitente ſero*; ſed quid reſolvis? *Nec laudo, nec vitupero.* Tibi, inquit, relinquo judicium: *Animadverte quantæ difficultatis ſit in hora mortis pœnitere ut par eſt.* Et tu D. Chryſoſtome? *Si benè memini, in toto canone Scripturarum unum latronem invenies ſic ſalvatum. Unum & quot perierunt, & ad manifeſtum judicium abierunt! Noli huic tam periculoſæ expectationi tradere temet-ipſum*, clamat Bernardus. Si tamen hic unicus ita te animet, ſaltem collega ejus timorem tibi incutiat.

Lucæ 19. 8.

S. Auguſtinus.

D. Chryſoſt. Et certè ſi unus latro animet te, alter deberet terrere te.

S. Bernard. Serm. 1. ad fratres.

XVII. Quis non expaveſcat, quis non contremiſcat videns moribundum, cujus lecto aſſiſtit Chriſtus, ad cujus pedes ſtat Virgo Mater, ſub cujus oculis moritur Salvator mundi, pro ſalute animæ ejus ſanguinem effundens, non converti, ſed in obſtinatione ſua perſiſtere, perire & æternùm damnari? Tremit terra, & ipſe non timet: ſcinduntur petræ, & ipſe petrâ manet durior: ſol obſcuratur, at ipſe non expaveſcit: corripit eum collega, non tamen emendatur: flent turbæ, & ipſe blaſphemat:

Et quidem in præſentia Chriſti patientis ac Matris compatientis mortuus ſine pœnitentia.

rever-

revertuntur milites percutientes pectora ſua, & ipſe manet impœnitens, inconfeſſus, incontritus, & ſub oculis Chriſti & Mariæ moritur damnatus. Sed perierit ille, inquies, ſuâ malitiâ periit, tam bonam nactus occaſionem; ego verò tunc confitebor, & benè confitebor, ſicque ſalvabor. Sed iterum à te peto: An putas quod lethali ſudore madidus, poſt vitam quinquaginta fortè annorum in impudicitiis, ebrietatibus, laſciviis, furtis, transactam, nullâ umquam factâ reſtitutione, ſpatio medii quadrantis inſtitues confeſſionem, quâ certò ſalveris? Patres Confeſſarii quid ad hoc? abſolveretis vos talem? Ita, ita, *Si eſt capax.* Quidni poſſet tunc benè confiteri? unde *Abſolvo te* ambabus manibus, ergò ſalvabitur? Quid dicam?

XVIII. 2. Machab.9. Merebatur ſacrilega Antiochi Regis temeritas à Deo percuti maximis viſcerum doloribus cum fœtore intollerabili, ſcaturientibus è corpore vermibus, ita ut nec ipſe fœtorem ſuum ferre poſſet. At quia *Vexatio dat intellectum*: cognovit, & ore proprio confeſſus eſt: *Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.* Poſt ſuorum criminum agnitionem & promiſſam emendationem, mandat illicò civitatem reddi liberam, quam explantari juſſerat, templa ſancta, quæ expoliaverat, optimis donis ornari, ſancta vaſa multiplicari, & pertinentes ad ſacrificia ſumptus de reditibus ſuis præſtari. Jurat ſe vitam mutaturum, veram legem Hebræorum amplexurum, defenſurum, propagaturum, & omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei poteſtatem: tandem ad Deum converſus, fixis in cœlum lacrymantibus oculis, deteſtabatur peccata, & tamen: *Orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus*: Heu! quid dico? *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum*? ſceleſtus? ſceleſtus? *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus? non erat? non erat?* Non, non, *à quo non erat miſericordiam conſecuturus.* Quid? Antiochus tot lacrymis, tantâ contritione, dolore tam ardente, propoſito tam firmo, confeſſione tam humili adhuc retinet titulum ſcelerati & perverſi? & ut talis à Deo rejectus, veniâ & miſericordiâ indignus? Audi hæc adhuc ſtertens in lecto, Captive, & ſurgere differens in finem vitæ, audi, inquam, & ſcito hîc reſponſum eſſe, ad dubium anteà propoſitum, quod tibi ab Antiocho datur. Confiteberis, inquies, & benè, & ſalvaberis: Vide ne decipiaris. Talis confeſſio: *Eſt velut confeſſio latronum*, clamat Auguſtinus in Pſalm.100. *Qui non confitentur peccata ſua, niſi prius tormentis tentati & interrogati fuerint.* Vis certam reddere pœnitentiam tuam? *Age pœnitentiam dum ſanus es, eo tempore quo & peccare potuiſti.* Jam, jam age, age indilatè, & *ſi ſic agis, ſecurus eris. Surge ergò velociter.*

2. Mach.9.12.

Exemplum Antiochi etiam horribile.

S. Auguſtinus in Pſalm.100.

FERIA IV. DOMINICÆ III. ADVENTUS

De Captivitate Petri.

Ceciderunt catenæ de manibus ejus. Act. 12.

I. CAptive, dedit tibi Deus locum pœnitentiæ, & tu abuteris eo in ſuperbiam? Deus immenſæ majeſtatis dedit tibi, viliſſimo mancipio, æterno digno carcere, non ex debito juſtitiæ, ſed gratuitò locum pœnitendi, & tu abuteris eo in finem vitæ, ut pecces liberiùs, dicens in corde tuo: tunc pœnitebo, tunc carcerem relinquam: Iterum te rogo: *Ne demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. Surge velociter.* Sequere conſilium meum ſi ſapis, *Confiteberis vivens, vivus & ſanus confiteberis, & gloriaberis in miſerationibus Dei: A moriente enim quaſi nihil perit confeſſio.* Pœnitentia quippe, quæ ab infirmo fit, infirma eſt. Non, Non, non dubitamus circa finem hominem juſtificari poſſe per pœnitentiæ compunctionem, ſed quia rarò id fieri ſolet, metuendum eſt, ne dum ad finem differtur converſio, incerta occupet mors, priuſquàm veniat pœnitentia; Et tu interim quaſi percuſſiſſes fœdus cum morte, & cum inferno pactum iniiſſes, mala audacter perpetras, & tam intrepidè, tam obſtinatè viam iniquitatis percurris, ac ſi ab ipſis nullum timeres tibi infligendum malum, imò cum certa quaſi fiducia promittis tibi, quod in fine vitæ ad libitum pœnitentiam ſis facturus. Quod heri dixi, dico & hodie: fiduciam habes in malitia tua, ſed vide ne ſapientia tua & ſcientia tua ſeducat te, ne veniat ſuper te malum, & neſcias ortum ejus: Da gloriam Domino Deo tuo, antequam contenebreſcat, & antequam offendant pedes tui ad montes caliginoſos: hoc eſt, nunc, nunc, dum ſanus es, dum dies luceſcit: Confitere, deteſtare, defle peccata tua, quia multos ſolet ſerotina pœnitentia decipere. Confeſſio ſerotina eſt velut confeſſio latronum, qui non confitentur peccata ſua, niſi priùs tormentis tentati & interrogati. Si nunc agas, ſecurus eris, facilè de carcere tuo liberandus. Si verò differas, eris incertus: quid ergò reſolvis? dabo tantillum temporis, ut tibi conſulas, dum ego intereà ſalutavero illuminatricem cordium, & dixero illi pro te, *Ave Maria.*

Sæpè pœnitentia infirmi infirma.

Sed citò ſurgere reddit ſecurum.

II. Laus Deo, tandem à percutiente Angelo ſoluta ſunt Petri vincula: *Ceciderunt catenæ de manibus ejus.* Antè vinctus catenis duabus, vinctus manibus, vinctus quaſi toto corpore, vix movere ſe poterat, jam verò liber eſt, & ſtare poteſt quomodò libet. Captive, qui in fœtido peccati carcere huc uſq; jacuiſti vinctus catenis duabus, ſic

ſic ut nec manus, nec pedes, nec os, nec ullum corporis membrum meritoriè movere potueris, adeòque oportuerit te cum Davide dicere: *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Jam biduò clamavi, de ſtrato tuo ut ſurgeres, & quidem *Velociter*, cur needum dicis cum prodigo: *Surgam & ibo ad Patrem*: ibo ad Deum meum, *& dicam ei*: *Peccavi?* promitto invenies Angelum ejus, qui duobus verbis vincula tua diſrumpet, & dicendo: *Abſolvo te*, priſtinæ tuæ te reſtituet libertati, modò contritus confitearis, & dicas ei totam ſpeciem captivitatis tuæ; Tunc per Sacramentalem abſolutionem cadent catenæ de manibus tuis. Habes S. Vincentium Ferrerium, Ord. Præd. præclariſſimum jubar hæc omnia confirmantem: *Quot peccata mortalia habet homo, tot catenis eſt ligatus, & quando confitetur, & Confeſſor elevans manum dicit: Ego te abſolvo, omnes rumpuntur*: in eandem ſententiam abit S. Laurentius Juſtinianus de Caſto connubio Verbi & animæ Cap. 16. *Peccatorem ſolvit gratia, ſolvit dolor, ſolvit miniſter: gratia quidem per ſe, dolor verò per confeſſionem, ſed miniſter per Apoſtolicam authoritatem.* Hoc tibi hodie oſtendo pro primo puncto: ſed moneo te, ut, confitens, ſpeciem facti, nihil omittas aut immutes, ne fiat error noviſſimus pejor priore, erit ſecundum. Dum duo aſſumo puncta, omnes præſentes obteſtor, ut dicenti duas præbeant aures, corporis & cordis. Exordior itaque à primo.

Pſal. 118. 61. — *Lucæ 15. 18.* — *Verba Sacerdotis diſrumpunt catenas peccatorum.* — *S. Vinc. Ferr.* — *S. Laur. Juſt.* — *Modò integrè confiteamur.*

III. Sit res non parva Petrum à vinculis ſolvere, infinities tamen majus Dei Beneficium eſt, catenis diaboli vinctum ſolvere: Verba Chriſti ſunt ad Apoſtolos & Sacerdotes ſuos Matth. 18. *Quæcumque ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in cœlo.* His verbis declaratur excelſa poteſtas Sacerdotis, ſolventis peccatorum vincula, dimittentis & retinentis peccata: Hæc verba ſi caperes, ad elevationem manûs Sacerdotalis exclamares præ ſtupore: *Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?* Stuperes autem magis, ſi videres mutationem, quæ vi verborum, *Abſolvo te*, in anima Captiva fit. Si quis præſentium tantùm haberet poteſtatem, ut vinctum Æthiopem ad mortem læſum, dicendo ſimpliciter, *Abſolvo te*, non ſolùm à vinculis ſolveret, ſed unà nigredinem ab eo auferret, & nivis inſtar album illum redderet, ac ipſum inſtantaneè ſanitati reſtitueret, numquid diceres hunc hominem de cœlo miſſum? dum Sacerdos dicit, *Abſolvo te*, facit ipſo inſtanti in anima tua miraculum majus, omnibus miraculis à quocumque Sancto patratis. Quæ enim proportio inter vulnera corporis & animæ? Quid fœditas & nigredo Æthiopis ad nigredinem captivi diaboli, qui coram Deo diabolus eſt? quæ ſimilitudo inter catenas & vincula mancipii, & catenas peccatoris? *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.* Aſſerti veritatem probo. Sit aliquis ad mortem læſus, & ab omnibus derelictus in campo: Jam, jam moriturus inclamat opem, at fruſtra, memor interim miſeri

Et hoc majus beneficium eſt, quàm ſolutio vinculi corporalis. — Matth. 18. 18. — Marcus 2. 7. — Job 41. 24.

ſtatûs ſui interni: Supra ſe videt ſibi iratum Deum: intra ſe ſentit accuſatricem conſcientiam: infra ſe infernum apertum conſpicit, damnationem imminentem fugere neſcius. Accedant ad illum omnes Reges terræ, non eſt in poteſtate illorum ſolvere vincula, quibus anima ejus conſtringitur. Deſcendant ad eum omnes Sancti de Cœlo, petat ab illis ſolvi à vinculis, nec illi, nec Angeli, nec Archangeli, nec Throni, nec Dominationes, nec Principatus, nec Poteſtates, nec Virtutes, nec Cherubim, nec Seraphim, quantumcumque ſublimes ſpiritus in ordine gratiæ, & quantumcumque numeroſi, ſolvere illum poterunt, ſed orare pro ipſo poterunt. Inclamet omnes Patriarchas, Prophetas, Anachoretas, Martyres, Virgines, ipſam Dei Genitricem, & miſericordiæ Matrem, adeò clementem & piam: omnes orare pro eo poterunt, ſolvere non poterunt. Superveniat autem Confeſſarius qualiſcumque, qui illum diſponat ad veram pœnitentiam, & dicat: *Ego te abſolvo*, illicò: *Cadunt catenæ de manibus ejus*, Juſtitia Divina mittit gladium in vaginam, fugantur dæmones, captivus de carcere educitur, & libertati reſtituitur. Quid ad hæc? Habes deſuper in SS. Paginis figuras non modicas.

IV. Matth. 21. Mundi Salvator ingreſſurus magno apparatu & pompâ Jeroſolymam, ut ſibi ad crucis triumphum viam ſterneret, duo-
Matth. 21. 2. bus ex Diſcipulis ait: *Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea, ſolvite & adducite mihi.* Adœ

Figuratur in ſolutione aſinæ & pulli.

dit Marcus circumſtantias notatu dignas: *Invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio.* Notat Lucas Marc. 11. 4.
cap. 19. v. 33 pullum ad duos Dominos ſpectâſſe: *Solventibus illis* Lucæ 19. 33.
pullum, dixerunt Domini ejus ad illos, Cui ſolvitis pullum? Audis quomodò miſerum animal aëri expoſitum, ante januam ſtet in bivio ligatum, & pluribus ſubditum heris, quorum nullus pati voluit ut ſolveretur, & libertati redderetur? Quis neſcit (ut antè aliquando dixi) jumentorum nomine peccatores intelligi, adeòque te, Captive, *Qui comparatus es ju-* Pſalm. 48. 13.
mentis inſipientibus & ſimilis factus es illis. Jumentum factus, non uni dumtaxat parens & obediens Domino, ſed pluribus & tot diverſis, quot vitiis ſervis. *A quo enim quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.* Ligatus 2. Petr. 2. 19.
totidem nexibus & funibus, tot vinctus catenis, quot crimina admiſiſti. Et hæc etiam jumenta Deus in ſuæ cupit charitatis triumphum ducere. At priùs à nexibus eximenda ſunt, & hujus exceptionis munus Apoſtolicæ curæ commiſſum eſt; unde te alloquitur D. Athanaſius, tibique conſulit ſerm. in Verba. *Profecti in pagum. Si nondum ſo-* S. Athanaſ.
luta ſint vincula, tradas te ipſum Diſcipulis Jeſu: adſunt enim qui te ſolvant pro poteſtate, quam acceperunt. Scio diabolum ad hoc laborare ne ſolvaris, & dum quis libertatem tuam molitur, exclamare illum: *Quid ſolvitis pullum?* ſed miſericors Deus, *Qui* juxta Athanaſ. *ideò iter ſuſcepe-rat, ut prædicaret captivis indulgentiam, amandat diſcipulos ſuos, ut diſſolvant aſinum.* Non ipſe ſolvit, ſed Diſcipulis mandat ut ſolvant: Rogo

ut

ut in memoriam revoces ea, quæ in Lazari reſuſcitatione contigêre.

V. Joann. 11. Voce magnâ quatriduanum Lazarum inclamat Chriſtus, ut eum vivum è tumulo excitaret, fuitque tanta vocis ejus efficacia, ut illicò prodierit vivus: *Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata*, dicebatque eis: *Solvite illum & ſinite abire.* Hic oboritur difficultas, de quibus hoc relativum *eis* intelligatur? aderant ſorores, mulieres aliæ, aderant Judæi, multa aderat utriuſque ſexûs turba: cui ergò hoc ſolvendi munus commiſit? Ad hoc reſpondet Doctor Angelicus in Supp. q. 8. a. 1. *Confeſſio præfiguratur in Lazari mortui vivificatione: ſed Dominus ſolis Diſcipulis ut ſolverent Lazarum præcepit.* Soli Sacerdotes ligamina ſolvunt & vincula diſrumpunt, quibus vinciuntur peccatores. D. Gregor. Eccleſiæ Doctor Hom. 36. in Evangel. in hujus facti contemplatione poſitus, tui ſymbolum agnoſcit, Captive. Quatriduanus & mortuus eras, quia de gratia cecideras, fœtens, & fœtore tuo Deo & Angelis magis, quàm quatriduanus hominum naribus gravis: ſepultus, utpotè peccatum in cordis intimo tenens abſconditum ſub ſaxo induratæ animæ: putrefactus & verminans millenis conſcientię morſibus; ad ſepulchretum tuum clamat Dominus (& ego clamavi in diebus præteritis) *Lazare veni foras. Surge velociter*, quaſi diceret Doctor moralis: *Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? foras jam per confeſſionem egredere, qui apud te interiùs per negationem lates; Veniat itaque foras mortuus, id eſt culpam confiteatur peccator, venientem verò foras Diſcipuli ſolvant.* Ergò Diſcipulorum & Sacerdotum eſt, te ſolvere à vinculis. Quanta tibi inde Dei miſericordia.

Joann. 11. 44. *Rurſuſque in reſuſcitione Lazari.*

D. Thomas.

Joann. 11. 43.

S. Gregorius.

VI. Joann. 20. Inſtituens Chriſtus tribunalis Sacramentalis Judices, *Inſufflavit & dixit: Accipite Spiritum Sanctum quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Judices illos creat, infundendo eis Spiritum ſanctum, qui de ſua notionali proprietate non eſt niſi terminus reciprocæ dilectionis, & ſigillum amoris, ut vel ſic affectum ſuum ad miſeros captivos magis oſtendat. Et Confeſſarios, quos ex hominibus aſſumpſit, doceat ſic eſſe judices, ut ſimul ſint clementes, charitativi & amore pleni. Imò, imò ad hoc illos Spiritu ſancto replevit, qui totus amor eſt. Et Magno Auguſtino in catena atteſtante: *Eccleſiæ charitas, quæ per ipſum diffunditur*, hæc eſt, *quæ peccata dimittit.* Scio non tantùm dixit Salvator: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, ſed addidit inſuper: *Et quorũ retinueritis, retenta ſunt.* Et hinc in Confeſſariis utraque poteſtas remittendi ſcilicet & retinendi: Sed quanta inter utramque poteſtatem differentia? conſiderate mecum NN. dum Confeſſarius remittere non vult, ut ſæpiùs ex cauſis juſtiſſimis tenetur, totâ illius culpâ proveniente ex parte Captivi noſtri, qui ſe indignum reddit & incapacem ad beneficium abſolutionis recipiendum, tunc illum Confeſſarius pejorem non reddit, neque ipſius ſors miſera per hoc

Joan. 20. 22.

S. Auguſtin. in Cat. hic. *Miſericordia Dei in abſolutione ſpecialiter commendatur.*

Joann. 20. 23.

hoc deterioratur, ſed ſolummodò illum à vinculis ſuis non ſolvit. Aſt quando illi beneficium abſolutionis impendit, & quando illi remittit peccata, O quæ tunc mutatio dexteræ excelſi in meliùs, & quantùm illius ſtatus & conditio tunc emendantur! Tunc non tantùm priſtinæ libertati reſtituitur, ſed & ex filio ſatanæ fit filius Dei, & hæres Regni cœleſtis, & omnia priora merita redeunt, & novâ inſuper Sacramentali gratiâ donatur, præter habitualem, quæ ipſi in eodem etiam abſolutionis inſtanti infunditur. Et ut oſtenderet Salvator hanc eſſe poteſtatem Confeſſarii præcipuam, & ſeſe ex ſpecialiſſima ſua miſericordia erga miſeros Captivos ad hoc inclinari, ut eâ potiſſimùm conetur benè uti, pœnitentes omni poſſibili modo & ſtudio ad illam debitè diſponendo, ideò eam primo loco recenſuit. Porrò hæc poteſtas, quâ fit, *Ut ſententia Petri*, Bernardo dicente, *Præcedat ſententiam Cœli*, adeò abſoluta & definitiva eſt, ut ab ea nulla prorſus detur appellatio: ſed ratificetur totum in Cœlis, quod per ipſam hìc declaratur in terris: Imò ſi Sacerdos, factâ à te confeſſione, poſitis omnibus conditionibus requiſitis, te abſolvat, non poteſt te Deus condemnare: impoſſibile enim eſt mentiri aut promiſſis non ſtare Deum: promiſit autem abſolvere te à vinculis, ſi Sacerdos legitimè te abſolvat: ergò, &c. Scito tamen ad hoc ut catenæ cadant de manibus tuis, ex parte tua requiri ſacrificium, de quo Pſaltes Regius pſalm. 5. 19. *Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum.* Pſalm. 50. 19. Vis doceam te hoc ſanctum & Deo placens offerre ſacrificium? habes omnia requiſita in ſacrificio SS. Patris N. *Eliæ*.

S. Bernardus.

Ad quam requiritur cor contritū & humiliatum.)

VII. 3. Reg. 18. Oſtenſurus Achab & populo ejus, quod Deus Iſraël eſſet Deus verus, ædificato ſibi altari, primò ſuper illud *Compoſuit ligna.* Secundò poſuit ſuper ligna hoſtiam, ſed excoriatam, & in partes diviſam. *Diviſitque per membra bovem.* Tertiò effudit aquam ſuper holocauſtum & ligna ſemel, bis, iterumque. Ita ut currerent aquę circum altare, & foſſa aquæductûs eſſet repleta: *Currebant aquæ circum altare.* Quartò clamabat ad Dominum: *Domine Deus Abraham*, tandem deſcendit ignis de Cœlo, & devoravit omnia. *Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocauſtum, & ligna, & lapides, pulverem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.* Hæc omnia à te facienda ſunt, Captive, ſi velis ut cadant catenæ de manibus tuis, & de carcere liberatus, offeras gratum ſacrificium Deo.

3. Reg. 18. 33. 34.

Vers. 38.

VIII. Primò: ædificato altari, componenda ſunt ligna, id eſt, facto propoſito confitendi, inſtituendum eſt diligens examen conſcientiæ circa captivitatem tuam, quid ſis? Quid commiſeris? Ubi captus? Quibus auxiliis? Cur conjectus in carcerem? Quomodò, & quando? minutatim inveſtigando cogitationes, verba, & opera tua, etiam durante captivitate, quid commiſeris, aut omiſeris circa Dei & Eccleſiæ præcepta, in iſtum finem recogitanda

Oſtenditur quomodò cor contritum obtineri debeat, & quæ ad humiliationē requirātur.

da ſunt loca, converſationes, negotia & ſimilia, quæ tractâſti: ſic enim facilè in mentem veniet, quomodò tali in loco, videndo mulierem, conſenſeris cogitationibus impudicis; in tali converſatione tales aut tales ſermones protuleris, cum notabili damno proximi; in eis, aut iſtis negotiis adulteraveris merces, aut alio modo proximo damnum intuleris, &c. Idque non ſemel tantùm, aut bis, ſed etiam ſepties & forſan pluries.

IX. In obſidione Jerichuntina generoſo militiæ Duci Joſue mandat Deus: *Circuite urbem cuncti bellatores ſemel per diem: ſic facietis ſex diebus. præcedetque Arca Domini. ſeptimo autem die corruent muri ejus & capietis civitatem*, (Joſue 6. ℣. 3.) quod etiam factum eſt. Jam peto cur primâ, ſecundâ, aut vice tertiâ muri non corruerint? Cur ad diem ſeptimum dilata eſt victoria, cùm diebus præcedentibus eadem ſit adhibita diligentia? ſi ad Arcæ circumlationem in die ſeptimo non manſerint in muris lapides ſuper lapides, quomodò in primis ſex diebus nullus vel exiguus murorum hiatus apparuit? Myſterium pandit Os aureum: Jericho figura eſt carceris diaboli, in qua tamquam in Arce captivi tenentur ad ipſius voluntatem. Continebat Arca legis tabulas quibus inſculpta erant decem præcepta Dei: vis ut corruant muri carceris aut Arcis diabolicæ? Porta Arcam circùmcirca conſcientiâ tuam, non unâ ſed ſeptem vicibus, examina & reexamina an, & quomodò Dei & Eccleſiæ præcepta tranſgreſſus fueris, reflectendo ad loca, in quibus fuiſti, ad perſonas, quibuſcum converſatus es, ad negotia, quæ tractâſti, &c. Sic (*Nempe diligẽs examen.*) faciendo muri corruent, fietque Dei præſidium. An putas poſt tam diuturnam captivitatem te poſſe unius quadrantis examine ſatisfacere? vereor ne confuſio potiùs quàm confeſſio ſit. Non ſolùm cogitabo, ſed & *Recogitabo omnes annos meos*, aiebat Pſalmiſta, ſic & *Recogita tibi omnes annos tuos in amaritudine animæ tuæ.* (Iſaiæ. 38. 15.) Cogita, inquam, & recogita. Redditurus computum aliquem correſpondenti tuo diligenter libros examinas, exactam reddis rationem receptorum & expoſitorum, attendis ad dies, ponis menſes, numeras annos, tui etiam ſomni oblitus. Si ergò tantâ attentione negotiis temporalibus incumbis, quantâ oporteret te diligentiâ incumbere negotiis animæ tuæ æternùm duraturæ? Unius diei peccata examinaturus requireres minùs quàm horæ quadrantem? quantum ergò temporis deberes impendere pro peccatis unius hebdomadæ, menſis, & anni? Loquatur pro me Mellifluus Bern. ſerm. 38. *Quomodò ſub unius horæ articulo revocari poſſe exiſtimas omnia animæ membra?* (S. Bernardus)

X. Secundò: oportet excoriatam hoſtiam dividere per membra; diſtinguere ſcilicet peccata ſecundùm numerum, ſpeciem, & debitas circumſtantias. V. G. habui cogitationes inhoneſtas circa perſonas conjugatas, voto caſtitatis adſtrictas, vel liberas, circa conſanguineas vel extraneas. Protuli verba graviter infamantia vel leviter coram uno vel pluribus. Commiſi vel omiſi hæc & hæc opera, ad quæ non tantùm tenebar ex præcepto, ſed etiam ex voto ſpeciali, & hoc toties: non enim ſufficit dicere commiſi tale pecca- (*Et aperta confeſſio ſecundùm ſpeciem & numerum & circumſtantias notabiliter aggravantes.*)

tum mortale, ſed oportet dicere commiſi toties, ſpecificando numerum ad unum uſque, ſi potes, ſi verò poſt diligens examen non poſſis, ſpecificando ſaltem illum numerum, de quo certus es, & de cætero addendo ſub dubio vices ulteriores, de quibus verè dubitas. Locum etiam exprimere debes in iis omnibus, in quibus locus ſacer peccato aliàs ſimplici novam ſacrilegii ſpeciem ſuperaddit, ſicut & ſi quis alterum imparatum ad peccatum & flagitia committenda priùs provocaverit, ut exinde dignoſcatur ex cujus parte ſe teneat peccatum gravis ſcandali, ad quod multi non attendunt, & cætera omnia ejuſmodi terſè exponenda ſunt, quæ vel ſpeciē moralem abſolutè mutant, vel certè eamdem notabiliter aggravant, ut alii loquuntur, & tutiùs eſt. Non tamen perſonā umquam nominare potes, aut aliter revelare complicē, quocum vel quacum peccâſti. Sed tantùm quę ad ſpeciem & numerū faciunt, & hæc omnia ſine pallio, ſine pelle. *Divide per membra bovē.* Vis tibi clarius dicam, melius me dixerit tibi Pſaltes Regius.

XI. Pſalm. 36. 5. *Revela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.* Revela viam tuam. *Numquid aliquid* (ut cum Hieronymo quæram) *neſcit Deus*? novit omnia, quòcumque vadis, quidquid agis & dicis, perſpecta quidem habet omnia, ſed quod tua, te non revelante, ſciat, hæc tuæ damnationis eſt origo. Vis ut hoc ipſum tibi, non ad judiciū, ſed ad meritū, non ad damnationem, ſed ad ſalutem, & ad liberationē tuam conferat & conducat? Fac ut illud quod à ſe novit, etiam per te cognoſcat. Petis, quomodò? Per Confeſſionē. *Confitere ei actiones tuas*, inquit idem Hieronymus: verbumque addit purpuratus Ugo: *Revela Domino viam tuam: Domino, id eſt, Vicario ejus Sacerdoti.* Non enim ſcit Sacerdos peccàta confitentis in quantum homo eſt, ſed in quantum tenet locum Dei. *Revela.* Examina omnia cordis arcana, inveſtiga abſcondita, ſcrutare penetralia, in publicum voca ſecreta omnia, & quidquid operatus es in abſcondito, & elongâſti à conſpectu hominum, quidquid texiſti noctis tenebris, omnia *Revela Domino.* Revela, rubore licet aliquo ſuffunderis, & conſtaret diſpendio bonæ de te conceptæ opinionis: imò licet incurrere deberes periculum Sacramentalis correctionis, ne ſubticeas peccata tua, confitere omnia, indica circumſtantias, diſtingue ſpecies, manifeſta numerum, pande totum ſtatum, redde computum occaſionum & earum frequentiam indica. *Revela Domino*, revela, ne ſimilis ſis Nabuchodonoſori volenti, ut ſapientes Chaldæi ſomnium conjectarent, quod ignorabant.

Pſalm. 36. 5. S. Hieronym. Ugo Cardin.

XII. Dan. 2. Viderat ille ſomnium, quod & fugerat ab eo; undè convocatis ariolis & magis & maleficis, & Chaldæis, præcepit illis ut indicarent ei ſomnia: *Vidi*, inquit, *ſomnium, & mente confuſus ignoro quid viderim*: At illi Regi: *Dic ſomnium ſervis tuis, & interpretationem ejus indicabimus.* Quibus reſpondit Rex: *Niſi indicaveritis mihi ſomnium, peribitis vos.* Vide ne tu ſic agas cum Confeſſario, ne & tu velis, ut ipſe conjectet & divinet peccata tua, & cir-

Dan. 2. 4. Hinc ſtultè faciunt qui aliquid reticent.

circumſtantias eorum. Dico tibi cum Iſaia juxta 70. *Dic tu prior peccata tua, ut juſtificeris.* Ubi potentia deeſt & ſcientia, tum quidem Confeſſarii eſt ſupplere vices, ut ſolvaris à vinculis & libereris à tyrannico jugo diaboli; Sed dic tu priùs quod potes, quod ſcis, & cujus recordaris. *Dic ſomnium ſervis tuis.* 4. Reg. 5. Non ſumus Elizei, qui, revelãte Deo, cognoſcamus Giezi, & an pro officio, aut beneficio Eccleſiaſtico dederis, aut receperis pecunias, aut alia munera. Non ſumus Petri, Ananiam & Saphiram cognoſcentes quod de agri pretio fraudaverint. Non poſſumus detegere uſurarios, qui per lucra illicita extorquent bona ab iis, quibus viſi ſunt beneficium præſtare. Non ſumus Prophetæ ex Silo, qui cognoſcamus Jezabeles mulieres impudicas: non poſſumus divinare adulteria, quæ in corde foventur. Non ſumus Danièles qui indicemus ſomnia, & tenebras, quæ diem fugiunt. Licet Dei Vicarii ſimus, & ſedeamus pro Dei tribunali, non tamen cognoſcimus illas Samaritanas, illas adulteras, quæ ſub pallio pietatis, & velo viduitatis ſordes committunt: quæ licet oculos hominum lateant, Dei tamen oculis ſunt aperta.

Sicut & qui excuſãt. XIII. *Revela Domino*, Revela *purè* & *fideliter*, *Purè* non miſcendo ad peccata impertinentia, aut peccata aliena. *Fideliter*, ſincerè ſine mendaciis, vera ut vera, dubia ut dubia exponendo: non te accuſando de eis, quæ non patrâſti, nec conticendo, quæ verè commiſiſti. *Fideliter* non inaurando pillulas peccatorum vanis errorum excuſationibus, non imponendo culpam ſerpenti, aut Evæ, ſed perverſæ inclinationi, & commiſſę inobedientię. Idque quia hęc omnia ſecundùm Pſalmiſtam ſunt: *Verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis*, quibus novis te vincis catenis, non catenâ, ſed catenis, ideò enim dixit in plurali excuſationes. *Ad excuſandas excuſationes.* Pſal. 140. 4. Alii legunt apud Lorinum: *Ad excuſandas juſtificationes in peccatis.* Lorinus. Grande ſcelus & ſacrilegio proximum, excuſationibus juſtificare peccatum, his magìs offenditur Deus, quàm ipſo peccato: quia hoc poteſt ex fragilitate committi, illæ committuntur ex malitia. Vide ergò, *Ne declines cor tuum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Alioquin vereor ne & tibi contingat, quod contigit Cain.

XIV. Gen. 4. Poſt commiſſum ab eo fratricidium interrogatur à Deo judice: *Cain, ubi eſt Abel frater tuus?* Dicit: *Frater tuus* ut recordaretur, quod fratrem occidendo jus naturæ violâſſet. Quid ad hoc reſpondet Cain? *Neſcio: numquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Gen. 4. *Maledictum Cain ſequentes.* Benè dixiſti, non ſum cuſtos fratris mei, occiſor ejus cùm ſis. Ad hoc arrogans reſponſum exacerbatus Divinus Judex fulminat in eum maledictionis ſententiam: *Nunc maledictus eris ſuper terrã. Nunc?* nunc tantùm, & non ante? Ante fraterno ſanguine terram contaminaverat: ante fratris morte dextram polluerat, & tamen poſt datum reſponsũ ſolummodò maledicitur, quaſi ante illud non eſſet reus; Erat indubiè iniquus & ſceleſtus, dum fratrem fraudulenter de medio tulit, at Divina pietas, quæ non vult *Mortem peccatoris*, interrogatione

ad pœnitentiam invitabat, & ad confeſſionem delicti; ſed dum audit quod celare vellet & colorare quaſi per ignorantiam, ac ſi non eſſet obſtrictus cuſtodire fratrem ſuum, tunc adeò offenſus fuit Deus, ut maledictionis ſententiam in ipſum fulminaverit: *Nunc maledictus eris ſuper terram*. Loquatur hîc D. Baſilius Seleuc. Orat. 4. *Rogatus, haud*, inquit, *novi: Etiam Deo, qui audaci facinori præſens aderat, celat, mendacio notitiam adimere ſibi perſuadens.* O vocem ipsâ morte magis deteſtabilem! erat Deus præſens fratricidio: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*: Et *Clamabat terra*, addit D. Chryſol. Serm. 125. *Clamabat Cœlum, dolebant Angeli, & tota ſeculi fama loquebatur*: & ab omnibus creaturis accuſatus, tot teſtibus convictus, adeò temerarius eſt, *Ut neget delictum, & mendacio adimere notitiam ſibi perſuadeat? nunc maledictus eris ſuper terram.* Mentiendo & peccatum celando, maledictione punitur, iniquior ob excuſationem, quàm impius ob fratricidium. Audis hoc? dum audis, time, & imitare quemdam etiam captivum, ſed benè pœnitentem. Audi confeſſionem ab ipſo factam Deo, & diſce ſic confiteri.

S. Baſilius.

S. Chryſol.

XV. Pſal. 31. 5. *Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi.* Non dixit manifeſtavi, ſed *Cognitum feci*. Tunc cognitus fit aliquis, quando non ſolùm manifeſtatur eſſe talis, ſed dum etiam ipſæ conditiones individuantes manifeſtantur, declarando illius progeniem, genitores, patriam, mores, inclinationes, &c. Tunc delictum tuum cognitum facies, dum non ſuperficiem declarabis, ſed illius fontem, principia, originem, malitiam, occaſionem perſonarum, locorum, temporis, finis, modorum, auxiliorum, durationis, damnorum indè in perſonas, in res, in famam redundantium circumſtantias, & numerum prodes. Hoc tibi dicit D. Gregorius in Pſalm. 2. Pœnit. non ego. *Ille delictum cognitum facit, qui non ſolùm quod fecit annuntiat, ſed etiam omnē peccati cauſam & originem narrat: qui non ſuperficie-tenus peccatum loquitur, ſed & quando, & ubi, & quomodò, & ſi vel ignorantiâ, vel caſu vel ſtudio deliquerit, confitetur.* Proſequitur interim confeſſionem ſuam magnus Pœnitens: *Confitebor*, inquit, *adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Attentionem hîc parat Ugo Cardin. Audi, benè ait, quem confitendi modum ſervare debeas: *Adverſum me, non adverſum Deum ut Adam; non adverſus fatum, ut Aſtronomus: Non adverſus diabolum, ut populus ſtultus.* Edicam peccata mea contra me ipſum, accuſabo me, non alios. Non accuſabo Deum, ut Adam, dum dixit: *Mulier quam dediſti mihi &c.* quaſi dixiſſet: Verum eſt peccavi, ſed occaſionem porrexiſti, cùm mulierem ſociam dediſti, quæ ſi numquam mihi ſociata fuiſſet, numquam in vetita corruiſſem. Fato & ſtellis cum Aſtronomis non imputabo, qui caſus humanos in planetarum influxus refundunt. Cum vulgo ſtulto non dicam: dæmon me agitavit & provocavit, reſiſtere non potui. Sed dicam: ego, ego, ipſe ſum qui

Pſalm. 31. 5.

Loco quod Davidem imitarentur, qui confitebatur adverſùm ſe.

D. Gregor.

Ugo Cardin.

qui peccavi, ſi namque noluiſſem, nec mundus totus, nec infernus ſimul ad peccandum me valuiſſent pellicere; *Unde confitebor injuſtitiam meam*, non meas efferam virtutes, ſed de mea me reum agam injuſtitia, fœditate, & quod Deum cogitationibus, verbis, operibus, ac omiſſionibus offenderim. *Injuſtitiam meam*, meas, non alienas noxas *enarrabo Domino*: Id eſt, ad Dei honorem & amorem, cum firmo illi deinceps ſerviendi propoſito. Hicque ſervandus eſt à te confitendi modus, ut non ſolùm cognitum facias delictum, ſed & injuſtitiam, ne alioquin confitearis, & non confitearis. *Revela Domino*: *Revela* ingenuè, non palliatè, ſed pro ut res contigit.

XVI. Exodi 32. deſcendens Moyſes de monte invenit populum ludentem & adorantem vitulum, quem fuderat Aaron, quem loco ſuo conſtituerat. In fratrem iratus Moyſes, ait: Quid feciſti Aaron? quis diabolorum tentavit cor tuum? quomodò auſus es committere tam grande ſcelus? Aaron confitetur: *Dederunt mihi aurum, & projeci illud in ignem, egreſſuſque eſt hic vitulus*. Ecce quaſi foret totus innocens, nulliuſque commiſſi peccati reus, dicit: *Dederunt mihi aurum*, &c. Itane? inquit Moyſes: dic ergò mihi. Quis petivit à populo aurum? ego, dicet Aaron. Quis vocavit operarios ad fabricandum vitulum? ego. Quis expoſuit venerationi? ego. Quis adolevit incenſum? ego. Si feciſti hæc omnia, quomodò ergò ais: *Dederunt mihi aurum, egreſſuſque eſt hic vitulus*? Captive, ſcio te miſſum in carcerem, quia adoràſti vitulum. Sed quomodò auſus es committere talia? non ſum, inquis, in cauſa: illa allexit me. Itane? Quis adivit ędes ejus? ego. Quis per ſingulos dies moleſtus ei fuit? ego. Quis blanditiis, donariis illaqueavit illam? ego. Quis ei promiſit montes aureos, imò & ſponſalia? ego. Et tamen nihil feciſti? innocens tu manes totus, ubi *Egreſſus eſt vitulus?* Hunc luſū non ſolùm captivi nôrunt, ſed & captivæ. Sed quicūque eſtis tales captivi aut captivæ, attendite ne vobis obtingat quod Zaram.

Aaron non benè culpam conjecit in populum.
Exod. 32 24.

Quem tamen multi imitantur.

XVII. Gen. 38. Luctabatur ille in utero matris pro primogenitura cum Phares fratre ſuo: in ipſa effuſione infantium, Zaram protulit manum, in qua obſtetrix ligavit coccinum, dicens: *Iſte egredietur prior.* Vix verba protulerat, & ecce, *Illo retrahente manum, egreſſus eſt alter.* Mirus ſucceſſus: vix protulerat manum, & retrahit. Si retrahere oportebat, ad quid tanta lucta? pandit myſteriū purpuratus Ugo: *Per Zaram intelligitur ille, qui bonos pœnitentiæ fructus promittit & relinquit.* Zaram figura tua eſt, Captive: luctaris cum dæmone, ut de carcere libereris: diſſuadet ille criminis confeſſionem, interim incipis confiteri, & emittis ex utero labiorum peccatum aliquod, dicens: Pater habui cogitationem impudicam. Sed ecce, *Obſtetricante manu egreſſus eſt tortuoſus coluber*: dum enim Confeſſarius neceſſariâ interrogatione ligat coccinum, dicens: præbuiſti illi conſenſum? ſtatim retrahis, Pater, abſit, inquiens hoc à me, ſed tantùm de aliquali negligentia in repellendo accuſo me,

Qui figuratìvè reprehenduntur in Zaram.
Gen. 38. 29.

Ugo Cardin

 ſic-

ſicque pro mortali, quale eſſet ratione conſenſûs, veniale egreditur, & per retractionem truncando integritatem confeſſionis, perdis primogenituram Paradiſi. Vis videre unam inſignem palliantem?

XVIII. Gen. 27. Cùm ſenuiſſet Iſaac & calligiſſent oculi ejus, vocabat Eſau filium ſuum majorē, dicens: ſume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras, cūque venatu aliquid
Gen. 27. 4. apprehenderis: *Fac mihi inde pulmentū, & affer ut comedam, & benedicat tibi anima mea antequam moriar.* Quod ut audivit Rebecca, aſtuta mater, quæ diligebat Jacob præ Eſau, narravit factum filio, dicens: jam tempus eſt aucupandi bonam fortunam: nunc ergò acquieſce conſiliis meis, affer mihi duos hædos, ut faciā ex eis eſcas Patri tuo, quibus libenter veſcitur quas cū intuleris & comederit, benedicat tibi priuſquā moriatur. Dictum, factum: allatoſque hædos tam dexterè condivit, ut vel capreolus aut dama videre-
Vers 15. tur. *Paravit illa cibos ſicut velle noverat Patrem illius.* Sicque conditos hædos affert Patri, quos cum tanto appetitu manducavit, ac ſi pars melior totius venationis fuiſſet. Sed quomodò eſt poſſibile, ut vir decrepitus, & non niſi carnes ſylveſtres manducare ſolitus, modò tam avidè manducet hædinas? Ratio eſt: quia condimentum, quod Rebecca præparaverat, carnes illas tam ſapidas reddidit, ut caro hædina illi cervina vel leporina videretur. Porrò hanc artem nôrunt in ipſo confeſſionali filiæ & mulieres multæ, quæ Confeſſariis carnem porcinam pro agnina obtrudunt, dum ſordes ſuas ita nôrunt palliare, ut vitam agentes porcinam, agniculæ videantur. Eſt quæ habet turpe commercium cum aliquo, Sacramētaliter accuſatura ſe, carnes hædinas ita condit, ut agninæ videantur. Eſt, inquit, adoleſcens, qui mihi obvius factus, oculos in me fixit, ſalutavit me, comitatus eſt ad Eccleſiam, & fortè habuerit malas cogitationes. Et tu, filia, non aſpexiſti eum? Ita, ſed cauſâ humanitatis: non es paſſa cogitationes impudicas? abſit, intentio mea eſt recta, caro agnina. Frequentat ædes meas, colloquimur indies ſoli, ſed quis animus tuus? optimus, candidiſſimus, caro agnina; ſed faxit Deus ut non ſit porcina, aut hædina, & condimentum non contegat amicitiam carnalem, & tandem non egrediatur vitulus.

Peſſimè quidam practicant in Confeſſionali, quod Rebecca in Iacob.

XIX. *Revela Domino, revela* integrè. Sine hac integritate (quæ eſt præcepti Divini) confeſſio nulla erit, & invalida: nec tantùm peccata non abolebit præterita, ſed aliud majus ſuperaddet, abominandum ſcilicet ſacrilegium. Hanc doctrinam de fide eſſe, determinatum eſt in Concilio Lateran. ſub Innocen. III. & refertur in Cap. *Omnis utriuſque ſexûs:* ita etiam Trident Seſſ. 4. can. 7. „ Si quis dixerit in Sacramento „ pœnitentiæ ad remiſſionem pecca„ torum neceſſarium non eſſe jure „ Divino confiteri omnia & ſingula „ peccata mortalia, quorū memoria „ cum debita & diligenti præmedita„ tione habetur, etiam occulta, & „ quæ ſunt contra duo ultima Deca„ logi præcepta, & circumſtantias, „ quæ peccati ſpeciem mutant, ana„ thema ſit. „ Ita Trident. probam verò dedit Judas proditor. Hic *pœnitentiæ*

Cùm aperta & integra confeſſio de Iure Divino ſit.

Matth. 27. 4. *Quam quia omiſit Iudas, periit.* D. Thomas.

tentiâ ductus, quod tradidiſſet ſanguinem juſtum, confitetur: *Peccavi tradens ſanguinem juſtum.* Ad hæc verba Doctor Angelicus ait: *Etſi benè dixit, non complete tamen, quia debuit dicere, tradens Deum.* Debebat dicere, quod juſtus ille Deus eſſet: non enim poterat hac in parte prętexere ignorantiam, qui tot miracula viderat; Unde illa confeſſio, quæ vel unum ſubticet peccatum, ſimilis eſt Judæ confeſſioni, vel eſt ipſa Judæ confeſſio. *Revela* ergò totum numerum, quia vel unus ſolus Amalecita, quem cum Saüle in vivis relinques & non occides, erit tibi in tortorem.

1. Reg. 31.

Revela ſtatum; Non ſatis erat Samaritanæ dicere: *Virum non habeo*: oportebat & exprimere concubinatum adulterinum, in quo vivebat. *Revela Domino vias tuas.* Revela tritas vetitarum delectationum vias. Scio: *Novit Dominus viam juſtorum & iter impiorum.* Sed nihilominùs *Revela Domino.* Examina omnia arcana cordis, omnes latebras, viſita cuncta penetralia, produc in lucem omnia ſecreta, omnia abſcondita, idque omni exuto rubore; Revela circumſtantias, diſtingue ſpecies, manifeſta numerum, redde rationem occaſionum, indica frequentiam; *Revela fideliter,* ne inaures amaras pillulas, ut ſolent medici. Ne accuſes alios, ſed damna perverſam inclinationem tuam in malum. *Revela exactè*, ut non cogatur Confeſſarius ſcrutari angulos, ut Rachelis idola detegat. In ſumma: *Revela Domino vias tuas*, vias illicitarum delectationum, & colles ambitionis, vias immundas ſordidarum libidinum, & obliquas ſemitas iniquarum intentionum: vias arenoſas intolerabilis tuæ acediæ & otii, ac ſaxoſas diutinæ obſtinationis: vias lubricas malarum conſuetudinum, & greſſus elatos ſuperborum animi motuum. *Revela Domino vias*, in quibus offendiſti ad lapidem pedem tuum, in quibus ob frequentes occaſiones prolapſus es, in quibus horrendis laſciviis delectâſti animam tuam, & veſtigia ſcandali reliquiſti. *Revela Domino* uno verbo vias omnes, per quas eum aliquando offendiſti, & ipſe veniet ad te in miſericordia & indulgentia. *Revela Domino, & ipſe faciet.*

Joan. 4.

Pſalm. 1. 6.

XX. Tertiò. Effundenda eſt aqua ſuper holocauſtum, idque etiam tertiò. Fundendæ ſunt lacrymæ non tam corporis, quàm cordis. Excitandus eſt animi dolor ob Deum ſummum bonum offenſum. Dolor hic ſive perfectus, ſive imperfectus, adeò eſt neceſſarius, ut ſine illo non detur peccatorum remiſſio. Poſſunt quidem, ſecundùm Angelicum, peccata dimitti ſine actuali confeſſione, numquam tamen ſine actuali dolore. Per Baptiſmum & Martyrium remitti poſſunt peccata, ſed nec Baptiſmus, nec Martyrium ſine contritione ſalvabunt te. Iſaiæ 38. Morti vicinus Ezechias, ad Deum converſus, contrito animo dicit Domino: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Sicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor ut columba.* Meditabor ut columba, quomodò meditatur columba? gemendo continuò. *Meditabor ut columba gemitu compunctus*, inquit

Dolor de peccato etiã neceſſarius eſt.

Iſaiæ 38.

Hoc noverat & ſervavit Ezechias.

Interlinea.

quit Interlinealis. Quomodò clamat hirundo? cantando continuò. Rex pœnitens meditationem gemitum vocat, quia in meditando, cogitando & recogitando animæ ſtatum, præcipuum, quod requiritur, eſt gemitus & dolor animi. Attende, Captive, ſi vis ut catenæ cadant de manibus tuis, ne multas horas impendas meditando, & vix momentum gemendo, quaſi meditari ſufficeret. Ad bonam confeſſionem oportet meditari gemendo, & meditando gemere. Et quod alioquin inutilis ſit futura confeſſio probat infelix Eſau.

Non autem infelix Eſau,

XXI. Gen. 27. Ob ſurreptam benedictionem irrugiens clamore magno, clamavit uſque ad cœlum: nihilominùs, inquit Apoſtolus: *Non invenit pœnitentiæ locum, quamvis cum lacrymis inquiſiſſet eam.* Quærit Angelus Scholæ 3. p. q.81. a.1. Si planxerit Eſau, & pœnitentiæ locum inquiſierit, cur non invenerit? & reſpondet, quia non erat pœnitentia niſi in oculis, quam in corde eſſe oportebat. *Eſau*, verba ſunt, *non verè pœnituit, quod patet ex hoc, quod dixit, venient dies luctûs Patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* Numquid peccatum in anima eſt? ergò ad animam debet dolor pertingere, eamque penetrare, in quo defuit Eſau: ideòque non placuit Deo ejus confeſſio: voluit ſolo vocis clamore & oculorum fletu veniam impetrare, intus in anima erga fratrem rancorem reſervando, non attendens quod gladius doloris totam animam debeat pertranſire. Faxit interim Deus, ne & tua confeſſio, defectu doloris

Gen.27.

Hebr.12. 17.

D. Thomas.

Qui idcircò periit.

fiat invalida. Petis quare? Primò quia non ſufficit velleitas, ſed requiritur voluntas efficax non peccandi de cætero, qualis eſt illa, quam habes de non abneganda fide, de non præcipitando te de turri. Tange arteriam conſcientiæ tuæ an in te ſit tam firma reſolutio, & utrum potiùs ex hac parte non ſis debilis. Secundò, quia, teſte Angelico 1.2. q.8. voluntas efficax reſpicit executionem & applicationem mediorum ad conſecutionem finis, ſecùs autem velleitas. Petit ab infirmo medicus: *Vis ſanus fieri?* quis dubitat, inquit, ideò vocavi te. Oportet ergò, reſpondet, ut ferro candente inuratur vulnus aliàs non ſanandum. Eſtne ad hoc tibi animus? ſi non: velleitas eſt, non voluntas efficax ut ſaneris, quia recuſas media ad ſanitatem neceſſaria. Dicit tibi confeſſarius: *Vis ſanari?* vis ſolvi à vinculis? volo, inquis, ad hoc enim venio. Scias ergò quod Chriſtus dicat, quod qui ſibi vult peccata dimitti, illatas ſibi debeat dimittere injurias. Rigoroſa, ais, nimis pro me eſt iſta ſententia. Amice, ergò tantùm velleitas in te eſt, & non voluntas efficax. Sic diſcurre de cæteris. Quot confeſſiones confuſiones ſunt defectu hujus doloris, & firmi propoſiti non peccandi, de cætero! vereor ne & tua ſit talis, niſi ante abſolutionem ſigna dederis vitæ. Audi iterum loquentem Chriſtum quatriduano Lazaro.

D. Thomas.

Pandantur quæ ad verum dolorẽ requiſita ſunt, uti & ad propoſitum,

XXII. Joannis 11. *Lazare*, inquit, *veni foras, & ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes inſtitis, & facies illius ſudario*

Joan.11.

Et qualiter nondum ſpiritu reſuſcitatus ad majorem fœtorem ſolveretur.

dario erat ligata. Tunc mandavit diſcipulis: *Solvite eum;* poſtquam vitæ dederat ſigna, tunc ſolvitur à diſcipulis; diſcipuli ſolvunt vivum, quem ſuſcitaverat Chriſtus mortuum: ſed cur non antè? quæris hoc? habes D. Gregorii reſponſum ad manum; ſi diſcipuli ſolviſſent Lazarum adhuc mortuum in monumento, *Fœtorem magis oſtenderent, quàm virtutem.* Mira verba ſed vera, quæ utinam caperes & intelligeres. Si abſolvi putes à vinculis adhuc in monumento mortuus, nulla dans ſigna vitæ, necdum reſuſcitatus per motionem ſpiritûs ſancti, *Fœtorem magis oſtenderet quàm virtutem*, qui te ſolveret. Nôſti quæ ſigna vitæ requiram? illa quæ Trident. *Confeſſionem à peccatis, deteſtationem peccati, & cor contritum & humiliatum.* Si hæc ſigna vitæ in te ſint, dic tunc Sacerdoti ſic contritus: *Peccavi Domino;* illicò cum abſolutione Sacramentali deſcendet ignis gratiæ ſanctificantis de cœlo: *Cadet ignis Domini, & devorabit holocauſtum, & ligna & lapides, pulverem quòque & aquam, quæ erit in aquæductu lambens.* Diſſolventur vincula, & *Cadent catenæ de manibus tuis.* Fiat, fiat.

FERIA V. DOMINICÆ III. ADVENTUS

De Captivitate Petri.

Calcea te caligas tuas. Act. 12.

Abſolutio vincula Captivi diſſolvit, quando requiſita adſunt.

I. SI magnum Dei beneficium eſt, Petrum per Angelum ſolvi à vinculis corporis, profectò ut nudius-tertiùs vidimus, longè majus eſt, Captivum diaboli per abſolutionem Sacramentalem ſolvi à vinculis animæ; Quis credat, quod ad duo aut tria verba, à Sacerdote prolata, cadant catenæ de manibus peccatoris, quibus à diabolo vinctus eſt, & ita quidem, ut ſententia Sacerdotis præcedat ſententiam Dei, & nulla ab ea detur appellatio, ſed totum ratificetur in cœlo ſive ſolvat, ſive liget? Hanc gratiam nullus lege ordinariâ conſequitur, niſi facto priùs examine conſcientiæ circa captivitatem ejuſque circumſtantias, *Quis, Quid* commiſerit, *Ubi* captus, *Quibus auxiliis, Cur, Quomodò, Quando,* & niſi diſtinxerit delicta ſua ſecundùm numerum & ſpecies, & tunc revelaverit Domino vias ſuas fideliter, purè & integrè. Quod tamen fruſtrà adhuc fiet, niſi ſimul excitetur animi dolor, ſive perfectus, ſive imperfectus, quia nunquam abſque illo cadent catenæ de manibus ejus. Hoc vidimus in Captivo noſtro, qui (Laus Deo) modò dicere poteſt cum Davide; Pſal. 115. 17.
Dirupiſti vincula mea; ſed quomodòcumque ceciderint catenæ de

Alia tamen agẽda ſunt, ne reincidat. manibus ejus, adhuc reſtant ei alia qua facienda, ne alioquin denuò incarceretur; & fiat captivitas ejus noviſſima pejor priore. Antequàm de his loquamur, petamus gratiam, & à Matre gratiæ petamus, dicamuſque illi: *Ave gratiâ plena.*

II. Petro à Vinculis ſoluto, mandat Angelus: *Calcea te caligas tuas.* An ergò caligæ Petri tanti erant valoris, ut proinde in carcere linqui non debuerint, etiam quando jam feſtinare oportebat? non ideò N. N. non ideò Petrus juſſus eſt calceos & caligas induere, ſed ut per hoc magni Conſilii Angelus, magnum Captivo noſtro documentum daret. Volebat Angelus, ut Petrus calceos, veſtimentum & quidquid illi tempore captivitatis ſervîerat, ſecum aſportaret, ne ei ad carcerem redeundi occaſio daretur. Captive, habeo hodie rem magnam ad te, licet videam per abſolutionem cecidiſſe catenas de manibus tuis, non parum circa te angor; ſi tu jam ſecurus ſis, ego nondum ſum. Moneo te ſeriò, niſi cuncta, quæ ſervîerunt tibi in carcere, aut occaſionem præbuerunt captivitati tuæ tecum aſportes, facilè denuò iiſdem vinculis conſtringeris, & fiet captivitas poſterior pejor priore: Hoc hodie oſtendo, & dum tibi rem magnam dico, magnam requiro attentionem.

Et quidem omnia aſportanda, propter quæ reditus poſſet fieri.

III. Exod. 10. Perduellis Pharao Moyſi denegat licentiam Domino in deſerto cum populo ſuo ſacrificandi; at multiplicibus contuſus flagellis, tandem permittit: *Ite*, inquit, *ſacrificate Domino Deo veſtro; ſed quinam ſunt, qui ituri ſunt?* cui Moyſes: *Cum parvulis noſtris & ſenioribus pergemus, cum filiis & filiabus*, omnes ad unum uſque ituri ſunt; & niſi hoc fiat, nova ac prioribus graviora tibi depluet cœlum flagella. Quærit Abul. quid moverit Pharaonem ad hoc petendum? & quæſtioni à ſe objectæ reſpondet: *Volebat detinere aliquid ad illos pertinens, cujus obtentu redirent*; ſi uxores permanſiſſent, greſſus relegiſſent; ſi ſenes, compaſſio revocâſſet; ſi proles, amor retraxiſſet: Sit ita, ſed cur Moyſes, Pharaone permittente ut cum uxoribus, prolibus & ſenibus abirent, greges autem & armenta remanerent, noluit ut vel ungula ex gregibus remaneret: *Cuncti greges pergent nobiſcum, non remanebit ex eis ungula?* Ad hoc reſpondet D. Cyrillus noſter Lib. 1. Quia omnis dæmonis in hoc unico deſudat labor, ut aliquid ſemper maneat occaſionis relabendi in novam incarcerationem; unde, inquit, *Oportet, ut qui ſe in veram libertatem offerre velint, ſtudeant à malis abſcedere, & ſemitam ingredi, quæ ad virtutes ducit, nullaſque omninò aut animæ aut mentis reliquias dimittere, per quas iterum ſub diaboli dominatum redigantur.* Captive, de cujus manibus per confeſſionem catenæ, quibus vinctus eras, ceciderunt, ſi ab illius infelici mancipatu te velis vindicare, nec oculum, nec aurem, nec linguam, nec pedem, nec ungulam quidem in carcere relinquas: in hoc enim collimat diabolus, ut detineat aliquid ad te pertinens, cujus obtinendi causâ ad carcerem redeas, in quo te novis vinciat catenis. In ædibus illis, ex quibus ad carcerem

Sic Moyſes practicavit.

Exod. 10. 9.

Abul.

Verſ. 26.

S. Cyrillus.

Captivus

Captivus deductus es, in earum mulierum manibus, quas adeò ardens amâſti,& quibus tamquam diis ſerviſti, nihil relinque pignoris, nihil monilium, nihil donorum, nihil litterarum, nihil eorum, quæ poſſent occaſionem præbere repetendi carcerem; in diaboli poteſtate obſides ne ponas, alioqui brevì illius iterum mancipatui addiceris. Meminiſti, ut credo, quid factum ſit.

Et Chriſtus ſic præcipit, IV. Joan. 2. Aſcendens Chriſtus Jeroſolymam, invenit in templo vendentes boves & oves, columbas, & nummularios ſedentes; unde paterni honoris zelo plenus: *Joan. 2. 14.* *Cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo; oves quoque & boves, & numulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit, dicens his qui columbas vendebant: Auferte iſta hinc.* Sicque illos ſimul & oves & boves & columbas ejecit. *Toletus in cap. 2. Joan.* Ad rem noſtram Toletus: *Prudenter Chriſtus hominibus ejectis, oves eorum & boves ejecit, ne redeundi videretur occaſio relicta. Tunc enim malo ſubvenitur perfectè, quando etiam mali occaſio amputatur:* Eras ante captivitatem Dei templum vivum, tali te inſignit titulo *1. Cor. 3. 19.* Apoſtolus: *Neſcitis quia templum Dei ſanctum eſtis?* factus autem Captivus, *Tu feciſti illud ſpeluncam latronum*, deprædantium animam tuam; Idcircò rogo te, cùm ſis jam ſolutus à vinculis, ut quidquid ad incarcerationem ſervivit, ſarcines *Quia occaſio abſolutè vitanda eſt,* & auferas: *Auferte iſta hinc:* ne alioquin redeundi occaſio relinquatur: non enim ſufficit per Confeſſionem ſolvi à vinculis & de carcere exire, niſi tollantur omnia, quæ tibi in carcere ſervierunt. *Tunc enim malo ſubvenitur perfectè, quando etiam mali occaſio amputatur.* Paraliticum nôſti, de quo

V. Joannis 5? Jacebat ille in probatica piſcina, in qua erat multitudo languentium exſpectantium aquæ motum, 38. annos habens in infirmitate ſua: ut eum Chriſtus vidit, interrogat; *Vis ſanus fieri?* *Ut in Paralitico oſtenditur:* cui ille: *hominem non habeo, qui* me adjuvet. *Joan. 5. 7.* *Tolle*, inquit Chriſtus, *grabatum tuum, & ambula.* Cur voluit Salvator grabatum ut tolleret? Quid inde, ſi in hoſpitali reliquiſſet, modò potitus fuiſſet ſanitate? Aliis certè languentibus ibi remanentibus ſervire potuiſſet: Cur ergò debuit illud ſecum tollere? Pandit myſterium Doctor Angelicus in Cat. *Cum ſublatione lectuli, infirmitatem corporibus docuit defuturam.* *D. Thomas.* Tollit ipſe grabatum, nihil relinquens in loco, ubi infirmatus fuerat, ne fieret recidiva ſanitas. Solus aër loci, in quo vel ſemel proſtrata eſt ſanitas, ſufficit ut inficiatur iterù. Non ſufficit te ſurrexiſſe de lecto tuo, non ſufficit cecidiſſe catenas de manibus tuis, ſed oportet te tollere grabatum tuum, ſi dare deſideres totalem triumphum gratiæ: *Ne redeundi videatur occaſio relicta.* *Et hoc, quia caſus ab occaſione dimanat;* Noli fidere bonis propoſitis tuis; ſi occaſionibus peccandi maneas expoſitus, licet de carcere exſilſes, facilè iterum Captivus fieres; ſunt enim quaſi ſynonima *Occaſio & caſus: Occaſio* enim venit ab *Occido*, ita ut idem ſit *Occaſio* quod *Cadere*: *Tunc malo ſubvenitur perfectè, quando etiam mali occaſio amputatur:* Quæ niſi amputetur, valde facilè

ventus

Alia tamen agěda ſunt, ne reincidas. manibus ejus, adhuc reſtant ei aliqua facienda, ne alioquin denuò incarceretur, & fiat captivitas ejus noviſſima pejor priore. Antequàm de his loquamur, petamus gratiam, & à Matre gratiæ petamus, dicamuſque illi: *Ave gratiâ plena.*

II. Petro à Vinculis ſoluto, mandat Angelus: *Calcea te caligas tuas.* An ergò caligæ Petri tanti erant valoris, ut proinde in carcere linqui non debuerint, etiam quando jam feſtinare oportebat? non ideò N. N. non ideò Petrus juſſus eſt calceos & caligas induere, ſed ut per hoc magni Conſilii Angelus, magnum Captivo noſtro documentum daret. Volebat Angelus, ut Petrus calceos, veſtimentum & quidquid illi tempore captivitatis ſervîerat, ſecum aſportaret, ne ei ad carcerem redeundi occaſio daretur. Captive, habeo hodie rem magnam ad te, licet videam per abſolutionem cecidiſſe catenas de manibus tuis, non parum circa te angoriſi tu jam ſecurus ſis, ego nondum ſum. Moneo te ſeriò, niſi cuncta, quæ ſervîerunt tibi in carcere, aut occaſionem præbuerunt captivitati tuæ tecum aſportes, facile denuò iiſdem vinculis conſtringeris, & fiet captivitas poſterior pejor priore; Hoc hodie oſtendo, & dum tibi rem magnam dico, magnam requiro attentionem. *Et quidem omnia aſportanda, propter quæ reditus poſſet fieri.*

III. Exod. 10. Perduellis Pharao Moyſi denegat licentiam Domino in deſerto cum populo ſuo ſacrificandi; at multiplicibus contuſus flagellis, tandem permittit: *Ite*, inquit, *ſacrificate Domino Deo veſtro; ſed quinam ſunt, qui ituri ſunt?* cui Moyſes: *Cum parvulis noſtris & ſenioribus pergemus, cum filiis & filiabus*, omnes ad unum uſque ituri ſunt; & niſi hoc fiat, nova ac prioribus graviora tibi depluet cœlum flagella. Quærit Abul. quid moverit Pharaonem ad hoc petendum? & quæſtioni à ſe objectæ reſpondet: *Volebat detinere aliquid ad illos pertinens, cujus obtentu redirent*; ſi uxores permanſiſſent, greſſus relegiſſent; ſi ſenes, compaſſio revocâſſet; ſi proles, amor retraxiſſet: Sit ita, ſed cur Moyſes, Pharaone permittente ut cum uxoribus, prolibus & ſenibus abirent, greges autem & armenta remanerent, noluit ut vel ungula ex gregibus remaneret: *Cuncti greges pergent nobiſcum, non remanebit ex eis ungula?* Ad hoc reſpondet D. Cyrillus noſter Lib. 1. Quia omnis dæmonis in hoc unico deſudat labor, ut aliquid ſemper maneat occaſionis relabendi in novam incarcerationem; unde, inquit, *Oportet, ut qui ſe in veram libertatem offerre velint, ſtudeant à malis abſcedere, & ſemitam ingredi, quæ ad virtutes ducit, nullaſque omninò aut animæ aut mentis reliquias dimittere, per quas iterum ſub diaboli dominatum redigantur.* Captive, de cujus manibus per confeſſionem catenæ, quibus vinctus eras, ceciderunt, ſi ab illius infelici mancipatu te velis vindicare, nec oculum, nec aurem, nec linguam, nec pedem, nec ungulam quidem in carcere relinquas: in hoc enim collimat diabolus, ut detineat aliquid ad te pertinens, cujus obtinendi causâ ad carcerem redeas, in quo te novis vinciat catenis. In ædibus illis, ex quibus ad carcerem

Sic Moyſes practicavit. Exod. 10. 9. Abul. Verſ. 26. S. Cyrillus.

Captivus

Captivus deductus es, in earum mulierum manibus, quas adeò ardens amâſti, & quibus tamquam diis ſerviiſti, nihil relinque pignoris, nihil monilium, nihil donorum, nihil litterarum, nihil eorum, quæ poſſent occaſionem præbere repetendi carcerem; in diaboli poteſtate obſides ne ponas, alioqui brevì illius iterum mancipatui addiceris. Meminiſti, ut credo, quid factum ſit.

Et Chriſtus ſic præcipit, IV. Joan. 2. Aſcendens Chriſtus Jeroſolymam, invenit in templo vendentes boves & oves, columbas, & nummularios ſedentes; unde paterni honoris zelo plenus: Joan. 2. 14. *Cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo; oves quoque & boves, & numulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit, dicens his qui columbas vendebant: Auferte iſta hinc.* Sicque illos ſimul & oves & boves & columbas ejecit. Toletus in cap. 2. Joan. Ad rem noſtram Toletus: *Prudenter Chriſtus hominibus ejectis, oves eorum & boves ejecit, ne redeundi videretur occaſio relicta. Tunc enim malo ſubvenitur perfectè, quando etiam mali occaſio amputatur:* Eras ante captivitatem Dei templum vivum, tali te inſignit titulo 1. Cor. 3. 19. Apoſtolus: *Neſcitis quia templum Dei ſanctum eſtis?* factus autem Captivus, *Tu feciſti illud ſpeluncam latronum*, deprædantium animam tuam; Idcircò rogo te, cùm ſis jam ſolutus à vinculis, ut quidquid ad incarcerationem ſervivit, ſarcines *Quia occaſio abſolutè vitanda eſt,* & auferas: *Auferte iſta hinc:* ne alioquin redeundi occaſio relinquatur: non enim ſufficit per Confeſſionem ſolvi à vinculis & de carcere exire, niſi tollantur omnia, quæ tibi in carcere ſervierunt. *Tunc enim malo ſubvenitur perfectè, quando etiam mali occaſio amputatur.* Paraliticum nôſti, de quo

V. Joannis 5? Jacebat ille in probatica piſcina, in qua erat multitudo languentium exſpectantium *Vt in Paralitico oſtenditur:* aquæ motum, 38. annos habens in infirmitate ſua: ut eum Chriſtus vidit, interrogat: *Vis ſanus fieri?* cui ille: *hominem non habeo*, qui Joan 5. 7. me adjuvet. *Tolle*, inquit Chriſtus, *grabatum tuum, & ambula.* Cur voluit Salvator grabatum ut tolleret? Quid inde, ſi in hoſpitali reliquiſſet, modò potitus fuiſſet ſanitate? Aliis certè languentibus ibi remanentibus ſervire potuiſſet: Cur ergò debuit illud ſecum tollere? Pandit myſterium Doctor Angelicus in Cat. D. Thomas. *Cum ſublatione lectuli, infirmitatem corporibus docuit defuturam.* Tollit ipſe grabatum, nihil relinquens in loco, ubi infirmatus fuerat, ne fieret recidiva ſanitas. Solus aër loci, in quo vel ſemel proſtrata eſt ſanitas, ſufficit ut inficiatur iterũ. Non ſufficit te ſurrexiſſe de lecto tuo, non ſufficit cecidiſſe catenas de manibus tuis, ſed oportet te tollere grabatum tuum, ſi dare deſideres totalem triumphum gratiæ: *Ne redeundi videatur occaſio relicta.* *Et hoc, quia caſus ab occaſione dimanat;* Noli fidere bonis propoſitis tuis; ſi occaſionibus peccandi maneas expoſitus, licet de carcere exiſſes, facilè iterum Captivus fieres; ſunt enim quaſi ſynonima *Occaſio & caſus: Occaſio* enim venit ab *Occido*, ita ut idem ſit *Occaſio* quod *Cadere*: *Tunc malo ſubvenitur perfectè, quando etiam mali occaſio amputatur:* Quæ niſi amputetur, valde facilè

ventus tentationis poteſt te iterum impellere ad malum. Non credis?

VI. Gen. 19. 17. Deus Sodomam & Gomorrham in cineres daturus, ut Loth innocentem ab incendio eriperet, mittit Angelum dicentem: *Ne ſtes in omni circa regione, ſed in monte ſalvum te fac.* Ad quid? Ut foras vadat, bene; ſed: *Ne ſtes in omni circa regione*, quare hoc? reſpondet pro me Cardinalis Ugo: *Quia poterat ventus impellere flammam circa regionem.* Qualiſcumque ventus poterat flammam impellere uſque ad Loth, & comburere eum, ideò dicit: *In monte ſalvum te fac, Ne ſtes in omni circa regione, ne & tu ſimul pereas.* Captive, per confeſſionem ceciderunt catenæ, quibus vinctus eras, de manibus tuis, jam, jam educendus de carcere Sodomæ: *Calcea te caligas tuas*; & dum exieris: *Ne ſtes in omni circa regione*, fuge occaſiones, omnia tecum porta: *Ne redeundi relinquatur occaſio*: *Ne ſtes in omni circa regione*; ſis procul à carcere, quia poteſt minimus ventus tentationis impellere flammam circa regionem & te corripere: *Ne ſtes in omni circa regione*; ne vadas per illam plateam; projice à te munuſcula & quidquid occaſionem præbuit captivitati tuæ, alioquin facilè iterum in carcerem conjicieris. Ne dicas mihi: non vado per iſtam plateam in malum finem; quia dico tibi, licèt ires etiam ſanctâ intentione, etiam Chriſtum inveniendi gratiâ, ſi ibi anteà aliquoties captus fueris, & in carcerem conjectus: *Ne ſtes in omni circa regione*, ne obambules eam, quia invenies te deceptum.

Gen. 19. 17.

Ugo Card.

Quare & Loth non potuit manere in omni circa regione Sodomæ.

VII. Matth. 26. Poſt trinam orationem, capitur Jeſus à Judæis in horto Gethſemani; diſcipulis cunctis fugientibus, demum ſecutus eſt eum Petrus à longè: intrat domum Caiphæ, Principis Sacerdotum, coram quo ductus fuerat Jeſus, in medio militum calefaciens ſe; interrogatur ab illic ſtante ancilla: Nonne tu unus ex diſcipulis es hujus Captivi? videris mihi unus ex ſequacibus ejus. At ille cœpit negare etiam cum juramento, quod non noviſſet hominem. Adhuc jurantem & anathematizantem, *Reſpexit* Jeſus *Petrum*, & ecce gallo cantante *recordatus eſt Petrus verbi, quod locutus fuerat Jeſus: antequàm gallus cantet, ter me negabis.* Et ſtatim *Petrus egreſſus foras flevit amarè*: dicens intrà ſe, heu quid feci? negavi Dominum meum, & Deum meum, ô me ſceleſtum, ô iniquum! illane, Petre, promiſſa fides Jeſu, quando prædicebat tibi, quod eſſes negaturus eum? ſed, Petre, cur foras egrederis? nonne meliùs erat flere in loco, in quo peccatum commiſiſti? in loco, in quo miſericordiæ oculo te reſpexit Dominus? Non, non, inquit Petrus, in ipſa aula Ancilla ſtat, per quam cecidi, ideò foras egredi volo: ſed, Petre, & ibi Chriſtus eſt, qui meritò conqueretur de te, quod tempore tribulationis & paſſionis magiſtrum tuum derelinquas: mavult Petrus tantiſper Chriſtum relinquere corporaliter, quàm denuò ad locum ire, ubi iterum labendi periculum erat. Digna profectò Petro reſolutio, inquit D. Hieronymus: *Foras illi egrediendum*

Matth. 26. 75.

Et Petrus ideò foras exivit.

S. Hieronymus.

egrediendum erat, non enim poterat in atrio Pontificis agere pœnitentiam. Et tú dicis: ſolutus ſum à vinculis, non eſt periculum, non vado ad illam domum in malum finem; ſed ego dico tibi iterum: licèt ires Chriſtum inventurus, & Deo ſacrificaturus, ſi locus ſit talis, in quo aliquoties captus es, & miſſus in carcerem, facilè iterum capieris: Hoc multum eſt dicere, inquies, verum tamen eſt, quia non poteris in atrio Pontificis agere pœnitentiam.

VIII. Obſervat Rupertus, Abrahamum in quocumque loco apparuerat ei Dominus, gratitudinis ergò ſemper ibidem altare erexiſſe. Gen. 12. 7. Ita Gen. 12. *Apparuit Dominus Abraham*, promittens ei terram promiſſionis: *Semini tuo dabo terram hanc.* Et ſtatim ſubjungit Sacer Textus: *Qui ædificavit ibi altare* Gen. 13. 18. *Domino*: Iterum Gen. 13. Promittit illi Deus multiplicare ſemen ejus, ſicut arenam maris: *Faciamque ſemen tuum ſicut pulverem terræ.* Et Abraham illicò: *Ædificavit ibi altare Domino.* Ædificavit quòque altare in monte, in quo oblaturus erat filium, quem diligebat, Iſaac & aliàs ſimiliter. At, inquit Rupertus, ſemel factum eſt, quod apparuerit ei Dominus, dixeritque ut exiret de domo & cognatione ſua, & non erexerit altare antequàm indè diſcederet: Gen. 12. 1. *Egredere de domo tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui.* Non eſt tibi bonum Abraham hìc eſſe: *Egredere*; & Abraham ſinè ulla replica, nullo exſtructo altari, relicto ſacrificio, diſceſſit indè, fugitque de loco, in quo periculum erat Deum offendendi, nolens vel ad momentum temporis ibi morari, ex conſideratione quod periculum eſſet in mora. Facta enim fuerat domus ejus ſcelerata ob iniquitatem populi. Unde Rupertus: *Benè Abraham in terra impiorum, nec obtulit ſacrificium.* Rupertus. Captive, egredere & tu de domo carceris tui, nec rurſus domum adeas, in qua quondam captus es, licèt Deo ſacrificandi causâ id velles facere: Certè ſi ſacrificium Laudis Deo offerre deſideres, quod ei placeat, imitare Patriarcham Jacob.

Abraham quòque de cognatione ſua.

IX. Gen. 35. 4. Juſſus Jacob in Bethel ſacrificare, paruit promptiſſimè, & ut omnes ad hunc cultum confluerent, & in eo partem haberent, injunxit omnibus ut idola abjicerent. Dicto obtemperantes, illicò eis ſeſe ſpoliârunt. Dederunt ergò ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum: *At ille infodit ea ſubter terebinthum, quæ eſt poſt urbem Sichem.* Gen. 35. 4. Fuerint idola illa, quæ Rachel ex ædibus paternis ſumpſerat, ut Ugo & Oleaſter opinantur, fuerint alia ex Sichimitarum ſpoliis accepta, ut docet Angelicus: Quæro ego, cur Jacob hæc idola ſepelierit? Non ſat erat ea à filiis abjecta eſſe? non ſanè, ſed opus erat ut perpetuâ oblivione hoc ipſum deleretur, quod peccandi incentivum præbere poterat. Ita D. Thomas: D. Thomas. *Noluit Jacob ea fundere, & materiam eorum conflatam retinere, ſed potiùs omninò rejicere & ſepelire.* Si aurum & argentum in domibus ſuis aſſervâſſent, nova iterum de facili conflare potuiſſent idola; terræ verò infoſſa, atque ab illorum

Et Iacob ob eamdē cauſam ſepelivit idola.

abſtracta oculis, omnis erat præciſa occaſio, ea de cætero adorandi: ſicque omnem non tantùm occaſionem, ſed etiam memoriam malorum ſuſtulit. N. eras Captivus diaboli, & ab eo vinctus, modò Dei gratiâ à vinculis ſolutus, ſi verè liber eſſe cupis, & non vinciri denuò, debes cum Jacob omnem navare operam, ut tollas quidquid ad novam incarcerationem pellicere poſſet; laſcivas domi non teneas picturas, libros amatorios procul omnes proſcribas, atque omne, quod impuri amoris fomentum eſſe poſſit, jubeas abeſſe: periculis te non exponas, ad loca non vadas, ubi tenſa ſunt diaboli retia, & parati dæmonis laquei. Hæc ab una diſce muliere, ſed generoſa.

X. Judith 16. Decapitato Holoferne, obtentâque de Aſſyriis, inimicis populi Dei victoriâ, diviſit populus ſpolia, & dederunt Judith univerſa vaſa bellica Holofernis. Illa verò, *Univerſa vaſa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopæum, quod ipſa ſuſtulerat de cubili ipſius, obtulit in anathéma oblivionis.* (Judith. 16. 23.) Itane? tam parvi facit victoriæ tantæ ſpolia? cur non ſervat ſibi in gloriam poſterorum? cur non ponit inter trophæa? cur in perpetuam rei memoriam non appendit ad parietes domûs ſuæ? Si gladium cæteraque Holofernis arma, utpotè ſibi non quadrantia ſervare nolit, cur ſaltem conopæum, quod erat ex purpura & auro & ſmaragdo & lapidibus pretioſis intextum, ſuppellectilem ſexui ſuo ſummè convenientem, ad ſuæ oſtentationem familiæ non reſervat?

At Iudith univerſa vaſa bellica in anathéma oblivionis ſuſpendit.

Vis dicam? quia prævidebat ſancta mulier, quod fortè toties quoties conopæum aſpiceret, in memoriam revocaret occaſionem perdendi ſe, & quod reminiſcentia facti potuiſſet facilè imaginationem excitare, & imaginatio ſenſualitatem, & ideò illa projecit à ſe, æternæ tradens oblivioni, *In anathéma oblivionis.* Si verè & tu de Holoferne infernali per Confeſſionem tuam triumphâſti, univerſa vaſa bellica, quibus ab illo devictus es, offer *In anathéma oblivionis*, ſignanter tamen conopæum: Scis quo vergam? Quantùm præteritarum delitiarum recordatio nocuerit multis, centena millia hominum teſtantur.

XI. Exodi 14. Diſruptis ſervitutis vinculis volabat Iſraël ad terram promiſſionis; at curſum ſtitit mare rubrum, quod Moyſes virgâ ſuâ percutiens diviſit, ut graderentur filii Iſraël per ſiccum: neque hìc prodigium hæſit: ventus de Divinæ theſauro Providentiæ hauſtus, ita fundum maris vertit in ſiccum, ut non remanſerit vel veſtigium, quod illo in loco requieviſſent inquietæ maris aquæ: *Flante vento vehementi & urente, totâ nocte vertit in ſiccum.* (Exodi 14. 21.) Hic exitus Iſraël de Ægypto repræſentat, juxta S. Zenonem, tranſitum captivæ animæ, de ſervitute diaboli, de Ægypto culpæ ad gratiam & veniam, per mare rubrum pœnitentiæ. (S. Zeno.) Vis ergò ſcire, anima captiva, an ceciderint catenæ de manibus tuis, an in hoc tranſitu tuo, in tua converſione ventus Spiritûs ſancti ſpiraverit? vide an ita verterit in ſiccum fundum cordis tui, ut depurgatum ſit omne cænum, omnis aqua

Figurantur hæc omnia in tranſitu maris rubri.

quâ turbida, omnis memoria, omne veſtigium aut ſignum præcedentium delectationum. Vide utrum de te dici poſſit, quod de Coloſſenſibus Apoſtolus.

XII. Cap. 2. 20. ſcribit illis Apoſtolus: *Mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi hujus*: Gaudeo, & exultat ſpiritus meus, quod mortuos vos videam ab elementis mundi hujus: Porrò hîc quæro: ſi nullus abſque quatuor elementis vivere queat, quomodò Paulus illis mortuos dicit Coloſſenſes? Primaſius exiſtimat per elementa hîc vitia intelligi, avaritiam ſcilicet, ambitionem, crapulam & laſciviam, ex quibus totus componitur orbis corruptus. *Elementa hujus mundi poſſunt definiri avaritia & ambitio honorum, & cætera mundana.* Vel ut cum Philoſopho loquar: *Elementa ſunt principia omnium rerum, ex quibus omnia reliqua componuntur.* Ita & Grammatici prima elementa litteras Alphabeticas vocant. Quaſi diceret Apoſtolus: felices vos Coloſſenſes, quia non ſolùm mortui eſtis vitiis, rapinæ, vindictæ, laſciviæ, &c. ſed & elementis ipſis, minutiſſimis eorum principiis, ex quibus peccatum naſcitur. Non ſolùm mortui eſtis laſciviæ, ſed etiam aſpectui curioſo, manûs extenſioni, etiam jocoſæ, ac verbo æquivoco, multò magìs ſcurrili; De corde veſtro obliteráſtis peccata præterita, & ita extermináſtis, ut non reſtet vel apex, aut veſtigium, aut umbra defectûs: *Mortui ab elementis.* Non miror his terminis uſum Apoſtolum, dum habeo vel ipſum Horatium Poëtam Ethnicum ita loquentem: Lib. 3. Ode 20. *Scelerum ſi benè pœnitet, evadenda ſunt prava libidinis elementa.* Niſi ſic feceris, Captive, non blandior, ſed candidè loquor, vereor ne tibi contingat, quod contigit Hebræis in ruinam.

Coloſſ. 2. 20.

Et quia Coloſſenſes ſic fecerunt, Apoſtolus gaudet.

XIII. Numeror. 11. 6. In ipſo itinere ad terram Promiſſionis, ortum eſt murmur populi contra Dominum. Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? *Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man.* Anima arida inundata dulcedine mannæ? Quomodò poſſibile inter omnis dulcedinis flumina tantam regnare ariditatem? reſpondent ipſi: *Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto; in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porrique & cepæ & allia.* In memoriam redeunt cibi Ægypti. Quid refert reminiſci aut recordari, modò non conſentiant? hic nodus eſt, inquit Oleaſter, delectationes præteritas memoriâ retinere, & eis non immergi denuò. Nam ſi illarum memoria non eradatur penitùs, ipſa ſola ſufficit, ut anima, etiam inter delitias, ſpirituales, peccato conſenſum præbeat, & erga cibos Ægypti viliores & duriores appetitum acuet. *In hoc pœnitentes maximè laborant, ut vitiorum præcedentium memoriam expellant; hoc enim malum vitia habent, ut ſuâ recordatione lædant, cui non poſſunt ſuâ præſentiâ nocere.* Non alios hîc teſtes volo, quàm ipſos Iſraëlitas, cœleſtium delitiarum adeò tandem pertæſos, ut ad invicem dixerint: *Conſtituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum.* Captive, (tali te nomine adhuc appello, cùm necdum extra carcerem te videam) licèt

Numer. 11. 6.

Etiam ſola recordatio præteritorũ nocet: ut in filiis Iſraël patuit.

Oleaſter.

Numer. 14. 4.

licèt ceciderunt catenæ de manibus tuis per factam à te confeſſionem, ex parte Dei te moneo, antequàm de carcere exeas: *Calcea te caligas tuas, circumda tibi veſtimentum tuum* (de quo die craſtinâ) omnia tecum porta, nihil in carcere relinquas, ne quidem memoriam retinens præcedentium recreationum, quas habuiſti à duobus militibus, quibus traditus eras cuſtodiendus, carne ſcilicet & mundo; alioquin prædico tibi, ſicut prædixi, brevi iterum reverteris in Ægyptum & novæ te trades ſervituti: idem enim apud me eſt, occaſionibus ſe exponere, & carcerem velle; ſi tamen nolis mihi, Doctori Gentium hac in parte fidem adhibe: de ſe loquitur.

Ideò omnia tua omninò in carcere relinquenda.

XIV. Rom. 7. *Occaſione autem acceptâ peccatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Nota ordinem verborum; primò dicit: *Occaſione acceptâ*, non obviâ, ſed *acceptâ*: quia in eo conſiſtit omnis malitia occaſionis. Secundò in iſta *Occaſione acceptâ* non dicit Apoſtolus: *Peccatum operabitur in me*, *ſed operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Hoc eſt, inquit Doctor Angelicus: *Omnem actum malè concupiſcendi operatum eſt, & non operabitur.* Quia acceptare occaſionem peccandi, & peccare, non duæ res ſunt, ſed una tantùm. Et illud ipſum præceptum, quod obligat fugere peccata, etiam obligat fugere occaſiones, quia qui amat periculum, peribit in illo. Quando diabolus quærebat ab Eva cur ipſa & maritus ejus non manducarent de ligno, quod erat in medio Paradiſi, reſpondet illa: *Præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud:* Eſum, non tactum Deus prohibuerat, quid ergò cauſæ erat, quod etiam attactum vetitum diceret? indè id factum, quod manu prehendere pomum, curioſè oculis aſpicere, odorem explorare, ori admovere, &c meræ eſſent ad comedendum illecebræ & pellaciæ, & idcircò, quâ lege ac præcepto pomi comeſtio prohibebatur, eâdem etiam vetebatur illius attactus. *Ex tactu enim facilè fit caſus in guſtum*, inquit Ugo, & ſic: *Occaſione acceptâ peccatum operatum eſt in ea omnem concupiſcentiam.* Diſcas hæc à matre tua, fili Adæ, & certus eſto, quod licèt ceciderint catenæ de manibus tuis, novis tamen innodaberis vinculis, ſi occaſionibus captivitatis tuæ denuò te exponas. Neque ſatis te fortem putes, ut illis reſiſtas, quia dico tibi ex parte Dei cum Iſaia cap. 1.: *Erit fortitudo veſtra ut favilla ſtupæ*; non dicit tibi Deus fortitudinẽ tuam fore inſtar ſtupæ diſpoſitæ ad concipiendum ignem, ſed *Sicut favilla ſtupa*; inſtar favillæ in ſtupa jam accenſæ. Dum dicis mihi: in occaſionibus non peccabo, benè dicis: *Non peccabo*, quia jam peccâſti; temeritas tua, jactantia tua non eſt ſtupa, quæ poſſit accendi, ſed *Favilla ſtupæ*, ſtupa ex nunc accenſa. Hoc melius te novit Sara Abrahæ uxor.

Rom. 7. 8.

D. Thomas.

Quia etiã velle occaſionem, eſt velle peccatum.

Gen. 3. ℣. 3.

Reſponſum Evæ docet occaſionem vitandam.

Iſaiæ 1.

XV. Gen. 21. Videns illa Iſmaëlem ancillæ filium cum Iſaac ludentem, vel ut alius textus habet *Idololatrantem*, ait marito: *Ejice ancillam & filium ejus*: non ultrà filius meus cum illo nequiculo converſetur, quia Iſaac filius benedictionis eſt, fructus orationis, & Dei de-

Gen. 21. 10.

Quod Sara benè obſervavit.

deſtinatus obſequio, ejice ancillam & filium, cùm ſolus filius ſit culpabilis, ad quid etiam matrem relegare, quæ malum non fecit, & Domino fideliter ſervivit? Petis deſuper à me rationem? ſi à paterna domo ſolus fuiſſet Iſmaël dimiſſus, rediiſſet de tempore in tempus prætextu viſitationis matri debitæ cum ſummo periculo perverſionis Iſaac, ideò ejectam voluit cum filio matrem, *Ut omnia impietatis aboleret veſtigia.* Si ergò à peccato, & diaboli vinculis liber eſſe cupis, relega à te occaſionem, quæ mater eſt peccati: ejice ancillam, ne inficiatur Iſaac: ſtudeas omnia impietatis & incarcerationis abolere veſtigia, quia, cum D. Laurentio Juſtiniano loquor: *Nemo tutus eſt periculo expoſitus*: nemo? nemo: ergò neque tu.

D. La ur Juſt.

XVI. Dices fortè quale mihi periculum eſt, dum nolo peccare? Quale? quod Adami ſis filius, conſequenter, ut loquuntur Theologi, *In ſtatu naturæ lapſæ*: quod ſis peccati originalis ſtrage graviter læſus, quodque quatuor vulnera, quæ indè recepiſti, adhuc in te reliquerint cicatrices ſuas; vulnus ſcilicet in capite rationem obfuſcat: vulnus in corde illud ad malitiam inclinat, & alia duo in membris concupiſcentiam inflammant, & corrumpunt appetitum ſenſitivum. Inſuper fermentatus es ex pulvere nitrico, nutritus ſulphure, & carnem habes repugnantem legi mentis: & adhuc petis, quale periculum? Fomes peccati adhuc in te fumigat, corpus quod corrumpitur animam aggravat, paſſiones indomitæ recalcitrant, ſic ut eas modò domare non poſſis tam facilè, quàm potuiſſes in feliciſſimo ſtatu innocentiæ: & adhuc petis, quale periculum? Certè tale, ut ſi gratia Dei ab illo te non eriperet, & effrenes paſſiones capiſtro ſuo non conſtringeret ac habenis moderaretur, jamdiu in præcipitium fuiſſes prolapſus. In tali ſtatu verſaris (Auguſtino teſte) *Ut intus confligant in te, de te, adverſum te*, & hoc uſque adeò, ut ipſe tibi periculoſus ſis. *In te, de te.* Jam verò, ſi occaſionem ſimul adjicias, quantùmcumque levis illa ſit, quid tunc erit? Fidis fortè libero tuo arbitrio, aut viribus propriis? habes Divinam ſapientiam contradicentem tibi Joan. 15. 5. *Sine me nihil poteſtis facere*: Et Concil. Arauſic. addit: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum.* Unde D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 4. & 9 ex Magiſtro ſuo Auguſtin. Lib. de corrept. & Gratia cap. 2. docet, quod *Sine gratia nullum prorſus, ſive cogitando, ſive volendo, ſive agendo faciunt homines bonum*: Vide ergò an non ſit impia præſumptio tua, dum fidens propriis viribus, mittis pedes tuos in retia, & capi non times. Ridet te Propheta Job. 18. aiens: *Immiſit in rete pedes ſuos, tenebitur planta illius laqueo.*

Periculum in occaſione manifeſtatur.

Joann. 15. 5.

Conc. Arauſ.

S. Thomas.

S. Auguſtin.

Job. 18. 8.

XVII. Deus, inquis, gratiâ ſuâ ſpeciali me tunc confortabit? Itane? & ego tibi dico: Si audaci temeritate occaſiones non tollas, illiſque te exponas, quod potiùs puniet temeritatem tuam, gratiam illam ſubtrahendo. Audi verba Mellifluі: *Majus miraculum eſt inter vehemen-*

Et occaſioni amans temerariè præſumit de gratia.

D. Bernardus Serm. 65. in Cat.

hementes occaſiones non cadere, quàm mortuos ſuſcitare. Num fortè te in illas conjiciens, contendis auſu præſumptuoſo tale debere fieri in te? Certè non meretur miraculum, qui non credit, niſi videat miracula; & tentare Omnipotentem, diabolica perfidia eſt. Diceſne, juſtior ſum ego Loth? Sampſone fortior? Melior Davide? Salomone ſapientior? Non credo quod adhuc adeò ſtolidus, & mente captus ſis. Jam verò occaſio juſtum Loth, quem flamma ſulphurea offendere non potuit, in horrendum incœſtũ cum filiabus induxit. Occaſio invictiſſimum Sampſonem, poſt devictos leones, deletos exercitus, unius fœminæ infame fecit trophæum: Occaſio Davidem, virum ſecundùm cor Dei, in adulterium traxit. Occaſio Salomonem, orbis miraculum, mundi ſapientiam, ſpurciſſimum fecit idololatram. Vis clarè eloquar? Si occaſionibus peccandi te tam temerè exponas, licèt eſſes in medio auxiliorum Dei, adhuc timendum, quod denuò peccabis, & novis vincieris vinculis. Vis probam? audi, & exhorreſce.

Et qualiter fortiſſimi, juſtiſſimi & ſapientiſſimi in iis ceciderint oſtenditur.

XVIII. Latro quidam famoſus (caſum narrat Recupitus) ductus ad patibulum, in malum ſuum, tranſit domum ſuæ quondam Amaſiæ, ut illam vidit, novâ accendebatur concupiſcentiâ carnali, & impudicæ animo præſens factus eſt, cùm illi ligatus & vinctus corpore adeſſe non poſſet. State hîc NN. ſtate. Homo jam jam confeſſus, ſacro munitus viatico, tendens ad mortem, non pluribus diſtans paſſibus à Divino tribunali quàm à patibulo, laqueum habens ad collum, Sacerdotem à latere, in manibus Crucifixum, in multitudine populi pro ipſo orantis, ad ſolum aſpectum Amaſiæ ita accenditur, ut nec juſtitia humana, à qua condemnatus, nec Divina, à qua condemnandus, potuerint extinguere illam abominabilem flammam accenſam; State, ſtate NN. quia non ad quæſitam hîc, ſed ad obviam occaſionem, & in medio auxiliorum Dei æternùm periit: Rogo ergò vos omnes quotquot hîc eſtis verbis Iſaiæ 52. *Recedite, recedite exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus;* Elongamini, elongamini, ſi occaſionibus ſitis expoſiti: *Recedite, recedite.* Et ſi ſitis in illis, *Exite, exite inde*, & exeundo attendite ne vel extremitate digiti tangatis: *Pollutum nolite tangere, exite de medio ejus.* Et tu, Captive, ſi ceciderint catenæ de manibus tuis, relicturus carcerem, calcea te caligas tuas, nihil relinquas in carcere, alioquin erit mihi liberatio tua ſuſpecta valdè. In probam veritatis non recedo à Petro Captivo noſtro.

Et per caſum horrendum confirmatur.

Iſaiæ 52. 11.

XIX. Ipſâ nocte, quæ Petro debebat eſſe ultima (ut audîſtis) erat Petrus dormiens: à ſomno excitatus monituſque ab Angelo ut ſurgeret velociter, ceciderunt catenæ de manibus ejus: Quis non diceret Petrum jam ſecurum? ſit qui voluerit, ne quidem Petrus eſt ſecurus, quin imò liberationem ſuam ſomnium exiſtimat: *Exiſtimabat ſe ſomnum videre.* Pertranſit primam & ſecundam cuſtodiam, imò & porta ferrea ultrò aperta eſt ei. Numquid jam ſecurus? non eſt: quid ergò facto opus? *Proceſſerunt vicum unum,*

Nec ante ſe Petrus verè liberum exiſtimabat, quàm quando jam vicum unum à carcere proceſſerat.

unum. Et tunc tandem, quando jam erat longè à carcere diſſitus, tunc ait: *Nunc ſcio verè, quia miſit Deus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis.* Quaſi diceret: vicinas ſibi habere catenas, & ab illis ſolutum ſe credere ſomnium eſt; propè carcerem & cum militibus manere, & ſe liberum & ſecurum exiſtimare, vanitas eſt, ſtultitia eſt. Sed quando & carcer & vincula & milites longè erunt à me, & ego ab illis, tunc dicere potero: *Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me.* Fateor, Sacerdos te abſoluens, Angeli officio fungitur, quia ſoluit vincula tua, quia de carcere te educit, & reducit ad libertatem filiorum Dei: ſed hoc dico, & ſic finio ſermonem: niſi procedas ab occaſione vicum unum, niſi peccandi occaſionem amputes, niſi tollas omnia quæ tibi ſive ad incarcerationem, ſive in carcere ſervîerunt, adhuc non dicam: *Nunc ſcio verè*, ſed manebit mihi liberatio tua multùm ſuſpecta. Fac ut judicium illud mutem de te. *Tunc malo ſubvenitur perfectè, quando etiam mali occaſio amputatur.* *Sic fac & tu.*

FERIA VI. DOMINICÆ III. ADVENTUS.

De Captivitate Petri.

Circumda tibi veſtimentum tuum. Act. 12.

Petrus ad Prunas calefaciens ſe ab igne correptus eſt.

I. CAptive, ne circa tuam de carcere liberationem ſecurum te putes quia confeſſus es, licèt ceciderint catenæ de manibus tuis, niſi calcees te caligas tuas, niſi tecum tollas quidquid ad incarcerationem tuam, tam ante, quàm eâ durante ſervivit, prædico tibi novis vincieris catenis, & aggravabit diabolus compedes tuos. Ac proinde ſi ſapis: ſequere conſilium meum: De carcere liberatus, *Ne ſtes in omni circa regione*: à carcere longè te fac: quia facilè ventus tentationis poſſet impellere flammam circa regionem. Nôſti Petrum ad prunas ſe calefacientem ab igne correptum, dum tertiò Magiſtrum negavit, vide ne & tu ad has prunas pereas: ſed Abrahamum imitare, qui aliàs apparenti Deo ubique ſacrificare ſolitus, maluit tamen in terra ſcelerata ei ſacrificium non offerre, quàm peccandi occaſioni ſe exponere. Tunc gratum ſacrificium Deo offeres, quando univerſa vaſa bellica Holofernis infernalis cum Judith Deo conſecrabis *In Anathéma oblivionis.* Et numquam ea meliori trades oblivioni, quàm dum ſicut Jacob infodies illa ſubter terebinthum Crucis, & ea rejicies procul abs te, & ſepelies ea non ſolùm ſic abſcondens ab oculis, ſed etiam auferens de memória, ut ventus Spiritûs S. ita vertere queat in

ſiccum cœnoſum & turbulentum fundum cordis tui, ut tandem diſpurgatum ab omni ſorde & ſpurcitia præcedentium delectationum, ultra in mentem non admittat cucumeres, pepones, porroſque & cœpe, & allia Ægypti, quorum memoria facilè te rurſus adduceret eò, ut cum Ægyptiis diceres revertamur in Ægyptum. Ne hoc mireris, quia, ut herì dicebam, idem apud me eſt carcerem velle & occaſionibus ſe exponere. Nam ut benè Doctor Gentium Rom. 7. *Occaſione acceptâ peccatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Non operabitur tantùm, ſed jam operatum eſt. Ne iterùm dicas quare peccare debeo dum nolo peccare, quia dicerem iterum: eò quod filius ſis Adami, & in ſtatu naturæ lapſæ, fermentatus ex pulvere nitrico, & nutritus ſulphure, idcircò peccare debes, quando occaſionem vis, & quidem ſic, ut majus miraculum ſit inter vehementes occaſiones non errare, quàm mortuos ſuſcitare. Ergò *Calcea te caligas tuas & circumda tibi veſtimentum tuum.* Fortè non nôſti veſtimentum, de quo dicturus ſum, imploremus opem ejus, quæ Verbum Patris veſtimento induit humanitatis, dicamuſque ei: *Ave Maria.*

Sic & tu facilè inflammaberis, nì ab occaſione recedas.

II. Quis umquam cogitâſſet quod Angelus Petrum de carcere educturus tantum debuiſſet laboris impendere? hodie octava dies eſt, à qua vidimus eum occupatum. Primò *Aſtitit illi* in carcere, ut à ſomno excitaret, ſecundò *lumen refulſit in habitaculo*, tertiò percuſſit latera ejus, *percuſſoque latere*, quartò clamavit *Surge*, & quidem *velociter*, donec tandem *ceciderint catenæ de manibus ejus*, quinimò antequàm de carcere educeret, debebat monere, ut calcearet ſe caligas ſuas, & circumdaret ſibi veſtimentum ſuum. *Circumda tibi veſtimentum tuum.* Captive, revera non eſt res parva de carcere diaboli educi, ut vidimus hactenus. Licèt per Sacramentum pœnitentiæ ceciderint catenæ de manibus tuis, tamen ſi liberationem tuam certam velis, non ſolùm fugiendæ ſunt peccandi occaſiones, ſed oportet circumdare tibi veſtimentum tuum. Si à me quæras quale illud veſtimentum ſit: aſſigno duplex: externum & internum: pœnitentiã externam & internam. Dico cum Auguſtiſſimo Auguſtino: *Parum eſt peccatorem pœnitere, niſi egerit pœnitentiam.* Ago hodie de veſtimento externo, quod tibi circumdare debes, de ſatisfactione, parte integrante Sacramenti pœnitentiæ, dum me præparo ad exordiendum, aures præpara ad me audiendum: Deo auſpice incipio.

Multo labore conſtat liberatio,

Et veſtis circumdari debet,

III. Matthæi 21. Mundi Salvator maximo apparatu & pompâ Jeroſolymam ingredi ſtatuens, ad hunc triumphum eligit ſibi aſinam & pullum ejus, figuram Captivi diaboli juxta illud Ezech. 23. 20. *Quorum carnes ſunt, ut carnes aſinorum.* Nota circumſtantias: Primò: *Miſit diſcipulos ſuos dicens eis: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea, ſolvite & adducite mihi.* Non potuit vinctus peccator Chriſto adduci, niſi in Sacramentali confeſſione Apoſtolicis ſolutus

Matthæi 21. Antequàm Chriſtus in anima peccatrice jam converſa ſedeat.

Ezech. 23. 20.

Quæ per aſinam figurabatur.

lutus manibus. *Omnis namque ſpes veniæ & miſericordiæ in confeſſione eſt*, inquit Mellifl. de Intern. Do.

D. Bernardus. Cap. 1. *Nec poteſt quis juſtificari à peccato, niſi prius fuerit confeſſus peccatum. Ex eo enim unuſquiſque juſtus eſſe incipit, ex quo ſui accuſator extiterit.* Sic ergò ſolutus, & de peccatore juſtus factus poteſt Chriſto adduci, & Chriſtus dignè quieſcere & habitare in corde ejus, ut

Origines. ſubtiliter Origenes in Matth. Tract. 14. Cap. 21. Tom. 1. *Diſcipuli Chriſti ſolvunt utrumque & ad Chriſtum perducunt, ut aſcendat ſuper eos, cùm ſolati fuerint à peccatis, accipientes remiſſionem eorum. Super alligatos autem adhuc, & vinculis peccatorum ſuorum conſtrictos non ſedet Jeſus.* Neque hoc ſufficit, ſed opus eſt ut ſic ſolutus deinceps compareat veſtitus, & circumdet ſibi veſtimentum, veſtimentum ſcilicet Apoſtolicum, & ideò ait Evangeliſta.

Verſ 7. *Diſcipuli impoſuerunt ſuper eum veſtimenta ſua.* Sicque: *Eum deſuper ſedere fecerunt.* Neceſſe ergò eſt, ut aſinus ille (peccator) reddatur digna ſedes & proportionatum habitaculum Dei, ut circumdet ſibi veſtimenta Apoſtolica, de quibus dictus

Origenes. Origenes Hom. 37. in Lucam: *Veſtimenta Apoſtolorum peccator habet, cùm eorum Doctrinam imitatur & vitam*, ad quam non pervenitur niſi ductrice verâ & perfectâ pœnitentiâ. Audi quid Deus præceperit obſervari circa mulieres captas in prælio.

Deut. 21. 11. *Porrò illa veſtis eſt veſtis pœnitentia.* IV. Deut. 21. 11. *Si videris*, inquit, *in numero captivorum mulierem pulchram, & adamaveris eam, volueriſque habere uxorem, introduces in domum tuam, quæ radet cæſariem, & circumcidet ungues, & deponet veſtem, in qua capta eſt, ſedenſque in domo tua flebit Patrem & Matrem ſuam uno menſe, & poſteà intrabis ad eam, & erit uxor tua.* Quæro cur Divina ſapientia in exilis adeò momēti materia, circumſtantias minutiſſimas, & conditiones omnes adeò exactè præceperit? Quid enim refert ungues ſuccidere, vel permittere? cæſariem radere, aut colere? plangere, vel ridere? myſterium declarat Lyranus: per hanc mulierem ſignificatur peccatrix anima: quæ pulchra dicitur ratione imaginis, Captiva ratione criminis; hanc adamat Deus, eamque vult ſponſam habere per fidem charitate formatam. Ad hoc ergò oportet ut *Deponat veſtes, in quibus capta fuit*, id eſt omnia vitia & peccata præterita per veram contritionem & confeſſionem, ut radat cæſariem & circumcidat ungues, per quod deſignatur quod debeat peccatorum circumſtantias aggravantes per confeſſionem deponere, occaſiones peccandi vitare, & circumdare ſibi veſtimentum pœnitentiæ. Ad hanc rem facit lex antecedenter à Deo lata circa captivos. Exod. 21. ubi ſic loquitur: *Si emeris ſervum Hebræum, ſex annis ſerviet tibi, in ſeptimo egredietur liber gratis. Cum quali veſte intraverit cum tali exeat*: Nôſti candidam veſtem, quæ in baptiſmo data eſt tibi, illam exuiſti factus Captivus diaboli, ſed quàm dilaceratam? rogo te antequàm de carcere exeas aſpicias illam, & dum benè perſpexeris, petam à te, quod olim à Exod. 21. 2.

 Patre

Gen.37. 32. Patre filii Jacob: Gen.37. *Vide utrum tunica filii tui ſit:* Si verè liber eſſe cupis, *Cum quali veſte intraveris cum tali exeas.* Circumda tibi veſtimentum tuum, quocum intrâſti Eccleſiam, cum tali exeas de carcere. *Depone veſtem in qua captivus es*, & circumda tibi veſtimentum pœnitentiæ, quæ dicitur ſecundus Baptiſmus. Sed quanta differentia inter primum & ſecundum? in illo nullis tuis præcedentibus meritis, indutus eras veſte innocentiæ. De hoc Trid. de Juſtif. Cap.7. *Non ſolùm eſt remiſſio peccatorum, ſed & ſanctificatio & renovatio interioris hominis.* Hinc Seſſ.14. Cap.2. de Sacram. Pœnitent. *Per Baptiſmum enim Chriſtum induentes, nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes.* De ſecundo autem ſic loquitur: *Ad quam quidem novitatem per Sacramentum pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus & laboribus Divinâ jam exigente juſtitiâ pervenire nequaquam poſſumus, ut meritò pœnitentia laborioſus quidam baptiſmus à ſanctis Patribus dictus fuerit.* Clareſcit veritas.

Pœnitentia enim ſecundus baptiſmus, Trident.

Per quem reinduitur veſtis prima gratia & innocentia.

Joan.21.7. V. Joan. 21. 7. Chriſtus poſt glorioſam reſurrectionem ſuam diſcipulis in mari Tiberiadis piſcantibus apparens à Joanne cognoſcitur, qui illicò ait ſociis: *Dominus eſt*, quibus auditis Petrus *Tunicâ ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare, alii autem diſcipuli navigio venerunt.* Cur, obſecro, ſolus Petrus in mare ſe mittit cæteris ad Dominum navigio appropinquantibus? Vis ſcire? ſolus Petrus qui Dominum negaverat, noverat ſe Deum offendiſſe enormiter, adeòque minùs ſibi conveniens eſſe, ſi Dominum, ad Divinæ ejus ſatiſdandum juſtitiæ, per grandium laborum & ſudorum ſemitam non adiret; non illi ſat erat lacrymis culpam abluiſſe, niſi jam factus pœnitens, pœnitentiæ veſtimento indutus in mare ſe mitteret, adhuc ampliùs abluendum: ita de Petro Petrus Chryſol. Serm. 78. *Miſit ſe in mare, ut mare dilueret, quod negatio taliter ſordidaverat.* Erat anima ejus ob tam turpem negationem reddita amara ut mare, quia de illo dici poterat. *Magna eſt velut mare contritio tua*, ideò in mare ſe miſit, ut in ſignum veræ pœnitentiæ non ſolùm effuſæ ab eo lacrymæ, ſed omnes marinæ undæ ſuarum abluerent noxarum fœditatem, omnemque ſuæ negationis reatum. N. Vis ſcire num ceciderint catenæ de manibus tuis? *Circumda tibi veſtimentum* pœnitentiæ, Petri tunicâ ſuccinge te, non tibi ſufficiant effuſæ aliquot in confeſſione lacrymæ (ſi tamen effuſæ) ſed mitte te in mare, ſit magna velut mare contritio tua, ut mare totaliter diluat, quod peccatum ſordidaverat: Si unicâ ablutione te ex toto ablutum putes, vereor (cùm adhuc ſis in carcere) ne 16. milites (de quibus ante) exitum tuum impediant, & in carcere te detineant.

Ideò Petrus tunicâ ſe ſuccingens miſit ſe in mare, ut ad Dominum veniret.

D.Chryſol.

VI. 4. Reg.5. 10. Naaman Syrus de S. P. N. Elizei miraculis factus certior, adit illum, ejuſque auxiliatrices implorat manus, ut emundari à lepra poſſet quâ miſerè affligebatur: cui ille: *Vade & lavare* 4. Reg.5. 10.

ſepties

Ad converſionem ſtabilem plus lotione ſimplici requiritur.

ſepties in Jordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis. Cur ſeptem vicibus Jordanis aquis mergi voluit? Cùm turbidæ illæ & lutulentæ aquæ vim lepram emundandi non habuerint, ſed è cœlo ſoſpitatem & incolumitatem ſperare deberet Naaman, nonne unica merſio ſuffeciſſet? non eſt qui dubitet; & tamen ſeptem requirit, ut tu hinc colligas ad perfectam animæ emundationem requiri non unicam & ſolam balneationem, ſed ut tuis te lacrymarum fluviis immergas ſæpius, ſi planè te liberum velis à vinculis, perditamque innocentiam, & mortificata merita per veram reviviſcentiam recuperare. Quod ſi actu unico & paucuſſis lacrymulis perfectam acquiri munditiam poſſe dicas, & idcircò cætera negligas, vide ne de numero eorum unus ſis, de quibus Guerricus Abbas Serm. 4. de Epiphania Domini conqueritur, dicens. *Vix ægrèque obtinetur à ſuperbo peccatore ut deſcendat in Jordanem & lavet ſe: ſi tamen ſæpius lavet, totumque ſe pleniùs, & ſæpius mergat, non moratus effectus ſalutis, fidem Prophetico facit Sermoni. Sed, proh dolor, quanta eſt hujus noſtri miſeria temporis! quia non ſolùm divites, ſed etiam pauperes leproſi, ita inveniuntur delicati, ut vix uſque ad talos ſalubribus intingi patiantur aquis, aut ſi ſemel laverint, mox ſibi pleniſſimè videantur mundati. At Eliſeus non ita ſentit, ſed ſignanter exprimit, ſepties lavare & mundaberis.* Poſſe te actu uno vel contritionis vel attritionis cum Sacramento omnium conſequi remiſſionem peccatorum, quantùm ad culpam ſcio; ſed & hoc ſcio manere adhuc reatum pœnæ, & habituum perverſitatem, quæ inclinet iterum ad malum, ſcio, inquam, adhuc adhærere peccatorum reliquias, adhuc vivere in te paſſiones infrenatas pravaſque inclinationes nondum omninò eſſe extinctas, quas ut quis perfectè ſuperet, ordinariè longo opus eſt tempore, aſſiduo exercitio, & laboribus continuis: Non eſt res parva quatuor quaternionibus militum reſiſtere, ſuis obniti paſſionibus & concupiſcentiis: Unicâ ablutione non tam facilè mundatur ſordidata anima. Et tamen vix ceciderunt catenæ de manibus tuis, adeò peccatorum tuorum obliviſceris, ac ſi numquam commiſiſſes, ſecurus totus. David de ſua liberatione certior factus, dicebat: *Cogitabo pro peccato meo:* Alia littera habet *ſollicitus ero pro delicto meo*; & tu, qui tot fermè peccata commiſiſti, quot capillos geſtas in capite, & necdum audîſti tranſtulit quòque Dominus peccata tua, ita illa poſt dorſum mittis, ac ſi numquam peccâſſes, aut miſſus fuiſſes in carcerem, quaſi unus ex illis es, de quibus conqueritur Deus Jeremiæ 8. 6. *Attendi & auſcultavi, nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccata ſua dicens: Quid feci?* attendit Deus attentione infinitâ ad motiónes cordis tui, ut cognoſcat vel aliquod indicium novæ vitæ: *Attendi & auſcultavi*, & ubi ſunt iſta indicia divinæ offenſæ? vel unicum peccatum plangi deberet æterno planctu, & vix peccata confeſſus, perdis memoriam eorum,

Et hoc quia prava inclinationes & habitus ſuperandi ſunt

Pſal. 37. 19.

Ob quas David cogitabat pro peccato ſuo.

Jerem. 8. 6.

rum, quaſi non offendiſſes omnipotentem Deum, ſed Regem theatralem, ita ut de te dici poſſit: *Nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccata ſua.* Et meritò, inquit Magnus Auguſtinus, Lib 6. de vera & falſa Pœnit, Cap.13: *Ubi enim dolor finitur, deficit pœnitentia.* Verum indicium eſt quod ceciderint catenæ de manibus tuis, ſi peccatorum tuorum continuam habeas memoriam, novâ confuſione & rubore confuſus, ob tantam divinæ Majeſtati illatam injuriam.

S. Auguſtinus.

VII. Dicas mihi, ſi potes, cur Simon ille, qui Matth.26. Chriſtum hoſpitem habuit, leproſus dicatur? cur obſecro tali cognomine inſignitur? an quia actualiter leprâ infectus? Credis hoc? Non ſic Eccleſiæ Doctor S. Hieronymus: audi verba ejus: *Non quod leproſus & illo tempore permaneret, ſed quia anteà leproſus, poſteà à Salvatore mundatus eſt, nomine priſtino permanente, ut virtus curantis appareat.* Vocatur ergò leproſus, quia ſemel leprâ correptus; ſimiliter & tu, Captive, licèt ciciderint catenæ de manibus tuis, & ab animæ lepra, quâ ſemel infectus fuiſti, mundatus ſis, ne nomen Captivi aut leproſi umquam exuas, ſemper captivitatis tuæ memor & lepræ. Hæc ſancta recordatio cum continua deteſtatione peccati præteriti clariſſimum indicium eſt, quod verè à lepra mundatus ſis, & ſolutus à vinculis, ad gratiam aſſumptus: Sic ut tunc cum Ezechiele dicere poſſis: *Spiritus levavit me & aſſumpſit me, levavit me* de lecto peccati, *Aſſumpſit me* ad gratiam & libertatem *Et abîi amarus in indignatione ſpiritûs mei*, ſicque eodem teſtante: *Recordaberis viarum tuarum, & non confunderis.* Quis mihi perſuaſerit, te à vinculis ſolutum, ſi vix confeſſus læteris, cantes, ſaltes, jucunderis, comedas, bibas, carceris tui immemor, commiſſa peccata ita poſt dorſum mittens, quaſi numquam fuiſſent tua? quis dicet te ſic agentem verè pœnitere?

Matth.26. *D. Hieronymus.* *Et hæc doloroſa cogitatio vera converſionis indicium eſt.* *Ezech.3.14.* *Ezech.16.61.*

VIII. Finge tibi nobilem ob homicidium cum vitæ periculo incarceratum. Jacet ille ſuo in carcere totus cogitabundus, ingemiſcens, ac noctes & dies ducens inſomnes: putas ipſum ideò verè pœnitere commiſſi homicidii? nihil minùs. Fertur illi inexpectatò lætum nuntium præſtitæ à Principe ſibi gratiæ, & ecce à vinculis ſolutus, relicto carcere, omnique timore exuto, redit domum, admittit gratulationes, inſtruit convivium, narrat ſucceſſum commiſſi homicidii, verbo dictum, eſt ut ante, ſi non factus pejor, iterum peto, diceres ipſum facti pœnitere? dicas ut volueris, non dicam ego. Et tu qui in eadem damnatione fuiſti, adeò de tua modò ſecurus es pœnitentia, ut ne vel ſemel ampliùs de ea dubites. Adhuc degens in carcere vinctus catenis cogitabundus eras, & moroſus, & tunc te videns ajebam intra me, ſignum eſt quod ipſum pœniteat ſeſe Deum offendiſſe, ſed dum te de Confeſſionali & Eccleſia exeuntem jam totum mutatum intueor, lætum ut ante, jocantem ut ante, impudica legentem ut ante,

Oblivio verò cita ſignũ eſt oppoſiti.

te, dum, inquam, audio te ſtatim iterum in conſortiis obſcœnos diſcurſus proferentem, & captivitatis tuæ ſeriem cum animi voluptate enarrantem, tunc (candidè loquor) cogito penes me, hæccine ſigna ſunt & indicia verè pœnitentis animæ? Certè vero pœnitenti non ſufficit ſemel pœnituiſſe, ſed peccatum ſuum ante oculos habet ſemper, doletque inceſſanter, quod vel ſemel à Deo receſſerit, & diabolo ſe ſubjecerit. Sic fecit magnus ille pœnitens Propheta Regius,

2. Reg. 12. 13.
Quod probè noverant David & Ezechias.

IX. 2. Reg. 12. Ob commiſſum adulterium, & Uriæ cædem, ex parte Dei à Nathan Propheta acriter correptus, dicit: *Peccavi Domino.* Ad hæc verba proteſtatur ei Nathan: *Dominus tranſtulit peccatum tuum.* Sicut David de remiſſo ſibi peccato non potuerit non eſſe certus: & tamen non ceſſavit petere à Deo veniam, non ex diffidentia, ſed deſiderio illam obtinendi amplius. Tantus pœnitens, licet certus de venia, non ceſſat petere miſericordiam, neque ſolùm communem, ſed multitudinem miſerationum Dei: *Secundùm multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam:* & tu qui de obtenta venia es incertiſſimus, poſt talem qualem confeſſionem, tam ſecurus es, ac ſi nunciatum tibi eſſet deſuper: *Dominus tranſtulit peccatum tuum.* An fortè putas cogitare & recogitare pro peccato ſuo non ſimul ſtare poſſe cum perfecta Dei unione? quomodò ergò dixiſſet David: *Peccatum meum contra me eſt ſemper?* Quomodò Ezechias: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ?* Sis tam pius, tam perfectus, tam myſticus quàm eſſe quis poſſet, ſis ipſo Davide in ſanctitate ſublimior, equidem in fine vitæ, ſi velis eſſe perfectus pœnitens, oportet te recogitare peccata tua, eaque plangere. Hinc, juxta Bellarminum, Pſalmus 50. qui pœnitentialis dicitur, vocatur *Pſalmus in finem.* Hoc eſt, inquit: *Pſalmus uſque ad finem mundi canendus.* Si vivere poſſes uſque ad finem mundi, in illum uſque finem plangere te oporteret peccata tua. Magìs te premo.

Jeremiæ 1. 5.
Ieremias etiã & Iob.

X. Jeremias, cui os Domini locutum eſt. *Antequam exires de vulva ſanctificavi te & Prophetam in Gentibus dedi te.* Sanctificatus antequàm natus non eſt ſecurus, ſed diu noctuque Divinæ juſtitiæ rigorem ob oculos habet, inceſſanter à Deo poſtulans donum lacrymarum: *Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrymarum & plorabo die ac nocte.* Cap. 1. Quomodò ergò tu, qui *In peccatis natus es totus*, quique cum Propheta Regio dicere debes: *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum:* quomodò tu præſumis cum tanto Divinæ juſtitiæ præjudicio plenâ libertate vivere ſine pœnitentia? Job de ſe loquitur Cap. 27. *Juſtificationem meam, quam cœpi, tenere non deſeram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Ore Divino Canonizatus & declaratus: *Quod non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo.* Et quod mirandum magìs: *Adhuc retinens innocentiam.* Si vir tantus ad Divinæ juſtitiæ rigorem toto

Jeremiæ 9. 1.
Joan. 9. 34.
Pſal. 37. 5.
Job 27. 6.
Job 1. 1.
Job 2. 3.

A a tremat

Job 4. 14. tremat corpore: *Pavor tenuit me & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt*, in tantùm ut præ pavore
Job 4. 15. inhorruerint pili capitis ejus. *Et inhorruerunt pili carnis meæ*. Poſt omnium bonorum & filiorum amiſſionem, à planta pedis uſque ad verticem ulcere peſſimo percuſſus, ita ut teſtâ ſaniem raderet, ſedens in ſterquilinio, necdum ſecurus, his omnibus addiderit pœnitentias voluntarias, vivendo ſemper in amaritudine animæ, & continuis lacry-
Job 17. 2. mis: *Et in amaritudinibus moratur oculus meus*. Sic ut ne vel bolum panis ſumpſerit, quem centena
Job 3. 24. ſuſpiria non præcederent: *Antequam comedam ſuſpiro*, & omnis ſermo ejus fuerit de pœnitentia &
Job 7. 11. amaritudine: *Loquar in amaritudine animæ meæ*. Inceſſanter orans
Job 10. 2. Deum: *Noli me condemnare*: ſi, inquam, vir ſanctus non ſit ſecurus, tu qui in carcere diaboli tot annis jacuiſti, qui totus fuiſti immerſus
Pſal 68 3. ſordibus, ita ut dicere debeas: *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia, & abominabilis factus ſum in iniquitatibus meis*, tu tu ſecurus es, quaſi nullâ indigens pœnitentiâ?

Lucæ 1. 15. *Ioannes Baptiſta ſimiliter.* XI. Lucæ 1. 15. Magnus Baptiſta adhuc in utero matris Spiritu ſancto plenus: *Spiritu ſancto replebitur adhuc in utero matris ſuæ*, à Chriſto denuntiatus, quod inter natos mulierum non ſurrexiſſet major, teneris ſub annis intrat antra deſerti, ne levi famine vitam macularet, Cameli tegmine aſperoque cilicio indutus, ac melle ſylveſtri & locuſtis paſtus. Quærat aliquis
S. Thomas à Villa-nova. ab eo cum D. Thoma à Villa-nova Conc. 2. de S. Joanne Baptiſta: *Quid feceras ô Joannes? quæ peccata commiſeras? quæ flagitia perpetraveras? ſanctificatus in utero, confirmatus in gratia, plenus Spiritu ſancto mortaliter peccare non noveras. Ad quid ergò pœnitentiæ tantus rigor?* Non ob alium finem, niſi quia peccatoribus prædicaturus erat pœnitentiam, *Nempe* (verba ſunt Villanovani) *quia prædicaturus erat peccatoribus pœnitentiam, prius illam in ſeipſo operibus oſtendit, quàm ſermonibus docuit*. Porrò ſi innocens, & ab utero ſanctus, tantam egerit pœnitentiam, quantò magìs tu, qui multorum ſcelerum reus es? quantò magìs tu, qui non ſanctificatus in utero ſicut Joannes, ſed inſuper cum Davide dicere debes: *In iniquitatibus conceptus ſum,* Pſalm. 50.
& in peccatis concepit me mater mea. Quantò magìs tu, qui ex illis unus es, de quibus Propheta: *Alienati ſunt* Pſal. 57. 4.
peccatores à vulva, erraverunt ab utero. Tu, qui non ſolùm non confirmatus es in gratia, ſed vivis tamquam unus ex illis, de quibus Apoſtolus Judas: *Homines impii, Dei* Judæ v. 1.
noſtri gratiam transferentes in luxuriam? Tu, qui non ſolùm non habes inhabitantem Spiritum ſanctum, ſed ſemper annumeratus es cum illis, de quibus Act. 7. 51. *Dura cervice, & incircumciſis cordibus* Act. 7. 51.
& auribus vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis. Et illis: *Qui ſegregant ſeipſos, animales, ſpiritum non habentes*, Judæ v. 10. Hæret hìc ani- Judæ v. 10.
mus: Præcurſor Chriſti timet ſalvari ſine pœnitentia, & tu, de quo dici poſſet: *Melius eſſet, ſi na-* Matth. 26. 24.
tus non fuiſſet homo iſte. Perſuades tibi

tibi ſalvari poſſe ſine pœnitentia etiam poſt tot annorum incarcerationem? Concludit D. Thomas à Villa-nova. *Attendite homines & videte, ſi in viridi ligno hæc fiant, in arido quid fiet? ſi ſic maceratur innocentia, ut perveniat ad vitam, quomodò iniquitas corripienda eſt? ſi cùm his omnibus juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Si tamen iſtis exemplis necdum movearis, audi loquentem ipſum Deum.

S. Thomas à Villa-nova.

XII. Deut. 9. 7. *Memento, & ne obliviſcaris quomodò ad iracundiam provocaveris Deum tuum. Memento* in præſenti. *Ne obliviſcaris* in futuro. Magnum diſcrimen eſt inter infirmitatem ſpiritualem & corporalem. Ad illam curandam ſufficit, ut illa cognoſcatur à medico. Ad hanc requiritur, ut etiam illam infirmus cognoſcat. Cognitio infirmitatis cogit infirmum ad Deum recurrere, & cum Davide dicere: *Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Sed ſi lotus eſt, cur petit lavari ampliùs? *Quoniam,* inquit, *iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Qui peccatum ſuum cognoſcit ut in ſe eſt, non poteſt non deteſtari peccatum, & ſuper illo commiſſo dolere. Nam ſicut impoſſibile eſt clarè cognoſcere ſummum bonum, & non amare, amore etiam intenſo, ita impoſſibile eſt clarè cognoſcere ſummum aliquod malum, & non odio habere & deteſtari. Hinc Deus ut tibi peccata dimittat, vult ut illa cognoſcas. Ita Jeremiæ 3. 11. *Sanctus ſum ego, dicit Dominus, & non iraſcar in perpetuum, verumtamen ſcito iniquitatem tuam.* Non dicit *defle*, non dicit *deteſtare*, ſed *ſcito.* Si ſcias & capias quantum malum feceris Deum offendendo, fient oculi tui fontes lacrymarum, & proteſtaberis cum Pſalmographo: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum.* Quod autem à recuperata libertate, miſeræ captivitatis tuæ oblitus, parvâ pœnitentiâ Deo ſatisfactum putes, provenit, quia peccatum tuum non cognoſcis, & quia non attendis ad Eccleſiaſtici monitum Capite 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Sanè ſi peccatum cognoſceres, experireris in te illud Jeremiæ 31. 19. *Poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum, confuſus ſum & erubui.* Porrò unde jam cognoſcetur interna illa pœnitentia? ex externa. Dolor quippe cordis manifeſtatur per ſatisfactionem, ſeu carnis macerationem.

Deut. 9. 7. Et certè quicumque peccatum benè cognoſcit, de illo ſemper dolebit.

Pſalm. 50.

Jeremiæ 3. 11

Pſalm 6. 7.

Eccli. 5. 5.

Jerem. 31. 19. Externa pœnitentia ſignum eſt interioris.

XIII. 2. Reg. 3. Audiens David Abner, Saülis exercitûs ducem, à Joab proditoriè occiſum, dolore tactus eſt intrinſecùs: unde ut toti conſtaret aulæ, quod anima ejus in amaritudine eſſet, ſcidit veſtimenta ſua & flevit, neque his contentus: Juravit David dicens: *Hæc faciat mihi Deus & hæc addit, ſi ante occaſum ſolis guſtavero panem vel aliud quidquam.* Quærit Abulenſ. 33. Cur David in hac occaſione ſe Deo obſtrinxerit ad jejunandum? numquid lacrymæ ſufficienter indicabant & teſtabantur animi dolorem? cur ſuperaddere voluit etiam jejunium? A ſe objectæ quæſtioni reſpondet, illas demonſtrationes externas, fuiſſe neceſſarias,

2. Reg. 3. 35. Hanc ideò David adhibuit.

ne alicui relinqueretur ambigendi locus, an verus eſſet animi ejus dolor, an fictus. *Fecit quidquid fieri poterat ad indicandum dolorem.* Dicis te dolere & idipſum lacrymæ teſtantur, ſed quis ſcit num fortè tibi quadrent verba Jeremiæ 3. 10. *Non eſt reverſa prævaricatrix in toto corde ſuo, ſed in mendacio.* Quis ſcit num lacrymæ, quas fundis, ſimiles ſint illis, de quibus Mellifluus. *Lacrymæ doctæ mentiri.* Si dolor internus ſe extendat ad mortificationem corporis & amplectatur pœnitentiam externam, tunc dicam dolorem tuum ſincerum, non ſimulatum, verum, non apparentem. *Qui enim hilaris ac lætus incedit, quomodò mortem ſuam defleat?* inquit S. Cypr. Lib. de Lapſis. Hinc definitur pœnitentia à Doctore Angelico 3. p. q. 85. art. 2. & 3. *Quædam dolentis vindicta, puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe.* Non ſufficit quod ſola anima interiùs dicat: peccavi. Si corpus habeat partem in culpa, neceſſe eſt ut & partem habeat in pœna. Tu ipſe teſtare, à quo plura paſſus es durante captivitate tuâ, quàm ab hoc primo milite, qui non ſolùm author eſt captivitatis tuæ, ſed te vinctum adeò blanditiis ſuis delinivit, ut tamdiu in carcere detinuerit; & evaderet ille adhuc impunis? Quis hoc dignum dicet & juſtum? Econtrà videtur Deus eâ conditione captivæ animæ vincla diſſolvere, eamque libertate donare, ut corpus incarcerationis complex mortificet & affligat. Contingit non ſemel, ut deficiente carnifice, qui de duobus morte afficiendis capitis pœnas ſumat, unum ex duobus Judex eâ conditione vitâ donet, ut in complicem manu propriâ ſupplicium exequatur. Corpus & anima ſunt illi duo complices Divinæ læſæ Majeſtatis, adeòque æternæ mortis rei ſunt, interim Deus (non quod illi deſint, qui executioni mandent ſententiam in utrumque latam) ſed præ infinitæ ſuæ bonitatis exceſſu animam eâ conditione vitâ donat, ut latam in corpus exequatur ſententiam, tamquam in complicem: Unde quando anima affligit corpus, juſtitiæ Divinæ exequitur ſententiam, tamquam locum tenens irati & offenſi Dei. *In peccatorem pœnitentiam pronuntians, pro Deo indignatione fungitur*, inquit Tertullianus Lib. de Pœnitent. Anima pœnitens zelo plena ad reparandum honorem læſi & ſpreti Dei, armat ſe contra corpus, ut vindicet Deo illatas injurias, quid dignius? Quid juſtius? hoc ipſum exegit Apoſtolus à Romanis tamquam rem æquam & juſtam, illis ſcribens:

XIV. Cap. 6. *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ, ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem*, ad incarcerationem: *Ita nunc libertate donati, exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ.* Auditis? *Servire juſtitiæ in ſanctificationem.* Attentam merentur conſiderationem Apoſtoli verba: *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ.* Sed quo pacto putandus eſt humana loqui? quæſitum

Marginalia: Abulen. 33. — Jeremiæ 3. 10 — D. Bernardus. — S. Cyprianus. — D. Thomas. — *Et verò etiā meretur corpus peccati complex, ut affligatur.* — Tertullianus. — Rom. 6. 19. — *Et hoc Romanos Paulus docuit.*

quæſitum hoc Angelicum meretur reſponſum: Audite ab Angelico datum lect. 4. in dictum Caput. *Dicit hoc eſſe humanum, quia ſecundùm rectum judicium exigeretur, ut homo multo plus ſerviret juſtitiæ quàm ante ſervierit iniquitati*: Nonne ipſa æquitas & ratio exigunt, ut cùm corpus non minorem habuerit partem in incarceratione, quàm anima, ſimul etiam cum anima pœnas luat? Nonne ratio exigit ut plus Deo, quàm dæmoni, plus Christo, quàm mundo, plus virtuti, quàm vitiis, plus ſpiritui, quàm carni detur? Si animam ob Deum offenſum affligere oporteat, quidni & corpus emacerare? Profectò ſubiraſcitur eis Mellifluus, quos videt tam incuriè & neglectè ſalutis ſuæ apprehendere negotium. *Erubeſcat*, inquit *anima converſa ad Dominum, minori affectu ſectari juſtitiam, quàm iniquitatem anteà ſectabatur: eſt enim cauſa quoque valdè diſſimilis. Stipendium quippè peccati mors; fructus autem ſpiritûs vita æterna. Pudeat proinde negligentiùs nunc in vitam, quàm prius in mortem ire, & minori ſtudio ſalutis acquirere, quàm perditionis augmentum.* Qualia & quanta non feciſti pro iſto milite, dum tenens catenam, quâ vinctus eras, in mortem te trahebat? Qualia ab illo perpeſſus? Quanta non devorâſti? Qualia pericula non adiiſti? Quot noctes inſomnes cum illo non tranſegiſti? & hæc omnia infracto & maſculo animo tolerâſti, ut ad mortem accelerares; & jam ad vitam ut properes non facies paria? O quàm alieni ſunt, quotquot ſunt ſimiles ab ea paritate, quam in converſione requiſivit Altiſſimus! Audite, audite verba, quæ facit ad vos.

D. Thomas. S. Bernardus.

XV. Iſaiæ 31. *Convertimini ſicut in profundum receſſeratis filii Iſraël. Convertimini ſicut receſſeratis*: Nonne hoc eſt apertè dicere tantum facite, tantum præſtate redeundo ad Deum, quantum feciſtis recedendo ab eo, & ſubdendo vos diabolo. *Sicut receſſeratis*: Numquid juſta & æqua videtur tibi hæc regula, Captive? Quis mortalium ratione præditus non dixerit plura requiri ad placandum Deum, quàm ad offendendum, & tamen non plus à te requirit: *Convertimini ſicut receſſeratis*. Vide de quo ſtatu te vocet: *de profundo*. Aliud eſt recedere à Deo, aliud in profundum deſcendere, longè à Deo vadit, qui graviter peccat; *In profundum* recedit, qui non tantùm peccat graviter, ſed *profundè*. *Profundè peccaverunt ſicut in diebus Gabaa*, Oſee 9. Quid eſt peccare *profundè*? peccare ex malitia, meditatè, ſtudio. Sicut viri de Gabaa, qui Judic. 19. exſpectabant horam prandii, ut cingerent domum Levitæ, ne effugere poſſet, volentes in prædam uxorem ejus. Illa eſt peſſima ſpecies peccati, quia hoc non ſolùm eſt malum velle, ſed meditari peccatum, ut feliciter ſuccedat in deſpectum Dei, juxta illud. *Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo.* Numquid & tu unus ex illis es? *Convertere ergò ſicut in profundum receſſeras?* Si tam profundè in carcerem diaboli deſcenderis, ut non ſolùm ex malitia peccaveris, ſed & ipſum peccatum ſpreveris uſque ad contemptum Dei, juxta illud Proverb. 18. *Impius cùm in profundum vene-*

Iſaiæ 31. 6. *Et Deus ipſe vult, profundum ad ſe acceſſum, qualis fuerat receſſus, & quid ſit profundè recedere.* Oſeæ 9. 9. Judicum 19. Pſalm. 35. 5. Prov. 18. 3.

venerit peccatorum, *contemnit*. Quod
Job. 17. eſt juxta Job. 17. deſcendere in profundiſſimum infernum: ita modò ad Deum revertendo: *Convertere ſicut in profundum receſſeras*, & quidquid modò boni, quidquid virtutis, quidquid pœnitentiæ egeris, quaſi pro nihilo reputa reſpectu injuriæ Deo illatæ. *Cùm feceritis omnia, quæ præ-*
Lucæ 17. 10. *cepta ſunt vobis*, *dicite ſervi inutiles ſumus*. Lucæ 17. Sicut non puduit te in profundum mitti, imò gloriatus es in tuo carcere, ita non pudeat te modò pœnitentiam agere: ſed reſpectus omnes humanos ſupera, ut non tantùm ſis pœnitens internus, ſed etiam externus. *Convertimini ſicut receſſeratis*. Sic David fecit vir ſecundùm cor Dei, qui licèt cœlitùs de obtenta venia factus eſſet certior, cinerem tamquam panem manducabat, potũ cum fletu miſcebat, lacrymis ſuis ſtratum rigabat, induebaturque cilicio. Sic Petrus poſt trinam negationem non ſemel flevit amarè, ſed uſque ad finem vitæ lacrymas fudit. Ita Paulus à Chriſto in terram proſtratus, & à Deo illuminatus, poſt proteſtationem à ſe factam, quod mundiſſimam

Sic David, ſic Petrus, Paulus & alii acceſſerũt non contenti foliis tegere ſe.

1. Cor. 4 4. haberet conſcientiam: *Nihil mihi conſcius ſum*. In proprio tribunali contra ſe Judex & tortor, ait: *Caſtigo*
1. Cor. 9. 27. *corpus meum*, *& in ſervitutem redigo*. Ita Magdalena pœnitens, cui tamen dimiſſa erant peccata multa, quia dilexerat multum. Ita Thais, ita Pelagia, ita Guilielmus Aquitaniæ Dux, ita ſexcenti alii, qui non contenti pœnitentiâ internâ, quantumcumque ſecuri de venia, ſui facti ſunt carnifices, ut *Medicinam*
Euſeb. Emiſſ. *quam invadunt ſani*, *diſcant quærere vulnerati*, ſicut clamat Euſebius Emiſſ. hom. 1. de initio Quadr. Et tu, Captive, poſt tot peccata mortalia, poſt tot annos incarcerationis, & quidem neſcius finis tui, parces carni captivitatis tuę complici? profectò oſtendis te Adami filium.

XVI. Gen. 3 Serpentis aſtutiâ Proto-parentes noſtri, Dei præceptum tranſgreſſi, amiſſâque innocentiâ, cognoverunt ſe eſſe nudos. Veſte gratiæ ſpoliati recurrunt ad folia: *Conſuerunt folia ficûs & fecerunt* Gen. 3. 7.
ſibi perizomata. Qualis dementia, inquit D. Ambroſius, *Exiſtimaſti ſe poſſe operire magnitudinem peccati* S. Ambroſius.
appoſitis foliis, *cùm pro eo tollendo ad fructum deberent recurrere*. Quid Matth. 21. ficui evenerit nôſtis: vidit illam eſuriens Salvator, & cùm veniſſet ad illam, nihil invenit in ea niſi folia tantùm, unde converſus ad illam, maledixit ei. Quidni malediceret cùm non haberet niſi folia tantùm? Per ficum intelligit D. Greg. pœnitentiam fructu ſterilem. Do verba magni Doctoris. *Ideò Dominus arborem foliis decoram*, *fructu ſterilem maledixit*, *quia confeſſio-* S. Gregorius.
nis ornatum non recipit ſine fructu afflictionis. Et concludit, *Idcircò omnis confeſſio peccatorum recipitur*, *ut fructus pœnitentiæ ſubſequatur*. Et niſi ſubſequatur, quomodò dici quis poteſt benè pœnitere? Cùm Auguſtiſſimus Auguſtinus dicat *Qui benè agit pœnitentiam*, *ſuus ipſe punitor eſt*; *ſit oportet in ſe ſeverus*, *ut in eum ſit miſericors* S. Auguſtin.
Deus. Et tu, Captive, cum Proto-parente tuo: *Exiſtimas te poſſe operire magnitudinem peccatorum appoſitis foliis?* Vide ne Dominus maledicat arborem foliis decoram, ſed fructu ſteri-

Ut fecerunt Proto-parentes.

Sed fructus reddentes.

ſterilem. Et ne ſerò ſapias, ut Phryges; vide quid fecerit Deus cum Proto-parentibus tuis.

Gen. 3. 19. XVII. Eodem cap. 3. 21. *Fecit Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas*, tunicas pœnitentiales, & induit eos, dixitque Adæ, quem eduxerat de carcere peccati: *In ſudore vultûs tui veſceris pane tuo, & maledicta erit terra in opere tuo*, non ad unum, ad duos, ad tres, ſed ad ducentos, quingentos, ſeptingentos, nongentos & triginta annos, donec revertaris in terram: & hoc quidem pro uno ſolummodò peccato, pro ſolo eſu pomi à Deo vetiti, & tu poſt decem & viginti annorum incarcerationem, poſt tot peccata enormia, & ſcandaloſa, atque Deum ad vindictam provocantia, totam illam multitudinem operire exiſtimas ſolis appoſitis foliis? Falleris, falleris, amice mi. Audi quid, non unus aut alter S. Pater ſed integrum Concilium Trident., cui ſpiritus Sanctus præſedit, tibi dicat Seſſ. 14. init. Tract. de extr. Unct. *Chriſtiani vita perpetua pœnitentia eſſe debet*. Non dicit homicidæ, adulteri, blaſphemi vita, ſed *Chriſtiani vita perpetua pœnitentia eſſe debet*. Qualis ergò deberet eſſe tua? Hoc me meliùs dicet tibi Auguſt. tom. 4. *Verus pœnitens omnes fructus ſuæ pœnitentiæ parvos habeat, numquam credat ſufficere, ſemper doleat, ſemper coram Domino, ante quem peccavit, erubeſcat, dolorem cum vita finiat*; Et addit rationem: *Nam ſi Apoſtolus peccata per Baptiſmum remiſſa continuè plorat, nobis etiam quid præter plorare reſtat?* Corpus ergò caſtigare, & in ſervitutem redigere debes: & niſi id feceris, quomodò ſatisfactio, quæ pars eſt integralis Sacramenti ſubſiſtet? Certè *ſatisfacere* eſt *facere ſatis*, & hinc colligere potes, an pœnitentia tua ſit pœnitentia, maximè cùm pœnitẽtia derivetur à pœna. Si ergò ſapis, ſequere conſilium S. Petri Chryſol. ſerm. 67. cùm vel in hoc, vel in futuro ſeculo ſit agenda pœnitentia: *Currat pœnitentia, ne præcurrat ſententia: ne judicemur, judices noſtri ſimus, pœnitentiam demus nobis, ut poſſimus à nobis auferre ſententiam.*

Vita Chriſtiani debet eſſe pœnitentialis.

Conc. Triden *Multò magis peccatoris.*

S. Auguſtin.

S. Chryſolog. Serm. 67.

XVIII. Reſpondebis fortè ad hæc: quod contritio perfecta deleat omnia peccata: Verum eſt: & ſcio hoc definitum eſſe in Tridenr. Seſſ. 6. cap. 14. Sed quis te certum reddet, quod dolor neceſſarius ad remiſſionem peccatorum tuorum tam altè aſcendat, *Sicut neceſſe eſt, ut juſtificationis gratia conferatur*, ut loquitur Concil.? Non eſt res parva perfectè conteri: *Faciliùs inveni*, inquit D. Ambroſius Lib. 2. de pœnitent. *qui innocentiam ſervaverint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam.* Fateor quod Roman. 8. dicat Apoſtolus: *Nihil eſt damnationionis in iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*: Sed & hoc ſciò, quod Galat. 5. aſſerat: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Et hinc eſt, quod Tridentinum Seſſ. 14. cap. 8. ordinet, ut Confeſſarii imponant pœnitentiam gravitati peccatorum proportionatam: *Ut ſatisfactio non ſit tantùm ad nova vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem.* Sed demus vi doloris tibi peccata.

S. Ambroſius.

Rom. 8. 1.

Galat. 5. 29.

Qui enim ſunt Chriſti carnem crucifixerunt.

Tridentinum.

cata dimitti: numquid Catholica doctrina eſt, quod remiſsâ culpâ, non ſemper remittatur pœna? Numquid & hoc certum, quod nequaquam Deus delinquenti parcat, ſed peccatorem aut flagello temporali ad purgationem feriat, aut judicio æterno puniendum relinquat, niſi ipſe homo in ſe pœnitendo puniêrit id, quod ipſe malè admiſerat? Unde ergo poſt tot peccata mortalia tam ſecurus es quaſi cœlum haberes in manu? *Unde hæc tam perverſa temeritas, unde hæc ſecuritas maledicta?* quærit Mellifluus Bernardus. Unde hæc via lactea, quam tibi firmas? Ponamus quod tibi Deus culpam dimiſiſſet & pœnam, eſſeſque de hoc factus certior, & per Angelum eductus de carcere; adhuc foret tibi pœnitentia neceſſaria ad extirpandos malos habitus tempore captivitatis contractos, licèt enim mediante confeſſione & contritione moriatur peccatum, non ita tamen moritur, quin adhuc ſupervivant partus ejus juxta illud Eccl. 30. *Mortuus eſt pater & quaſi non mortuus, ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe:* Filius maledictus peccati eſt habitus pravus à peccato generatus ſicut filius à patre, & ideò neceſſaria eſt pœnitentia, quæ cum patre occidat & filium, ne alioquin illo ſupervivente licèt è carcere jam liberatus ſis, iterum diaboli captivus fias. Non credis talia fieri pluſquam ſemel?

S. Bernardus. *Et peccator per pœnitentiā pravos habitus extirpare debet, ne relabatur.*

Eccl. 30. 4.

XIX. Matth. 12. Ejecerat Jeſus ſpiritum immundum ab homine, quem poſſederat: at ille: *Revertar*, inquit, *in domum meam, unde exivi, & veniens invenit eam vacantem, ſcopis mundatam & ornatam, tunc vadens aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & intrantes iterum habitant ibi, & facta ſunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Quod dæmon purgatam & emundatam domum ſubeat, quis capiat? hoc capit Angelicus, nec miratur, ſubnotans tres potiſſimùm dæmoni anſas dari & occaſiones novæ poſſeſſionis, nempe, quod eam *Vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam* invenerit. Primò, *vacantem* in otio. Si ſolutus à diaboli vinculis, & de carcere ejus liberatus, operibus pœnitentialibus non labores ad malorum habituum eradicatioñé, magnam dæmoni præbes anſam te iterū invadendi. Secundò, *Scopis mundatā*. Quod ſcopis mūdatur, non mundatur niſi penes hoc, quod leviter adhæret, ut notat Doctor Angelicus: *Idem eſt ſcopare, quod leviter mundare, & ſcopatio eſt imperfecta mundatio. Mundatio perfecta debet cum igne fieri, ſicut habetur in lege, quod vaſa igne debeant mūdari.* Domus millenis conſpurcata ſordibus, captivus fœdus totus, carni, vindictę, ambitioni deditus, ſcopis non eſt mundandus, hoc eſt pœnitentiâ levi, ſed foco, igne, fortibus ac rigidis remediis, ſeipſum coercendo, refrenando, ſuas ſubjugando paſſiones, rebelles carnis impetus comprimendo, quibus non medentur, niſi ſatisfactoriæ illę pœnæ, quæ juxta Trident. vitioſos habitus tollunt Seſſ. 14. c. 8. Tertiò: *Ornatam.* Non veſtimēto pœnitentię, ſed cultu exteriori & ſuperficiali: ſicque *Facilè revertitur diabolus in domum ſuam*, & fiunt noviſſima tua pejora

Matth 12. 44. *Aliàs noviſſima ſerent pejora prioribus.*

D. Thomas.

pejora prioribus. Unde Captive rogo te obteſtorque, circumda tibi veſtimentum pœnitentiæ internæ & externæ, & ſic veſtitum ſiſtens te Deo in judicio ſecurus eris.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

De Captivitate Petri.

Sequere me, & exiens ſequebatur eum. Actor. 12.

Captivus diaboli non ſemel tranſitoriè, ſed ſepties & totâ vitâ pœnitentiã agat.

I. CAptive, veſtem exuiſti, in qua captus eras, & circumdediſti tibi veſtimentum, de quo ego heri; ſed eſne ſuccinctus tunicâ, quacum Petrus in mare ſe miſit, ut mare contritionis dilueret, quod peccatum totaliter ſordidaverat? obſecro iterum te. Ne unica tibi ablutio ſufficiat, nec effuſæ aliquot in confeſſione lacrymæ, ſed *Vade & lavare ſepties in Jordane*, ut recipiat ſanitatem anima tua, & mundetur à lepra. Licèt ceciderint catenæ de manibus tuis, licèt jam mundatus ſis, noli equidem cum Simone leproſo, leproſi aut captivi nomen umquam exuere, ſed captivitatis tuæ & lepræ ſemper memor vivas; ut per externam, internam tuam pœnitentiam indices: Super mortua anima tua ſcinde veſtimentum corporis tui, ſicut David veſtimenta ſua ſuper mortuo *Abner*. Et quidni ſcinderes? cùm non minùs habuerit partem in captura tua quàm anima? Humanum dico cum Apoſtolo propter infirmitatem carnis, ut ſicut exhibuiſti membra tua ſervire immunditiæ & iniquitati ad incarcerationem, ita nunc libertate donatus, exhibeas membra tua ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Humanum dico, quia ſecundùm rectum judicium exigere deberem, ut multò plus ſervires juſtitiæ, quàm ante ſervieras iniquitati. Si ergò te verè pœniteat: convertere ſicut in profundum receſſeras, fac tantum, te ad Deum convertendo, quantum feciſti, ſubdendo te diabolo. Non plus peto, *Convertere ſicut receſſeras*. Cum Davide cinerem tamquam panem manduca, & miſce cum fletu potum tuum, ſtratumque lacrymis riga, nec non cilicium indue: Caſtiga cum Paulo corpus tuum, & in ſervitutem redige. Noli tibi cum Proto-parentibus tuis perizomata facere, quia magnitudo peccati non benè operitur ſolis appoſitis foliis, ſed fac tibi tunicas pelliceas, tunicas pœnitentiales, & indue eas, non ad dies, ad menſes, ad annos aliquot, ſed donec revertaris in terram. Vita omnis Chriſtiani, & à fortiori peccatoris, licèt vel ſemel tantùm incarcerati, pœnitentia debet eſſe perpetua: hanc à te requirit ipſum verbum *Satisfactio*. Satisfacere enim eſt pro peccato facere ſatis, quod infinitas & æternas pœnas merebatur. Siſte gradum, Captive, antequàm te Angelus de carcere educat, habeo adhuc

huc verbum ad te, quod non eloquar, niſi ſalutatâ cum Angelo Mariâ.

II. Si Captivus noſter à vinculis ſolutus, & ſuo circumdatus veſtimento verè liber eſſe velit, debet inſiſtere veſtigiis Petri captivi. Jam, jam de carcere egreſſuro dicit Angelus: *Sequere me.* At ille nullas trahens moras: *Exiens ſecutus eſt eum.* Quid eſt ſequi Angelum Dei? melius me dixerit Eccleſiæ Doctor D. Gregorius. *Si ad veram pœnitentiam convertimur, ejus veſtigia ſequimur & virtutes imitamur.* Captive, licèt externo pœnitentiæ veſtimento indutum te videam, niſi Chriſtum induas, & virtutes ejus imiteris, de tua liberatione non ſũ ſecurus; Hoc tibi hodie oſtendo, vos NN. ſolitâ benignitate præbete aures & audite.

Hoc enim eſt Angelum ſequi, pœnitere, & imitari virtutes.

D. Gregorius.

III. Quæro à te, Captive, in quo conſiſtat juſtitia Chriſtiana? ſi Catechiſmi tui adhuc memineris, debes mihi reſpondere: *In divertendo ſe à malo & faciendo bonũ.* Idque juxta Pſalmiſtæ præceptũ totidẽ verbis expreſsũ pſalmo 33. Ne ergò arbitreris ad plenam de carcere tui liberationẽ, ſufficere ſolam vitiorũ fugã, quia niſi in virtutibus te exerceas, adhuc cum Ugone Cardinali te habeo tamquam vinctum. *Non ſufficit enim*, inquit, *divertere à malo, niſi id ſequatur, ſcilicet facere bonum.* Et ab eo non longè abit Doctor Angelicus in Comment. in hunc locum, dicens: *Divertere à malo non eſt quid meritorium, ſi divertere dicat ſolam negationem. Per hoc enim, ſcilicet, non facere malum, vitatur quidem pœna, quàm incurriſſes, ſi illud admiſiſſes, non tamen per hoc vita acquiritur.* Unde licèt ceciderint catenæ de manibus tuis, numquam ego te plenè liberum dixero, niſi in veritate quis mihi cum Pſalmiſta de te dixerit, quod per boni operationem factus ſis ille, qui: *Ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam:* ſic eſt, inquit D. Chryſoſt. in Cat. Græc. *Non eſt ſatis à rebus malis ſe removere, niſi bona quòque agantur, ex quo intelligimus, abſtinere à malis non initium eſſe ſalutis, niſi bonorum poſſeſſio adſit, actioque virtutis.*

Pſalm. 33. 15.

Et ſine alterutro juſtitia Chriſtiana non ſubſiſtit.

Ugo Cardin.

S. Thomas.

Pſalm. 14. 2.

D. Chryſoſt.

IV. Matt. 25. 26. In celebri illa & arcanis pleniſſima parabola hominis peregrè abituri, ſuiſque ſervis ad negotiationẽ bonam talenta diſpertientis, ut ex eis lucra facerent. Socors ille & negligens, qui curæ ſuæ commiſſum talentum in terra defoderat, nec ullum fructum attulerat, acerrimè perſtringitur: *Serve male & piger, ſciebas quia meto, ubi non ſemino, & congrego ubi non ſparſi: oportet ergò te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura.* Verba ſanè non modicâ conſideratione digna; ſignanter illa: *Serve male & piger.* In quibus obſervo non ſolùm malitiam cum pigritia copulatã, ſed hanc cauſam illius; quia particula conjunctiva *Et*, ſecundùm Abulenſem hîc idem ſignificat quod, *Quia*; ita ut ſenſus verborum ſit: *Serve male quia piger.* Do verba ejus: *Fuit malus, quia non procuravit bonum: propter pigritiam enim non obtulit talentum nummulariis, aut poſuit in alios uſus, in quibus cum ſolicitudine ſua aliquid lucraretur.* Attentâ hâc parabolâ Os aureum te alloquitur N. Orat. adv. Jud. *Talentum illud, quod acceperat & defoderat, ſervus ille reddidit integrum: Attamen dat pœnas, eò*

Matth. 25. 26.

Potuit hoc in ferro numquam fodienti pecuniã in terra.

Abulenſ.

D. Chryſoſt.

quod.

quod non auxerat lucrum: ita tu quidem, etiamſi ipſe purus & innocens perſeveres, cæterùm non auxeris talentum, nec fratrem pereuntem revocâris ad ſalutem, eadem, quæ ipſe patitur, patieris. Sic eſt, inquit Gregorius Papa Hom. 13. in Evangel, & hoc, quia: *Minùs eſt mala non agere,* S. Gregorius. Hom. 13. in Evangel. *niſi etiam quiſque ſtudeat bonis operibus inſudare.* Et illorum veſtigia premunt D. Ambroſius & Vener. Beda, ille in cap. 6. Apocal. dicens: Non ſatis prodeſt *Mala deſerere* de S. Ambroſius. carcere exire, *Niſi bona agere ſtudeamus.* Hic verò: *Anima à peccatis reſuſcitata, non ſolùm à ſordibus ſcele-* Vener. Beda. *rum exurgere, ſed & in bonis proficere debet operibus.* Et hoc quia alterum ſine altero Deo gratum non eſt: ambo concurrere debent, fuga peccati & proſecutio boni, ut cœlorum regnum acquiratur. Omnes quippe domeſtici Dei veſtiti ſunt duplicibus, veſte pœnitētiæ externâ & internâ. Tunc ergò à diaboli carcere te verè liberum arbitreris, atque in Dei gratiam aſſertum, quando jam non tantùm miniſtrorum adminiculo mala effugiſti & à vinculis ſolutus es, ſed inſuper per mandatorum Dei viam ambulans, in bono continuò proficis. Pulcherrimum eſt Pſalmographi teſtimonium, quod in hac parte tulit, dicens

V. Pſalm. 95. *Confeſſio & pul-* Pſalm. 95. 6. *chritudo in conſpectu ejus.* Siquidem pulchritudo non in ſola privatione actuum malorũ, ſed in operibus poſitivis bonis conſiſtat. Eminentiſſimũ Ugonẽ ad hæc verba audite: „Confeſſio & pulchritudo in conſpe- Ugo Cardin. „ctu ejus, id eſt, ſi homo confiteatur peccatum ſic lavabitur, & „pulcher fiet in conſpectu Domini: Unde Gloſſa ſic argumenta- *Et probatur ulterius, quia in conſpectu Dei debet eſſe confeſſio & pulchritudo.* „tur; Si ergò amas pulchritudinem, „confitere, ut ſis pulcher. Bernard. „Amas confeſſionem, ſi amas decorem: quia ſanctimonia & magnificentia in ſanctificatione ejus, „quaſi diceret. Si vis eſſe ſanctus „coram Deo, ſerva ſanctimoniam, „ut ab omni malo declines, & magnificentiam, ut magna operari „non ceſſes. Hæ ſunt duæ partes „juſtitię, ſcilicet declinare à malo „& facere bonũ, quæ hominem juſtum & ſanctum conſtituunt. „ Ita ille, & quidem juſtiſſimè: nam, ut D. Chryſoſtomus obſervat; *Sæ-* S. Chryſoſt. *pè contingit, ut etſi nihil irrumpat, extinguatur flamma cùm defecerit oleum.* Simul enim atque ipſa non nutritur, *Idque quia ignis Spiritûs S. ut lampas extinguitur, quando novo oleo non fovetur.* ex ſeipſa, ſeu, ut more ſcholarum loquar, ab intrinſeco & propriâ ſponte deſinit. Quare etſi de obſcuriſſimo carcere jam jam liberandus ſis, & lumen Dei effulgeat in tabernaculo animę tuæ, equidem attendere debes, ut per bonorum operum affuſionem illud continuò foveas, ſolus enim defectus fomenti extinctionem cauſare poſſet, licèt nec aquâ, nec vento, nec aliâ quâvis cauſâ extrinſecâ præpediretur. Veluti enim ignis extinguitur, quando illi ligna & pabulum ſubtrahuntur: ſic & lumen Spiritûs ſancti deletur & perit, quando alimentum ei ſubtrahitur, & ad beatitudinis æternæ poſſeſſionem, non tantùm tunc non pervenitur cùm malum patratur, ſed etiam cùm bonum, quando & qualiter oportet fieri, non agitur, adeòque malum non ſolùm eſt declinandum, ſed & bonum agendum, ut

ut angelicè Doctor Angelicus 1. 2. q. 53. art. 3. diſcutiens quomodò virtutum moralium habitus deſtruantur, docet enim ibi quod non tantùm per iteratam incarcerationem, id eſt, per actus contrarios, ut humilitatis habitus per ſuperbiam, liberalitatis per avaritiam corrumpantur, ſed & per nudam ab opere ceſſationem eos vult im-
S. Thomas. minui. *Hujuſmodi habitus*, verba ſunt, *diminuuntur, vel etiam tolluntur totaliter per diuturnam ceſſationem ab actu.* A vitiorum ergò ſordibus emundari, hoc non ſufficere, ſed ad virtutum acquiſitionem prætereà enitendum eſſe, manifeſtiſſimum eſt, & ipſe ſummus Pontifex
Lucæ 7. 50. Chriſtus Jeſus oſtendit, dum Lucæ 7. in domo Phariſæi de Magdalena non tantùm dixit: *Remittuntur ei peccata multa*, ſed inſuper ad illam ſubjunxit. *Vade in pace.* Hæc quippe verba expendens Theo-
Theophil. philactus, ſic ait: *Poſtquàm autem ei peccata dimiſit, non ſiſtit in remiſſione peccati, ſed adjicit operationem bonam. Vade in pace, id eſt, in juſtitia, quia juſtitia eſt pax hominis ad Deum.* Ergò, Captive, ſi ceciderint catenæ de manibus tuis, ſi hactenus in carcere diaboli ſpeluncam latronis infernalis te fuiſſe noveris, modò expurgatus à tam fœdis ſordibus templum te conſecra Deo, qui te creavit, Chriſto, qui te redemit; ſacro Deiparæ & SS. Martyrum cultui te apta: illorum in te effingere ſatage fortitudinem, & in virtutum curſûs ſtadio conſtantem perſeverantiam. Iterum Magdalenam tibi ob oculos pono, quam imiteris.

VI. Lucæ 7. 37. Scelerum ſuorum pœnitens, ſupplex Chriſtum adit, acceptâque veniâ oſculandi & rigandi lacrymis pedes ejus, ſtatim: *Stans retrò ſecus pedes ejus lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Si quis petat cur retrò pedes ſtet? reſpondebit illi D. Chryſologus Serm. 93. *Reus animus poſt tergum ſtat ad veniam, quia per culpam novit ſe vultûs fiduciam perdidiſſe. Stat ſecus pedes, ut Chriſti veſtigiis innixa curreret per viam vitæ, quæ cucurrerat per viam mortis.* Et ſic: *Quæ diu malè laborabat, veſtigia recta quærebat.* Verba ſunt Magni Auguſtini Lib. 10. Hom. Hactenus à 7. dæmoniis poſſeſſa, diaboli mancipium fuerat, ſecus pedes volebat Deo cordis ſui poſſeſſionem dare, & cùm poſſeſſio ſit à pedum poſitione, ut habeat intentum, ponit ſe ad pedes Jeſu; & ecce quæ priùs fuerat poſſeſſio dæmonum, gratiâ Spiritûs ſancti tota repletur: ibi Magdalena, fornax incontinentiæ, excuſſit jugum impudicitiæ, & facta eſt palatium honeſtatis, ſatanæ catenas diſrupit, inveteratæ conſuetudini caput abſcidit, &, ut inquit D. Ambroſius Hom. 6. in Pſal. 118. *Ubi erant incentiva libidinis, ibi nunc ſunt domicilia caſtitatis.* Et omnia: *Quæ fuerant primùm inſtrumenta peccati, à dæmoniis liberata, fecit inſtrumenta virtutis, & quod turpiter ſibi exhibuerat, poſteà Deo laudabiliter offerebat.* Verba ſunt Eccleſiæ Doctoris Gregorii Hom. 33. in Evangel. ubi adhuc idem ſubdit. *Oculis terrena concupierat, ſed hoc per pœnitentiam conterens flebat, Capillos ad compoſitionem vultûs exhibuerat, ſed*

Lucæ 7. 37. Noverat hoc Magdalena. D. Chryſol. S. Auguſtinus. S. Ambroſius. S. Gregorius.

jam

jam Capillis lacrymas tergebat, ore ſuperba dixerat, pedes Domini oſculans hoc in Redemptoris ſui veſtigia figebat. Vnguentum ſibi pro odore ſuæ carnis exhibuit; quod ergò ſibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Quot ergò habuit in ſe oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta, convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum Deo ſerviret in pœnitentia, quidquid ex ſe Deum contempſerat ex culpa. Crevit illius in Chriſtum amor ſemper, in omni loco ſecuta Dominum ſuum, à quo nunquam, nec in ipſis iniquiſſimorum judicum tribunalibus, nec in Calvariæ monte ſejungi potuit, ſed Crucis trunco adhæſit, ſicut vitis palmiti, vivum amavit, amavit & mortuum, & ad monumentum properavit, ut quæreret Dominum: ſcilicet ſic eam currere coegit Chriſti amor, à quo penitus erat inflammata & abſorpta. Captive, quia cucurreras vias mortis, miſſus eras in carcerem diaboli: gratiâ Dei ceciderunt catenæ de manibus tuis, diſrupti ſunt compedes tui, circumdediſti tibi externum pœnitentiæ veſtimentum: at, ut ſim de tua liberatione ſecurus, iterum te moneo: Circumda tibi & internum: ſi cucurreris per vias mortis, veſtigiis Chriſti jam innixus, incipe currere per vias vitæ; qui diu malè ambulâſti, quære modò veſtigia recta, ereptus de diabolica ſervitute, cui te ſubdideras: omnia, quæ fuerant inſtrumenta peccati aut dæmonis, modò liberatus, fac inſtrumenta virtutis, & quod illi turpiter exhibueras, jam Deo laudabiliter offerras, quot à duobus militibus tuis habuiſti in te oblectamenta, tot modò de te invenias holocauſta, convertens ad virtutum numerum, numerum criminum. Imitare Magdalenam de carcere ſuo liberatam, & Dominum per omnia, ad uſque Calvariæ montem & ipſum Crucis truncum ſecutam. Plus dico: ſequere magni conſilii Angelum, & Chriſti veſtigia preme. Si quæras à me modum, dicam: ſequere præeuntem Paulum, quondam Saulum ac diaboli Captivum.

Et idcircò peccatorum numero numerum virtutum oppoſuit.

VII. Philipp. 3. 12. De ſe loquitur: *Sequor autem, ſi quo modo comprehendam in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Jeſu. Sequor autem.* Dic age Paule, vas electionis, quem, & quid ſequeris? Dominum. Aſt quo modo? operando & patiendo. *Sequor Dominum in ſcala Crucis*, inquit Ugo ejus nomine: Sed quo fine? *Vt videam eum eâ claritate, quâ apparuit mihi in via, quando comprehendit*, id eſt, *convertit me.* Verùm ut votorum compos fias, quid agis? *Operor & patior.* Patior Crucem aſſiduam, & juxta virium mearum facultatem vitam exigo ſanctam, per varia virtutum opera me exerceo, talibuſque exercitiis me Chriſti conformo moribus. *Sequor* (inquit Gloſſa) *non paſſibus corporis, ſed mentis affectibus & vitæ moribus.* Sed acquievitne umquam Apoſtolus hactenus à ſe factis & paſſis? Fecitne umquam in virtutum progreſſu finem? Abſit, abſit ut vel cogitemus: adeò enim ab omni ceſſatione & quiete fuit alienus, ut nihil ſe meritum diceret, nihilque boni operis abs ſe exercitum repu-

Philip. 3. 12.

Paulus ſimiliter ideò Chriſtum ſecutus eſt.

Ugo Card.

Gloſſa.

taret, niſi indeſinenter in via virtutis pergeret. Audi loquentem. *Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Vnum autem, quæ quidem retrò ſunt, obliviſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora, extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu.* Emphaticum eſt, quod dixit: *Vnum autem. Quaſi dictum fuiſſet*, inquit Cajetanus: *Quod ſumma vitæ conſiſtat in uno.* Et quodnam eſt illud unum? operari benè, merita addere meritis, Divino Numini indies placere magis, ad metam vocationis celeri volatu tendere, quæ ſunt ipſa cœlorum in æternum duratura gaudia. *Ad ea quæ ſunt priora extendens me ipſum*, id eſt, inquit Ugo, *Priora, ſcilicet ad futura merita, à quibus ſi ceſſares, amitteres præterita*: Sic oportet te Chriſtum ſequi, Captive, ſi verè liber eſſe velis; ſed inſuper attende ne Angelum ſequaris, ſicut Chriſtum Petrus.

Cajetanus.

Ugo Card.

VIII. Matth. 26. 58. Chriſto in horto à Judæis capto, omnibuſque diſcipulis fugientibus, ſolus Petrus ſecutus eſt Magiſtrum. Vix ſummi Sacerdotis atrium ingreſſus, & ab ancilla oſtiaria interrogatus, num ex Chriſti diſcipulis eſſet, cœpit jurare & anathematizare, quia non noviſſet hominem, tertiò ſuum negando magiſtrum. Quid eſt quod Petrus, qui Chriſtum ſequitur compaſſione ductus, tam turpiter labatur, & aliis fugientibus & Chriſto dorſum vertentibus, nihil eis accidat ſiniſtri? Quis mihi hunc nodum diſſolverit? ſolvet D. Anſelmus. Notate, inquit, quomodò Chriſtum ſecutus ſit Petrus. *Sequebatur eum à longè.* Sequebatur quidem, ſed tepidè & de longè, unde de illo dicit Anſelmus: *Sequebatur, & non ſequebatur, quia ſequebatur eum à longè, & melius, ut ita dicam, fuiſſet non ſequi, quàm tali modo ſequi.* Sequitur à longè, magiſtrum proximè negaturus. Sic ſequi eſt quaſi non ſequi. Captive, dum Angelus te alloquitur. *Circumda tibi veſtimentum tuum & ſequere me.* Iterum rogo te ne ſequaris Angelum, ſicut Petrus Chriſtum, ſcilicet *à longè*, quia melius tibi eſſet, ut ita dicam, non ſequi, quàm de longè, frigidè & negligenter ſequi: Si enim *à longè* ſequaris, prædico tibi, proximè eum negaturus es; adeòque iterum conjiciendus in carcerem. Angelum ſequere in ſpiritu fervoris, humilitatis, mortificationis & tui abnegationis. Sic ſequi eſt verè ſequi. Hinc ipſis te verbis rogo, quibus Deus populum ſuum Iſraël. Jeremiæ 4. 1. *Si reverteris Iſraël, ad me convertere.* Scio quod abſtruſis te verbis alloquar: quomodò enim revertenti dicetur, *Revertere*: & convertenti ſe ad Deum, *Convertere?* Dicam: ſunt qui ita ad Deum revertuntur & convertuntur quaſi non converſi, quia tanto animi torpore faciunt opera charitatis aliarumque virtutum, quaſi non facerent, & ideò dico tibi: *Si reverteris ad Deum, convertere*: ſi ad Deum reverteris, redi ſeriò, ex animo, fervidè: melius eſt enim nihil facere, quàm mira tam frigidè facere, ut nihil efficias. Melius eſt ut ita dicam non ſequi, quàm tali modò ſequi.

Quem non oportet ſequi à longè, ſed propè.

Matth. 26. 58.

S. Anſelmus.

Jeremiæ 4. 1.

IX. Cùm

At ſine faſtidio, ſicut ipſe opus paſſionis abſolvit.

IX. Cùm nobis ſermo ſit de Chriſto patiente, ſequamur eum (ſequere & tu) ad uſque montem Calvariæ. Poſtquam ad montem pervenit Dominus Jeſus, in potum dejectò *Dederunt* Judæi *vinum bibere cum felle mixtum, quod cùm guſtâſſet noluit bibere.* Magnus Auguſtinus novit latens Sacramentum in Matth. 27. 34. *Reſpuit fel, quod illi obtulerunt, jejunare elegit potiùs quàm amaritudinem accipere.* Dum aliquis opus quoddam facit invitus, dicere ſolemus, quod hoc ore amaro faciat. Conſummabat Chriſtus opus redemptionis noſtræ tantâ charitate & dulcedine inceptum, ut ſponſa Cant. 4. 11. de illo cantet: *Favum diſtillans labia tua*, ut ergò mundo oſtenderet, quanto affectu redemptionem noſtram adimpleret, non permiſit os ſuum felle amaricari, ne videretur opus tantum facere invitus, unde *Cùm guſtâſſet noluit bibere*, ne vel minima amaritudo appareret in opere tantæ charitatis: *Jejunare elegit potiùs, quàm amaritudinem accipere.* Ut tu videas quod melius ſit nihil facere, quàm mira frigidè ſic facere, ut nihil efficias: melius non ſequi, quàm à longè ſequi. Non ergò te pigeat poſt liberationem tuam, ut membra, quæ ſervîerunt iniquitati ad iniquitatem, nunc fructificent, & ſerviant juſtitiæ in ſanctificationem.

Matth. 27. 34.

S. Auguſtinus.

Cant. 4. 11.

Marc. 1. 31.

Et quidem continuò ei miniſtrando in ſe & ſuis.

X. Marc. 1. 31. Decumbebat Socrus Petri febricitans; Jeſus domum ingreſſus: *Accedens elevavit, apprehensâ manu ejus, & continuò dimiſit eam febris & miniſtrabat eis.* D. Paſchaſius Lib. 1. in Mar. expendit illud, *Miniſtrabat illis.* Ut nôſtis, corpora dimiſſa à febre adhuc per aliquot tempus langueſcunt, vireſque notabiliter debiliores ſunt: quomodò ergò *Continuò miniſtrabat eis*? audi ejuſdem Paſchaſii reſponſum: *Contra conſuetudinem febricitantium eſt, quia ſolent incipiente ſanitate laſſeſſere, & ægritudinis ſentire moleſtiam: ſed ſanitas, quæ Domini confertur imperio, tota ſimul redit.* Et addit poſt pauca. *Ubi virtus curat, nullum reſidere veſtigium infirmitatis.* Nec amicorum aliquis, nec vicinus, nec propinquus, nec famulus miniſtrat, ſed ipſa quæ jacuerat, ut membra, quæ ſervîerant febri vitiorum aut peccatorum, famularent nunc etiam juſtitiæ aut virtuti, ut ita mundarentur ac ſanctificarentur; nec enim validiora ac robuſtiora debent eſſe membra ad ſupportandam gravitatem peccati, quàm ad præſtandum juſtitiæ obſequium, ut ſubtiliter more ſuo D. Chryſol. Serm. 18. *Vidit decumbentem ſub ſuorum ſarcina peccatorum, & tenuit manum ejus, & ſurrexit & miniſtravit. Hinc eſt, quod erecta eſt, quæ jacebat, & miniſtrat Chriſto, dum ſanctificat manus ſuas modò operibus bonis, quas anteà malis operibus polluebat.* Audiendus etiam hîc Victor Antiochenus, author celeberrimus, hunc locum commentans: *A febribus liberata ſuum viciſſim miniſterium & ſervitium exhibet: nos per hæc erudiens, ne ſanitatis beneficium fruſtrà, aut præpoſterè à Deo exſpectemus, verùm eo animo, ut ſanitatem ſeu liberationem adepti, præceptis illius accuratè parere, Sanctiſque neceſſaria*

S. Paſchaſius.

S. Chryſol. Serm. 18.

neceſſaria vitæ præſidia faciliùs miniſtrare valeamus. Animæ adepti ſanitatem, ſeu ex diaboli carcere liberationem conſecuti, jam in hoc uno oportet nos omnes nervos intendere, ut Deo placere per bona opera ſatagamus. Sic docet purpuratus Ugo, ſicque verba Evangeliſtæ exponit ad Cap.4. Lucæ dicens: *Si quis curatur à febre peccati, ſtatim debet Domino & Diſcipulis ejus miniſtrare, quod eſt ſignum perfectæ curationis.* Idipſum docuit etiam Chriſtus Marci 5. 42. dum Principis Synagogæ filiam à morte ad vitam ſic revocavit, ut ſtatim ſurrexerit & ambulârit. *Surrexit puella & ambulabat.* Idque ad noſtram inſtructionem, inquit Vener. Beda. *Quia anima à peccatis reſuſcitata, non ſolùm à ſordibus ſcelerum exurgere, ſed & in bonis proficere debet operibus.* Intellexiſti hæc omnia, Captive? ſi ergò ab animæ febri ſanatus es, ſi à diaboli vinculis ſolutus, ſic miniſtrare medico tuo & liberatori tuo incipe, ut nullum in te infirmitatis veſtigium reſideat: membra, quæ ſervierunt febri vitiorum, jam juſtitiæ & virtuti famulentur: non fuerint validiora ac robuſtiora membra tua ad ſupportandam gravitatem carceris tui, quàm ad præſtandum juſtitiæ obſequium; Vide ergò, ut impoſterùm manus tuas bonis operibus ſanctifices, quas anteà malis operibus polluiſti, & in hoc unum omnes tuos impendas nervos, ut Deo placere per bona opera ſatagas, quia anima à peccatis reſuſcitata non ſolùm à ſordibus ſcelerum exurgere, ſed & bonis proficere debet operibus. Sic oportet te magni conſilii Angelum ſequi: & quidni ſic ſequereris? ſi diaboli factus Captivus, vinctus eras catenis duabus: quidni modò Chriſti vinculis (de quibus Oſeæ 11. 4. *Traham eos in vinculis charitatis*) vinciaris? Quidni tu, ſi innocens Iſaac Abrahæ filius ſic vinctus fuerit?

Ugo in cap 4. Lucæ. — Marci 5. 42. — Ven. Beda. — Oſeæ 11. 4.

XI. Gen.22. Hic libens & volens ad holocauſtum ſe præparans, manus ſibi & pedes ligari permiſit; Sed hoc mirum, ſi enim libens ſe præparat, cur vinciri voluit? *Lex vinculum eſt*, ait Tullius: ut ergò bona illa voluntas his vinculis Deo devinciretur, idcircò ligari voluit, ita ſolità ſuâ ambroſiâ hoc exponit Eccleſiæ Doctor D. Ambroſius: *Nectit filio*, inquit, *manibus ſuis vincula Pater, ne refugiendo filius, & vi ignis exuſtus peccatum incurreret.* In hunc ſenſum Eccleſiaſticus etiam te alloquitur, Captive, Cap.6. *Ne acedieris vinculis ejus.* Sed his vinculis colligatæ ſint manus tuæ, ne ultra ad aliena extendantur, ne tactu impudico rurſum contaminentur: his vinculis conſtricti ſint pedes tui, ne ad popinas, ad proſtibula, ad effundendum ſanguinem iterum procurrant, ſed ſint, ut D. Cyprianus ait: *Pedes feliciter vincti, qui itinere ſalutari ad Paradiſum diriguntur.* Et de quibus exclamare tunc dabitur, ut exclamavit ipſe de ſimilibus: *O pedes ad præſens in ſeculo ligati! ut ſint ſemper in cælis liberi.* Hoc *Fune* etiam *ligabis linguam.* Job 40. 20. ne verba laſciva, ſcurrilia & detractoria rurſum

Gen.22. *Quod hilariter præſtari debet.* — Eccli 6. 27. — D. Cyprianus. — Job 40. 20.

Neque ab iſtius ſervitii ligamine converſus debet velle eximi.

rurſum effutiat, ſed in Dei laudes erumpat. Omnia denique membra tua, ita ſint conſtricta & conſtituta, ut non ſolùm à Chriſto non ſepareris, mandatorum Dei vinculum rumpendo, ſed etiam animo illi fortiùs innectaris, omnia in Dei gloriam ſemper operando, certus quod tunc eris de numero eorum, de quibus ait magnus S. Auguſtinus: *Deus quos primò alligaverit, ſolvet poſteà, liberatiſque donat ſeſe ad fruendum.* Econtra verò eos, qui his vinculis modò vinciri renuunt, poſteà ligatis manibus & pedibus projiciendos fulminabit in tenebras exteriores. Si ergò verè liber eſſe velis, non ſolùm peccatorum vincula diſrumpe, ſed & veterem hominem exue, & totum novum ſimul cum veſtimento gratiæ indue, qui ſecundùm Deum creatus eſt, ne alioqui animalia te confundant. Animamalia? Ita, ita, animalia:

S. Auguſtinus.

Matth 10. 16

XII. Matth. 10. 16. Ait Salvator: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ:* Porrò de ſerpente aſſerit Tertullianus Lib. de Pœnitent. *Locum mutat, ne pellem videat.* Adeò deteſtatur depoſitam pellem, ut illam exutus fugiat, ne ultrà videat. Et hæc ad tuam inſtructionem, ut inde antiquam ſenſualis Adæ pellem exuere, & novam columbinam diſcas induere cum Apoſt. 2. Cor. 5. 3. *Superindui cupientes. Indumenta ſcilicet virtutum*, ut ait Cardinalium decus Ugo, ut de te verificetur illud Geneſ. 37. 2. Fecit ſibi *Tunicam polymitam* de diverſis virtutibus & coloribus; Tunicam iſtam nemo induit, niſi priùs ſordidam exuat, juxta illud Zachariæ 3.4. *Auferte veſtimenta ſordida ab eo* (ſcilicet Juda) qui interpretatur Confeſſio, Odio ergò habens eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam, induere indumenta immortalitatis, ut *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida.* Eccleſiaſt. 9. 8. Sic ut non ſufficiat tibi veterem Adamum exuere, niſi induas novum juxta illud Rom. 13. 14. *Induimini Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis.* Hoc tibi unicum præ cæteris cordi ſit, Jeſum Chriſtum ut induas: Dicitur autem induere Chriſtum, inquit Angelicus: *Qui Chriſtum imitatur, qui ſicut homo continetur* in veſtimento, & ſub ejus colore videtur, ita in eo, qui Chriſtum imitatur, opera Chriſti apparent, quæ niſi in te appareant, licèt à vinculis ſis ſolutus, iterum dico, non ſum de te ſecurus. Si informari à me cupias circa hoc veſtimenti genus, illud vivis coloribus depingitur à Davide.

Tertullianus.

Sed benè à ligaminibus ſatanæ.

2. Cor. 5. 3.

Ugo Card.

Geneſ. 37. 2.

Zachar. 3. 4.

Vt tantò meliùs poſſit ſibi circumdare veſtimenta virtutum.

Eccle. 9. 8.

Rom. 13. 14.

D. Thomas.

Quod facit, qui Chriſti opera & virtutes imitatur.

XIII. Pſalmo 44. *Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis.* "His „verbis, inquit Cardin. Ugo innuit „Propheta ex qua materia confici „debeat internum veſtimentum „tuum. *Myrrha, gutta & caſia.* „*Myrrha* eſt ſpecies unguenti miræ „amaritudinis, quocum ungebantur corpora mortuorum contra „vermes & putredinem. Ergo per „Myrrham ſignificatur mortificatio „carnis,

Pſal. 44. 9.

„ carnis, quæ valet contra concupiſ-
„ centiam, quæ more vermium de
„ carne ſcaturit, & contra omnem
„ putredinem vitiorum. *Gutta* eſt
„ nomen generale, & ponitur hîc pro
„ amoma, quæ eſt unguenti genus,
„ quod humiliat & deſiccat inflatos
„ tumores. Unde per guttam hîc
„ intelligitur humilitas, quæ ſuper-
„ biæ tumorem annihilat. *Caſia* vel
„ *Caſſia* iſta redolet, & tendit in al-
„ tum, & creſcit in locis aquoſis,
„ per quam fides deſignatur, quæ
„ cœlum penetrat, & in aquis bap-
„ tiſmi creſcit. Item caſſia valet con-
„ tra fœtorem dentium, ſic fides
„ contra verba mordacium hæ-
„ reticorum. Omnibus his velut
„ ornamentis veſtieris, & quidem
„ omnibus diebus vitæ tuæ, inquit
„ idem Cardinalis prælaudatus: *Aſtitit* enim *Regina à dexteris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate, & omnis gloria ejus ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Quando introducetur
„ anima in thalamum & ad regnum,
„ quando his, qui à dexteris erunt,
„ dicetur: *Venite benedicti Patris mei*,
„ &c. *Aſtitit* non nuda, ſed *in veſtitu*, id eſt, in contextu & orna-
„ tu virtutum; & quidem *in veſtitu deaurato*: per aurum intelligi-
„ tur illa præcipua ſapientia, quâ
„ ſapimus æterna, ſed quia non in-
„ tegrè poſſumus hîc habere illam
„ ſapientiã, benè dicit: *deaurato* tan-
„ tùm, non verò aureo, porrò alio
„ ſenſu per aurũ intelligitur charitas,
„ quæ inter virtutes primatũ tenet,
„ ſicut aurum inter metalla, & ſic
„ veſtitus deauratus ſignificat opera
„ in charitate facta, quibus impo-
„ ſterùm ornari debet anima tua ab
„ intus, omnis decor ejus ab intus,
„ in fimbriis aureis, circumdata va-
„ rietate. Sed quid eſt, quod veſti-
„ tus tuus ſolùm deauratus dicatur,
„ fimbriæ autem aureæ? *In fimbriis aureis*? hoc pro me dicet S. Paſchaſius. *Fimbriæ cùm aureæ dicuntur, divinior ſenſus introducitur. Quia cùm ſuperius Regina in veſtitu deaurato adſtare dicatur, ſic fimbriæ ejuſdem veſtis aureæ dicuntur, ex quo intelligitur, quia perfectior & pretioſior ſemper debet eſſe finis vitæ, quàm principium.* Toto quo vivis tempore hęc tibi veſtis contexenda eſt, veſtimentum deaurandum, fimbriæ autem, ultimæque ejus oræ debent eſſe ex auro puro. Capis? omnis vita, quam in mundo ages, debet ſancta eſſe & clara virtutibus, cui par finis reſpondere debet, ut ſi initia ſint aurea, & ex fervore charitatis Deum ac virtutem colere cæperis, aureus quoque ſit finis tuus.

Et à cujus veſtimento dependent, Myrrha, Gutta, & Caſia.

Vers. 10.

Vers. 14.

S. Paſchaſius.

XIV. Gen. 27. Volebat Iſaac filio ſuo Jacobo benedicere, & neſcio qualem ille & quàm admirandam ſenſerit odoris fragrantiam. *Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*, ſed qualem ille exhalavit odorem? Occurrit D. Ambroſius: *Non vitem aut ficum Patriarcha olebat ſed virtutum ſpirabat gratiam.* Talem non dedit odorem, qualem grana uvę, poma aut aliæ arbores ſpargunt, ſed odorem habuit adinſtar agri pleni, hoc eſt omnium ſine ullius exceptione virtutum. Si ergò Liberæ filius eſſe velis, & cœleſtis patriæ hæres, ſatagas ut omnium virtutum ornatu excultus exiſtas, ſpiretque veſtimentum tuum,

Gen. 27. 27.

Qui verò talis eſt benedictionem ſperare poteſt cum Iacob.

D. Ambroſius.

-um, totius ſanctitatis odorem, ut benè ſit tibi, quando in magno judicii die coram ſtricto judice ſtare debebis omnium redditurus rationem.

XV. Legitur de Pilato, ad rem noſtram apud Michaëlem à Bononia in pſal. 37. v. 1. quod cùm propter mortē Chriſti à Tiberio Cæſare Romam fuiſſet vocatus, ne vindictam ſubiret tanti furoris (quia contra ipſum Tiberius furebat vehementer) Pilatus induit ſe tunicam Chriſti inconſutilem. In qua cùm præſentatus eſſet Cæſari, Cæſar ei aſſurrexit, & ipſum multùm honoravit, nihil mali ei facere valens, aut dicere. Cùm autem hic honoratus receſſiſſet, iterum Imperator vehementer inflammatus judicavit ſe miſerum, quod ſuum furorem non aperuiſſet in ultionem, revocatuſque eſt Pilatus ad Cæſarem, & eodem modo receptus eſt. Tertiò revocatus Pilatus cùm dictâ tunicâ eſſet exutus, & ſic præſentatus, accepit ſententiam capitalem, quam non recepiſſet, ſi Chriſti tunicâ manſiſſet indutus. Porrò hæc tunica, juxta eumdem ibidem, eſt virtus charitatis, quæ diviſionem non patitur, quia qui hanc habet, omnes habet; Si verò hâc tunicâ exutus fueris, judici præſentatus experieris furorem Judicis, qui dicet tibi amice quomodò huc intrâſti, non habens veſtem nuptialem &c. Si autem hâc tunicâ fueris indutus, non timebis furorem judicis, quia non apprehendet te furor ejus, quin imò magnum reportabis honorem, cui conſonat Apoſtolus 2. Cor. 5. dicens: *Si tamen veſtiti, & non nudi inveniamur.* Et in eumdem ſenſum à Joanne ſcriptum eſt: Apoc. 16. *Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet.* Mali autem nudi invenientur, quia juxta Vaticinium Iſaiæ 59. 6. *Tela eorum non erunt in veſtimentum; neque operientur operibus ſuis: opera eorum opera inutilia.* Quod de Judæis Iſaias, ego de verbo ad verbum ad te, Captive. Si hoc veſtimento virtutum non fueris veſtitus, erit mihi ridicula liberatio tua. Pro me teſtem volo Petrum Captivum noſtrum de carcere liberatum.

Michaël à Bononia in pſal. 37. v. 1.

Et ſecurus erit ab ira judicis.

2. Cor. 5. 4.

Apoc. 16. 15.

Iſaiæ 59. 6.

XVI. Actor. 12. Petrum de carcere eduxerat Angelus, *Et neſciebat ille quia verum eſt, quod fiebat per Angelum. Exiſtimabat autem ſe viſum videre.* Deus bone! quid Petrum movere poterat, ut fidem non faceret; quod Deus per Angelum ſalvum eum vellet? quod demeritum credebat ſufficiens, ut remoram interjiceret Divinæ pietati? Non poterant catenæ, quibus vinctus fuerat, devincire manus Angeli; quare ergò ſe exiſtimat viſum videre? quare? *Quia videlicet dormientes beneficia Dei non ſentiunt.* Inquit D. Ambroſius: quia veſtimentis in tantùm exutus fuerat, ut Angelus ei dicere debuerit, circumda tibi veſtimentum tuum & ſequere me: idcircò exiſtimabat Apoſtolus ſe indignum libertate, cæteriſque cœli favoribus. Conſidera benè, Captive, quæ dico; quia erat dormiens quando liberaturus eum venerat Angelus. Idcircò met dubitat, & exi-

Actor. 12. 9.

Ubi aliàs ad minùs dubitarat cum Petro.

S. Ambroſ.

 ſtimabat

ſtimabat ſe viſum videre, eò quod dormientibus beneficia non obveniant, & cave proinde ne & tu aſſimileris ſimilibus, id eſt pigritantibus, dormientibus & non facientibus bona.

FERIA II. DOMINICÆ IV. ADVENTUS.

De captivitate Petri.

Pertranſeuntes primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream. Actor. 12.

I. NOn tibi perſuadeas, Captive, ad liberationem tuam ſufficere, quod à vinculis ſis ſolutus: niſi enim cum Petro ſequaris Angelum Dei, & non ſolùm divertas te à malo, ſed & facias bonum, liberatio tua erit mihi ſemper, manebitque ſuſpecta. Unde iterum dico tibi cum Pſalte Regio: *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus.* (Pſal. 95. 9.) Confeſſio ſine pulchritudine, confeſſio eſſe poteſt, pulchra eſſe non poteſt: (*Oportet Chriſtum ſequi.*) Fuerit Magdalena confeſſa Chriſtum, parum ei profuiſſet confeſſio, niſi Chriſti ſecuta fuiſſet veſtigia. Sequere & tu, ſi ſapis, ſed cave, ne cum Petro à longè ſequaris, quia meliùs tibi foret non ſequi, quàm ſic ſequi, proximè iterum negaturus. Dic cum Doctore Gentium: *Sequar autem ſi quo modo comprehendam*: (Philipp. 3.) Sequar operando & patiendo, quæ retrò ſunt obliviſcens, & ad ea quæ ſunt priora extendens manum. Sic Chriſtum ſequi eſt veterem exuere, & novum induere hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt: ſic ſequi eſt induere Dñm noſtrum Jeſum Chriſtum: ſic ſequi eſt ſic Chriſtum imitari, ut in te opera Chriſti appareant. Sic veſtitus ſecurus incedes, & cum Petro pertranſibis primam & ſecundam cuſtodiam. *Pertranſeuntes primam & ſecundam cuſtodiam venerunt ad portam ferream.* Sed quæ nam prima & ſecunda cuſtodia? utramque me meliùs novit Ugo Cardinal. (*Et primam ac ſecundam cuſtodiam, mundum & carnem pertranſire.*) *Pertranſeuntes*, inquit, *primam cuſtodiam, id eſt, primam quaternionem cum ſuis. Secundam, duos milites & alios carceris cuſtodes.* (Ugo Cardin.) Et ſic quidem ad litteram; ſed ſpiritualiter, idem Purpuratus inquit: *Prima & ſecunda cuſtodia mundus & caro, quibus contemptis, porta ferrea, id eſt, propria voluntas, quam alioqui durum eſt contemnere, facilè aperitur per gratiam, hæc ducit ad ſupernam civitatem.* (Idem.) Captive, vis ut credam te libertati donatum? primam & ſecundam cuſtodiam pertranſeas, mundo & carni & quatuor quaternionibus militum bellum impoſterùm indicas neceſſe eſt, & tunc juxta heſternum Evangelium: *Erunt prava in directa, & aſpera in vias planas, & videbit omnis caro ſalutare Dei.* Hoc hodie oſtendo, vos autem NN. benignis auribus percipite verba oris mei: exordior.

II. Exodi 15. Pharao Iſraëlem perſequens, & mare per ſiccum poſt illum

ſum ingrediens, cum univerſo equitatu ac curribus ſubmergitur. Tunc cecinit Maria Moyſis ſoror & Aaron carmen: *Sumpſitque Maria Prophetiſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua: egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt* Exodi 15. 1. *eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem ejus dejecit in mare.* Hanc Mariam, canticum præcinentem, tympanumque in manu geſtantem intuetur Origenes, panditque latens myſterium. *Moris quippè Sanctorum eſt, ubi adverſarius vincitur, tamquam qui ſciunt non ſuâ virtute, ſed gratiâ Dei victoriam factam; hymnum Deo gratulationis offerre, incipiunt hymnum canentes etiam tympanum in manibus ſuis, ſicut de Maria ſorore Moyſi & Aaron refertur. Et tu ergò ſi mare rubrum tranſieris, ſi Ægyptios in mari ſubmergi videris, & extingui Pharaonem, atque in profundum præcipitari, potes hymnum canere Deo, potes vocem gratulationis emittere & dicere: Cantemus Domino. Meliùs autem & digniùs hæc dices, ſi habueris tympanum in manu tua, id eſt, ſi carnem tuam crucifixeris cum vitiis & concupiſcentiis, & ſi mortificaveris membra tua, quæ ſunt ſuper terram: hæc enim via eſt, quæ ad veram promiſſionis terram, id eſt, ad cælum nos ſecurè perducet. Et tu ergò,* Captive (verbis utor Origenis) ſi ceciderint catenæ de manibus, ſi de carcere exieris, ſecutuſque ſis Angelum, *Potes hymnũ canere Deo, potes vocem gratulationis emittere, & dicere: Cantemus Domino. Meliùs autem & digniùs dices, ſi habueris tympanum in manu tua, ſi carnem tuam crucifixeris cum vitiis & concupiſcentiis;* ſi pertranſieris *primam & ſecundam cuſtodiam*, duos milites, mundum ſcilicet & carnem. Habes in hoc præcedentem te Iſraëlitici populi Ducem Gedeonem.

Origenes.

Ut Domino cantemus cũ tympano in manu.

III. Judicum 7. Hic dimiſſis viginti duobus millibus formidoloſis & timidis, probatiſque ad aquas, his, qui ad bellum eſſent proceſſuri, diviſit trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenaſque vacuas, ac lampades in medio lagenarum, ingreſſuſque eſt Gedeon & trecenti viri, qui erant cum eo, in partem caſtrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ, & cuſtodibus ſuſcitatis, cœperunt buccinis clangere & complodere inter ſe lagenas, quibus confractis illicò omnia inimicorum caſtra turbata ſunt, & vociferantes, ac ululantes, fugerunt: Sub velamine hujus litteræ latet arcanũ, quod Serarius nobis aperit: "Suos, inquit, exarmavit „ Gedeon, & novis iiſque in ſpe„ciem omninò ludricis armis inſtru„xit, ſed nimirum Chriſti Domi„ni, Gedeonis maximi, panoplia „ victoriaque monſtrata, de qua „ Iſaiæ 9. 4. & cap. 10. 26. *Tuba* „ Evangelii ſonus eſt. Lagunculæ „ fictiles, humana ipſius caro, tot„que ſanctorum Martyrum corpora „ tormentis & cruciatibus contracta. „ *Lampades*, fidei fulgor: *Dei Ge„deoniſque clamor* perpetua Dei laus „ & gratiarum actio. *Status in eo„dem loco*, perſeverantia. His armis „ inimicus cæditur, fugatur, pro„fligatur cum militibus ſuis. Ter„rentur enim Principes tenebra„rum viſâ luce bonorum operum, „ fractis lagenis carnalibus, quia

Serarius.

Probantur illa figuratìvè in Gedeone.

 ſtare

„ ſtare ante lucem tenebræ non poſ„ ſunt. „ ita ille. Et ut magìs clareſcat veritas, dic mihi, ſi potes, undè cognoverit Gedeon his armis inimicum profligandum? Non eſt quod à te reſponſum exſpectem, dum S. Textum loquentem habeo: *Cùmque veniſſet Gedeon, narrabat aliquis ſomnium proximo ſuo, & in hunc modum referebat quod viderat: Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis, ex hordeo volvi, & in caſtra* Judic. 7. 13. *Madian deſcendere: cùmque perveniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubvertit, & terra funditùs coæquavit: quibus auditis reſpondit is, cui loquebatur, non eſt hoc aliud niſi gladius Gedeonis: tunc Gedeon adoravit, reverſuſque ad caſtra Iſraël, ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus noſtras caſtra Madian.* Ad hæc verba S. Nilus: *Madianitæ libidinis ſymbolum gerunt, hi ſunt enim, qui ad fornicationem pellexerint Iſraël, panis hordeaceus volvitur, & Madianitarum tabernaculum ſubvertit: frugalis enim virtus libidinis vitium proſternit, & omnes militiæ dejicit munitiones.*

Et ratio redditur à S. Nilo.

Sed adhuc magìs ad rem noſtram ſanctus, emaceratus, pauper, & humilis Franciſcus, S. Ordinis Minorum inſtitutor: *Multi ſunt, qui dum peccant, inculpant inimicum, ſed non eſt ita, quia unuſquiſque habet in ſua poteſtate inimicum ſuum, videlicet corpus, per quod peccat, unde beatus ille ſervus, qui talem inimicum traditum, in ſua poteſtate ſemper captum tenuerit, & ſapienter ſe ab eo cuſtodierit, quia dum hoc fecerit, nullus alius inimicus viſibilis ei nocere poterit.* Jam ego ad te, Captive. Dic mihi quoties te caro, inimicus iſte in manus Satanæ tradidit, & in vincula conjecit? quot bonis & quidem ſpiritualibus te privavit? in quanta te pericula perduxit? numquid ad ipſas uſque portas inferi? quanta ab hoc milite, tempore captivitatis tuæ, paſſus es? An neſcis falſum eſſe amicum & verum inimicum, ac immaniſſimum proditorem, qui dum comedit tecum & bibit, nihil aliud quàm mortem & æternam damnationem machinatur, qui non curat propriam mortem, dummodò te unà perimat? ne tibi blandiaris, licèt jam jam de carcere educendus, primam & ſecundam cuſtodiam pertranſeas, niſi duobus his militibus, ſignanter carni, etiam poſt liberationem tuam, continuum bellum inferas, eoſque cum D. Bernardo in crucem agas, non gradieris diu ſecurus, ſed iterum brevi in captivitatem cades: Audi quid dicat hic S. Pater, de quo teſtatum legimus:

S. Franciſcus de caſtigat. corporis.

Carnem ſignanter crucifigendâ docuerunt Sancti.

Si pietas proprium poſſet tibi ſumere vultum,
Hanc, Bernarde, tuam ſumeret effigiem.

Hic ergò vir tantus contra carnem ſuam, tamquam contra capitalem inimicum altâ voce vindictam inclamans, ait, Cap. 17. Medit. *Exurgat Deus, & cadat armatus iſte, & conteratur inimicus homo, contemptor Dei, cultor ſui, amicus mundi, ſervus diaboli. Quid tibi videtur? ſi rectè ſentis, mecum dices, reus eſt mortis, Crucifigatur:* Niſi ergò hunc militem ſic tractes, & carnem tuam crucifigas, numquam te Doctor Gentium annumerabit cum iis, qui ſunt Chriſti. Lege & relege Epiſtolam ejus inſcriptam Galatis & invenies ſequentia. S. Bernardus.

IV. Cap. 5. *Qui ſunt Chriſti, carnem*

nem ſuam Crucifixerunt cum vitiis
Gal. 5. 24. Et monuit Apoſtolus. *& concupiſcentiis.* Carnis mortifi-
cationem vocat Apoſtolus crucifi-
xionem? *Crucifixerunt*, & benè:
Quia ſi te verè liberum velis, morti-
ficatio carnis tuæ debet eſſe ſtabi-
lis, ſolida & conſtans. Qui confi-
xus eſt cruci manet in cruce im-
mobilis, ſicut Chriſtus, qui non deſ-
cendit de Cruce, ſed mortuus eſt in
Cruce, ut hinc diſcas, Captive, quod
licèt à vinculis ſis ſolutus, & edu-
ctus de carcere, hæc carnis cruci-
fixio ſit tibi ſemper neceſſaria. Et
quidem tamdiu, donec plenè ſit
2. Cor. 4. 10. emortua, juxta illud 2. Cor. 4. 10.
*Semper mortificationem Jeſu in cor-
pore veſtro circumferentes, ut & vita
Jeſu ſemper manifeſtetur in corporibus
noſtris:* Hoc nôrunt illi, qui quon-
dam captivi, Dei miſericordiâ de
captivitate liberati, huic militi bel-
lum indixêre perpetuum. Do unum
aut alterum, quos nôſti.

V. Rex Prophetarum, Regum-
que Propheta ob carnis vitium in
carcerem miſſus, ibidemque ab hoc
milite per menſes undecim multa
perpeſſus, tandem per Nathan
Prophetam ex illo educitur, ut met
Pſal. 115. 17. teſtatur Pſalm. 115. 17. dicens
Dirupiſti vincula mea. Nihilomi-
Pſal. 118. 120. nùs adhuc Pſalm. 118. 120. In-
ſtanter, inſtantiùs, inſtantiſſimè pro
continua carnis ſuæ crucifixione
pulſat cœlum precibus: *Confige ti-
more tuo carnes meas, à judiciis e-
nim tuis timui.* Quis ad hæc verba
non obſtupeſcat? audiendus hîc
S. Auguſtinus. Magnus Pater Auguſtinus: *Quid
ſibi vult, quod cùm dixiſſet: Confige
clavis à timore tuo carnes meas:
addidit, à judiciis enim tuis timui?
Quid eſt confige à timore tuo, timui* David perpetuum bellum indixit carni.
*enim? ſi enim jam timuerat vel ti-
mebat, cur adhuc ut à timore ſuo
Deus crucifigeret carnes ſuas orabat?
An addi ſibi volebat timorem, ut
tantùm timeret, quantùm ſufficeret
Crucifigendis ſuis carnibus, id eſt,
concupiſcentiis affectibuſque carnali-
bus? tamquàm dicens: Perfice in
me timorem tuum, timui enim à ju-
diciis tuis. Sed eſt hic alius altior
ſenſus, quantum Deus donat, ſcru-
tato ſinu Scripturæ hujus, eruendus.
Confige, inquit, clavis à timore tuo
carnes meas, à judiciis enim tuis
timui, hoc eſt timore tuo caſto, qui
permanet in ſeculum ſeculi, carna-
lia deſideria mea comprimantur.* Pe-
tit David ut timor ille caſtus, qui
erat in ſpiritu, etiam redundaret in
carnem. Tenebat quidem partem
ſuperiorem ſubditam Deo, inferio-
rem autem, meliùs dixero anima-
lem, non item. Inde enim ei bellum
continuum, ac proindè orat, ut ti-
mor ille caſtus ita de anima tranſi-
ret in corpus, de ſpiritu in carnem,
ut non ultrà recalcitraret, fieret vo
rebellis ſpiritui. Sit ergò, Captive Pſalm. 115.
jam ita: ſit quod verè cum Davide
dicere poſſis: *Dirupiſti vincula mea:*
Si tamen inſtar Davidis de vera tua
redemptione ſecurus eſſe velis, cum Quia à judiciis Dei etiam poſt peccatum timuit.
eodem ora Deum. *Confige timore
tuo carnes meas, à judiciis enim tuis
timui.* Ora ſemper, ut ſancto timo-
re ſuo configat ſenſus tuos, configat
linguam, configat oculos, configat
aures, configat te totum, ne inſo-
leſcat concupiſcentia adversùs ſpi-
ritum, & ut à judiciis Dei timeas.
Per Dei judicia in SS. Paginis Di-
vina mandata intelligi, nemo neſ-
cit..

cit. *Si in judiciis meis non ambulaverint* Pſal.88.31. *A judiciis tuis non declinavi* Pſal.118.102. *Spreviſti omnes diſcedentes à judiciis tuis* Pſalm.118.118. Hoc ſuppoſito, peto cur David à Deo tam inſtanter petierit retundi ſtimulos rebellis carnis ſuæ? *Confige timore tuo carnes meas*? Vis ſcire? quia iterum timebat prævaricari mandata Dei. *A judiciis enim tuis timui*, ſcilicet, *timui diſcedere*. Verum eſt quod ſubticeat, nec exprimat verbum *Diſcedere*; ſed hoc eſt, quia horror eum non ſinit totum effari. Quid tu ad hæc, Captive, qui tibi promittis tantâ facilitate perſeverantiam adeò difficilem? Diffidebat ſibi David illam conſequi ob bellum inteſtinum, quod intra ſe patiebatur, & tu de illa adeò ſecurus es, quaſi jam foret in manu tua. Certè ſi magis ſeriò ad te reflecteres, & inconſideratum tuum vivendi modum attentiùs perpenderes, quantum tibi horrorem incutere deberet concupiſcentia adeò immoderata, qualis eſt tua? Dico candidè, dum illa vixerit, licèt diſrupta ſint vincula tua, in continuo verſaris periculo relabendi: Quod ſi contingat, quid proderit tibi contra illam huc uſque pugnâſſe, imò ſuperâſſe? ſola perſeverantia coronabitur. Quidni ergò continuò roges Deum: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui*? Signanter cùm per judicia Dei SS. Paginæ etiam intelligant conſilia Dei inſcrutabilia, quibus regit univerſum; juxta illud: *Judicia Dei abyſſus multa*; Ex quibus alia ſpectant ad miſericordiam, alia ad juſtitiam. Ad miſericordiam ſpectant illa conſilia incomprehenſibilia, quibus currit poſt fugientes eumque perſequentes, ad peccatores clamans: *Saule Saule quid me perſequeris*. Act.9.4. Ad juſtitiam verò illa ſpectant, quibus peccatorem permittit labi de peccato in peccatum: *Uſquequò tu luges Saul, cum ego projecerim eum ne regnet ſuper Iſraël*, 1.Reg.16. Porrò certiſſimum eſt, quod David ibi non agat de judiciis ad Dei miſericordiam ſpectantibus: illa enim admiranda, & optanda ſunt, non timenda; loquitur ergò de ſpectantibus ad juſtitiam, ideòque dicit ſe ab iis timere: *A judiciis enim tuis timui*: Nec dicit timere ſe judicia Dei abſolutè, ſed ſibi ſe timere ratione judiciorum ejus, non enim dicit: *Judicia tua timui, ſed à judiciis tuis timui. Confige timore tuo carnes meas*, id eſt, fac ut timor ſemper mihi infixus maneat, quia vereor, ne iterum ſenſualitas mea improviſum moveat inſultum, cui non valens viriliter reſiſtere, occultiſſimo Dei judicio mihi relictus, ruerem in ruinam. Et tu, Captive, à judiciis illis non times, ſed ambulas ſecurus totus, idque quia ſoluta ſunt vincula tua? tu ſic pergis, quaſi de nulla ulteriori futura captura, deſuper certior factus eſſes, nec tibi ultrà ab iſto milite foret timendum? O te temerarium! ô te audacem! Interim ſi ad Davidis timorem non pertimeſcas, do tibi adhuc unum non unius, ſed multorum annorum Captivum.

Pſal.88.31. Pſal.118.102. Pſal.118.118. *Quorum abyſſus multa etiam te terrere deberet.* Act.9.4. 1.Reg.16.1.

VI. Saulus ſuo è carcere liberatus ab eo, qui habet claves mortis & inferni, vix de Saulo Paulus factus

1. Cor.9. 26. ctus de ſe loquitur. 1. Cor.9. 26. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*; *Caſtigo* etiam poſt tot annos vitæ Apoſtolicæ: *Caſtigo* inter omnes fatigationes & ſudores. *Caſtigo* inter tot peregrinationes, *Caſtigo* inter tot prædicationes, *Caſtigo* inter tot eximia opera charitatis, quæ ſola ſufficere viderentur ad ſalutem. Sic loquitur Paulus. Et tu quid dicis? tu, inquam, qui carnem molliter tractas, foves, blandè allicis; tu quid dicis? Fors Paulus errat? erras ipſe, & vis ſcire cur timet Paulus? cur carnem ſuam ita crucifigat? dicam, & ex ipſo dicam: A judiciis Dei timet, ſic enim innuunt hæc illius verba: *Ne cùm aliis prædicavero ipſe reprobus efficiar.* Quibus tantumdem ſignificat, ac ſi diceret quod ſola incuria mortificationis carnis ſuæ, allatura ſibi eſſet damnationem. Porrò *quid faciet agnus, ubi aries timet & tremit*? Exclamat Auguſtinus Serm. 21. de Verb. Apoſt. Et quomodò ergò tu ſecurus es, quod neglectus hujus crucifixionis, tibi mortem non afferet, imò nec ullum malum, etiam vel minimum? Certè illa ipſa nimia ſecuritas deberet tibi eſſe ſuſpecta: & ideò dicit Apoſtolus. *Ne fortè*, quia agitur de puncto, à quo ſalus dependet: *Quid enim prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* An credis te numquam in infernum præcipitandum, quia operâ tuâ, & labore tuo multi cœlo potiti ſunt? ſi ita foret, non dixiſſet Apoſtolus: *Ne fortè cùm aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar.* Quis umquam plures Gentes convertit? & tamen non fidebat ſibi. Si ergò adeò confirmatus in gratia non ſit ſecurus, qui non timeas tu reprobationis tuæ periculum, etiam vel minimum? *Super hoc expavit cor meum, & emotum eſt de loco ſuo.* Reprobatio illa ſemper eſt poſſibilis, quia efficitur à nobis; A Deo venit, quod approbemur ad gloriam, à nobis quod reprobemur ad pœnam: ideò non dicit Apoſtolus: *Ne fortè reprobus evadam*, ſed *efficiar*: quia quiſque mali ſui eſt author. *Perditio tua ex te Iſraël* Oſeæ 13. 9. Si ergò reprobationem operemur in nobis, quis eſt, qui non timeat? Prodigium dico, quod damnari timeat Apoſtolus, qui adeò pro Deo laboravit, adeò carnem ſuam emaceravit & crucifixit, & quod tu interim, quaſi ſalva tibi foret ſalus tua, ſenſualitatibus tuis indulgeas. Num fortè perſuadere mihi intendis, quod ſuper omne vas electionis tu carnem habeas ſpiritui magis ſubditam, & quod lex membrorum tuorum minùs repugnet legi mentis tuæ, quàm in Paulo poſt tot peregrinationes, labores & emacerationes? credat hoc, qui voluerit, ſed non ego. Audi ergò quomodò in confuſionē tuam dicat: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* Non dicit in ſervitutem *retineo*, *ſed in ſervitutem redigo.* In ſignum quod illa rebellio probetur etiam à perfectis, & quidem uſque ad vitæ finem. Lege Epiſtolam ejus ad Rom. lege, &, ſi potes, ſine tremore.

Et ad eamdem carnis mortificationem inſtigare cum Paulo.

1. Cor. 9. 27.

S. Auguſtinus.

Matth. 16. 26.

Job 37. 1.

Oſeæ 13. 9.

VII. Cap. 7. Libertati redditus, militem hunc, quaſi adhuc ipſum captivantem deſcribit: licèt, inquit, à vinculis ſim ſolutus, & pertranſiverim

verim primam cuſtodiam, carnemque ſpiritui ſubjecerim: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*: Unde exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*? Hæc verba interpretans purpuratus Ugo ait: video legem, id eſt, fomitem, qui dicitur lex, quia ligat hominem, ne moveatur ad bonum opus, & trahit ad faciendum malum, ſicut lex è converſo præcipit bonum & prohibet malum: video iſtam legem *Captivantem me*, id eſt, tamquam captivum ducentem me ad peccatum actuale: *In membris meis*, id eſt, in carne mea, ideòque tantò periculoſior, quantò mihi vicinior. Unde *Infelix* (per me enim liberari non poſſum) *Ego homo* &c. quia ſic habens mecum hoſtem meum, trahor ad malum, & non poſſum facere bonum: Igitur: *Quis me liberabit* de dominio carnis? *De corpore mortis hujus*, id eſt, de corpore, quod eſt ſubditum huic morti ſive fomiti, qui eſt cauſa mortis, actualis ſcilicet peccati, & mortis æternæ. *Quis?* non lex Moyſis, non vires propriæ. *Quis?* quaſi diceret: magnum oportet illum eſſe, & reſpondet ſtatim dicens: *Hæc eſt gratia Dei*, à Deo gratis mihi collata. Hinc Paulus omnes quondam concaptivos in eadem Epiſtola adhortans ait Cap. 8. *Ergò, Fratres, debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus*, deſideria ejus adimplendo. Sed econtra ut carnem potiùs mortificemus, ne vel ſemel poſt hac dominari poſſit ſpiritui, & nos rurſus in carcerem conjiceret, quod brevi fieret, Captive, ſi ſecundùm illam vivere inciperes.

Rom. 7. 23.

Verſ. 24.

Rom. 8. 12. *Non ſumus debitores ut ſecundùm carnem vivamus.*

VIII. Tenero nimis, ſtulto potiùs dixero, affectu ferebatur Ninus erga Reginam Semiramidem, uxorem ſuam, & in probam illius repetebat plus ſemel: Poſtula à me Semiramis quod vis, invenies me tibi non Regem tantùm, ſed & ſervum. Callida ad iterata oblata officia, ſiluit ad dies aliquot, unde & diſcretionis & moderationis nomen acquireret, ſed tandem ne contempſiſſe videretur, ait: Syre, cùm me tantâ humanitate digneris, audebo oblatam gratiam acceptare. Hoc unicum ergò rogo, ut per unum dumtaxat diem regnem, omneſque obediant mihi: Ad hæc verba attonitus Ninus, dicit intra ſe, ſi tam parvo regnet tempore, quid inde? quid mali poſſet? annuit petitioni. Regina, inquit, modò unius dumtaxat diei ſit, regnum eſt tuum. Imponitur ad hæc capiti corona, ſceptrum dextrâ gerit, daturque ei ſigillum Regium: applaudit aula, Regina vivat: vivat Regina. Semiramis interim regno potita, mandat illicò: Vincite Regem. Vincire Regem? Captivare Majeſtatem? Semiramis! Nine! Proceres! ſum Regina, ſic volo, ſic mando, & obeditur. Parùm poſt ſubjungit: Occidite Regem, ſic jubeo ſic impero. Hiſtoriam deſcribit Sabellicus Lib. 1. & concludit his verbis: *Ita regnum ex diurno diuturnum effecit.* Sic, ſic caro ſolet agere cum anima & ſpiritu: carni tantiſper indulgere, ſenſualitati ſubinde habenas

Sabellicus: *Quæ ſi regnet vel ſemel regnabit diu, & ſpiritum occidet.*

benas laxare, quid mali? videtur juſta & diſcreta petitio; ſi tamen annuitur, ſi vel ſemel dominetur, mandabit ſtatim ſpiritui, ne inordinatis affectibus reſiſtat, jubebit illum vinciri, ſi non manicis ferreis, ſaltem habitibus malis, vinctumque imperabit occidi, & ex carnali delectatione, aliiſque peccatis mortalibus volet illum videre mortuum, ut conceſſum ad diem regnum teneat diu. Sicque ſi permittas eam regnare vel ſemel, videbis, Captive, quod regnabit ſemper, *Et regnum ex dimno diuturnum efficiet*, velut altera Semiramis. Attende igitur, ſi de tua liberatione ſecurus eſſe velis, ut illam potiùs crucifigas, & ſic primam cuſtodiam pertranſeas; neque primam tantùm, ſed & ſecundam, mundum ſcilicet, qui etiam à te crucifigendus eſt, antequam omninò immunis ab omni periculo evades.

IX. Gal. 6. 14. Ob carnis crucifixionem exultans Paulus, gloriatur ſe unà cum carne mundum crucifixiſſe. *Mibi*, inquit, *abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus Crucifixus eſt, & ego mundo.* Gloriatur Apoſtolus in cruce, quæ erat mundo opprobrium, ut & tu inde glorieris, ſicque carnem cum mundo crucifigas, & cum carne mundum, id eſt, ut mundus ſit crucifixus tibi, & tu mundo, ut ſcilicet ſenſa habeas directè contraria. Quando duo uni eidemque figuntur cruci, ut ſint verſis ad invicem dorſis neceſſe eſt. Tunc ergò crucifixus es mundo, & tibi mundus, dum tu mundo dorſum vertis, & mundus tibi: dum te mundus ridet, & tu mundum: dum mundus non amat te, neque tu mundum: dum ipſe non æſtimat te, neque tu illum, tunc illa eſt crucifixio perfecta. Ut ſic crucifixus moriaris mundo, oportet ut mundus priùs moriatur tibi. Non enim dicit Apoſtolus: *Ego mundo crucifixus ſum, & mundus mihi*, ſed: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*: Tibi mundus moritur, quando effectu renuntias omnibus pompis & fallaciis ejus, quia tunc nihil ultra habet, quo te alliciat, ſicque tibi eſt quaſi mortuus; Tu moreris mundo, dum illis renuncias, etiam affectu, quia tunc multò minùs poteſt te allactare, ſicque illi es tamquam mortuus. Sed quomodò ad tam beatam crucifixionem pervenit Apoſtolus? Ipſemet dicit: mediante Chriſto Crucifixo. *Per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Sed peto ulteriùs: quem fructum ex illa crucifixione habuit Apoſtolus? Quem? Audi enarrantem.

Gal. 6. 14. Mundus etiam crucifigendus.

Et quid ſit mundum nobis & nos mundo crucifixos eſſe.

X. Philip. 3. 7. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta: verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* Quæ mihi in Judaiſmo videbantur lucra, poſtea ad lumen fidei, clariſſimè apparebant detrimenta propter Chriſtum, *Propter quem omnia detrimentum feci*, quia omnia

Philip. 3. 7. Paulus illius bona benè arbitratur ut ſtercora.

rejeci, omnia repuli, *& arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* Ut ſtercora?ita, ut ſtercora, & benè: quia bona mundana vel ſpectant ad concupiſcentiam carnis, ſeu ad laſciviã; & ſic vocantur ſtercora ob fœtorem, quem ſolent dare eminùs per infamiam & malum nomen, & etiam cominùs per malum exemplum & petram ſcandali: *Computruerunt jumenta*, inquit Joël, *in ſtercore ſuo*: Vel ſpectant ad concupiſcentiam oculorum ſcilicet ad avaritiam, & illa dicuntur tum ſtercora propter ſpurcitiam, quam ab illis per miſcuè homines contrahunt. *De ſtercore boum lapidatus eſt piger, & omnis qui tetigerit eum, excutiet manus.* Eccl. 22. 2. Vel ſpectant ad ſuperbiam vitæ, ſcilicet ad ambitionem, & talia tunc ſtercora nominantur, quia citò marceſcunt. *A verbis viri peccatoris, ne timueritis, quia gloria ejus ſtercus & vermis. Hodie extollitur, & cras non invenietur.* Primi generis comparantur ſtercori jumentorum, quia jumenta ſunt animalia vilia, quales etiam ſunt libidinoſi. Secundi verò comparantur ſtercori boum, quia boves tardipedes ſunt, uti ſunt avari, qui quantò magìs terrenis divitiis inhiant, tantò tardiùs ad cœleſtia gradiuntur. Tertii autem comparantur ſtercori verminato, talis enim gloria ambitioſorum eſt, ut brevi marceſcat. *Nomen impiorum putreſcet.* Prov. 10. 7. Sunt ex Patribus, qui per *ſtercora* intelligunt animalium viſcera & immunda inteſtina, quæ dum eviſcerantur, mittuntur ante canes, ſicque adumbrant quoſdam Chriſtianos, qui aſpirare poſſent ad bona

Joël 1. 17.
Eccl. 22. 2.
1.Mach. 2.62.
Prov. 10. 7.

cœleſtia, & tamen canum inſtar circa macellum contentione magnâ decertant, meliùs dixero, latrant, ut de putrida illa fæce plus ſibi acquirant. Per *ſtercora* alii intelligunt ſterquilinium, quod omnes collocatum deſiderant in loco abjectiſſimo domûs ſuæ, ſtultũ ſimul & impudentẽ reputantes eum, qui practicaret oppoſitum. Et tamen, proh dolor! ſunt Chriſtiani, Catholici, Religioſi, qui vocationis ſuæ & omnis honeſtatis obliti, contendunt illud habere in corde, de quibus lamentans Propheta cum fletu teſtatur: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Thren. 4. 5. Et utinam, Captive, de eorum numero non ſis, qui ſi de liberatione tua ſecurus eſſe velis, arbitraberis propter Chriſtum ea impoſterùm detrimenta, quæ tibi hactenus lucra fuêre, arbitraberis ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifacias. Et ſic mundus erit crucifixus tibi, & tu mundo, ſicque pertranſibis primam & ſecundam cuſtodiam, & ſalvaberis de manu Herodis, de quo Salvator ipſe.

Quæ peſſimè à Chriſtianis & Religioſis amantur.

Thren. 4. 5.

XI. Matth. 7. 14 duas ſolummodò vias aſſignans, quæ ducunt ad alterũ mundum, ait: *Lata porta & ſpatioſa via, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam!* In hæc verba exclamat Auguſtinus: *Audiat ergò qui ſapit, & qui ſeriò animam ſuam ſalvare ſatagit: Hac eſt vox æterna ſapientiæ, contendite intrare.* Prima via, eſt via laxa, mundana, jucunda. Secunda eſt via rigoroſa, pœnitentialis, mortificata, *Arcta* dicta, quia arctat cupiditates.

Matth. 7. 14.
S. Auguſtinus
Cùm meliùs arctam viã inirent.

tates, inquit, idem Auguſtinus: Da mihi, ſi potes, alteram mediam, quæ nec bona ſit, nec mala. Certè ſi illam des, quæ ducitur in luſu, comediis, viſitationibus benè multis, & in ſuperfluis recreationibus, quæ à mundo tantùm dicuntur recreationes honeſtæ ſub prætextu, quod in illis nemini fiat injuria: vereri potes, ne de te tibique ſimilibus dictum ſit à Proph. Job 21. 12. *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad*
Job 21. 12. *ſonitum organi: ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Non enim anſeribus dixit Mi-
Mich. 2. 1. chæas cap. 2. *Væ qui cogitatis inutile.* Neque ſine ratione Ezechiel inter iniquitates Sodomæ repoſuit etiam otium, ſuperbiam, ſaturitatem panis & abundantiam. Ipſe quòque Salvator in Evangelio proteſtatur: *Dico autem vobis, quoniā omne verbum otioſum,*
Matth. 12. 36. *quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii* Et Secretarius ejus Matth. 12. 36. addit infelicem caſum ſervi inutilis, ob otium & dies bonos, quos duxit, in tenebras exteriores miſſi, ubi erit fletus & ſtridor dentium. Si ergò ſapis, & ſeriò animam tuam ſalvare vis, tranſi, tranſi citò hanc primam & ſecundam ſatanæ cuſtodiam, & contende ad portam ferream: contende, inquam, intrare in civitatem Dei per arctam viam, quæ carnis & mundi cupiditates coarctet, & facillimè tunc omnes alios inferni milites pertranſibis.

XII. Nôſti indubiè quinam illi alii milites ſint, qui non ſolùm Petri exitum ad civitatem, ſed multò magìs iter noſtrum ad ſupernam Jeruſalem impediant; jam enim in anteceſſū quatuor iſtos quaterniones militum expoſui, qui carcerem cuſtodiebant, & aliud nihil ſunt; quàm undecim paſſiones animæ, & quinque peſſima illa vitia, ſuperbia, luxuria, invidia, gula, acedia, de quibus Paulus teſtatur.

XIII. Galat. 5. *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Attende ad omnia, & ne vel unum prætereas: non dicit ſolam carnem crucifixerunt, ſed carnem cum vitiis & concupiſcentiis, carnem cum reliquo toto: idque quia parum prodeſſet mortificatio exterior, ſi non comitaretur interior: illa enim non ſervit, niſi in ordine ad hanc. Quid juvat occaſionem externam febris tollere, ſi ſimul non tollatur ipſa in venis jam radicata? Simul ergò cum carne & mundo crucifigenda ſunt vitia & concupiſcentiæ; vitia illa peccata ſunt, concupiſcentię ſunt paſſiones, ſi impetas aut mortifices ſola peccata, nihil facis, etiam paſſiones ſunt crucifigendæ, quamquam tamen primùm peccata. Adverte interim quod in ſua Epiſtola non dicat Apoſtolus: *Cum peccatis & concupiſcentiis, ſed cum vitiis.* Peccata, ſunt peccata actualia, *vitia* habitualia. Difficilè eſt exercitio mortificationis eò venire, ut nullum peccatum actuale committatur quantumcùmque parvum, ſecus autem, ut non remaneat aliquod vitium. Ergò vitia ſunt ſingulariter crucifigenda, ſive parva ſint, ſive magna, & quidem ſic, ut moriantur in cruce. Neque multùm in hac parte laborabit is, qui eiſdem contraire, eaque mortificare, &

Galat. 5. 24. *Sicut illi faciunt, qui Chriſti ſunt.*

Et mundum crucifigunt cum vitiis.

Et quidem ſine difficultate propter uſum.

bellum adverſùs ea gerere aſſuetus eſt.

XIV. 1. Reg. 17. Contra Goliath in arenam deſcenſurus, audaci animo ad conflictum ſe offert David: *Nunc vadam*, inquiens, *& auferam opprobrium populi*. Opponit ſe Saül, nimium, inquit, fili de te præſumis: *Non vales reſiſtere Philiſtæo iſti, nec pugnare: quia puer es, hic autem vir bellator ab adoleſcentia ſua*. Ille veteranus miles eſt, tu vix prima Martis ſalutâſti limina: ille regendis armis aſſuetus, tu pecoribus paſcendis: ille rotare ferrum manu doctus, tu ſcipionem aut virgam baculumve paſtoralem: ille peracutâ armatus lanceâ, validoque cinctus enſe, tu petrâ & fundâ: Quid ergò cum eo congredi audes? Fortis ſanè objectio, ſed quàm benè à Davide ſoluta! ſi ille bellis aſſuetus, & ego, inquit, nec bellis tantùm, ſed & victoriis: etenim dum oves paſcebam: *Leonem & urſum interfeci; erit & Philiſtæus hic incircumciſus, quaſi unus ex illis*. Ac ſi diceret, quid mihi, Rex, objicis? Non ſunt primæ vices, quibus ad certamen procedã, qui jam ad beſtias immaniſſimas pugnavi ſæpiùs, & urſis ac leonibus proſtrandis & interficiendis à juventute, & quidem ſine pavore ullo deditus ſum; Corruet igitur, & per me corruet imbelle hoc monſtrum, ſi quidem ex frequentatis concertationum actibus non parvus etiamnum habitus in me relictus eſt, ratione cujus meritò præſumam talia. Rabanus à Gloſſa citatus pulcherrimam allegoriam hîc expendit. Quid per Philiſtæum, niſi diabolus intelligitur? hunc vincere cupis, qui te ſæpè in carcerem miſit? Bellandi uſus neceſſarius eſt: porrò ſi petas à me cum quo bellandum? Cum feris, cum urſis & leonibus, cum paſſionibus tuis, inquam, beſtialibus, et ſi his conflictibus aſſuetus es, ſpera victoriam; Quid dico: ſpera? ſpondeo victoriam: & pertranſibis primam & ſecundam cuſtodiam, & *Conculcabis leonem & draconem*, & gloriâ donaberis ſempiternâ, ac triumphabundus de carcere ad Deum & cœlum tranſibis. Pone tibi ob oculos cum Euſebio Emiſſ. ſcalam Jacob.

1. Reg. 17. 33.

Vt probatur in David.

Vers 34.

Rabanus.

Pſalm. 90. 13.

XV. Gen. 28. Videt in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: *Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ*. Dum hos Angelos aſcendentes intueor, hîc ſiſto, & loquentem audio Euſebium: *Angeli aſcendendo gradus calcant, & calcando ad Deum perveniunt: Aſcendamus*, inquit, *& per ipſarum adminicula paſſionum; quomodò autem poſt eam per paſſiones noſtras poſſimus aſcendere, ſi requiras: hoc utique modo, ſi unusquiſque noſtrûm ſubdere eas ſibi ſtudeat, & eminentiâ dominantis animi ſuper eas ſtare conſueſcat, ex ipſis ſibi gradum conſtruat, quo ad ſuperiora aſcendat*. Ita ille, ſubditque: *Sublimabunt nos, ſi fuerint infrà nos, de noſtris etiam vitiis ſcalam nobis facimus, ſi vitia ipſa calcamus. Talem ſibi David feceras, qui aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in loco lacrymarum*. Diſpones & tu, ſi paſſiones calcaveris, *& eminentiâ dominantis animi ſuper eas ſtare conſueſcas*, ex ipſis tibi gradum conſtrues, quo ad ſuperiora aſcendas, cave tamen ut vel uni ex ſede-

Gen 28. 13.

Euſeb. Emiſſ.

Qui aſcenſiones in corde ſuo contra vitia & paſſiones diſpoſuerat.

ſedecim militibus parcas, ne alioquin eumdem tibi luſum ludant, quem Amalecites Saüli.

XVI. 1. Reg. 15. 3. Ex parte Dei mandat Saüli Samuel: *Vade &*
[1. Reg. 15. 3.] *percute Amalec & demollire univerſa ejus*, nec parcas ei, ſed interfice à viro uſque ad mulierem & parvu-
[*Ne uni quidem parcēs.*] lum atque lactantem, in pœnam illi debitam, quia reſtitit Iſraëli in via, cùm aſcenderet de Ægypto: at ille congregato exercitu, deletoque Amalec, pepercit Agag. Hinc Deus offenſus, per Samuelem illi intimat: *Pro eo quod abjeciſti ſermonẽ Do-*
[Verſ. 23.] *mini, abjecit te Dominus ne ſis Rex ſuper Iſraël*: & factum eſt, ut, perſequente Saülem Philiſtiim, Amalecites nuntians Davidi mortem Saülis, narraret hoc modo: *Caſu*
[2. Reg. 1. 6.] *veni in montem Gelboë, & Saül incumbebat ſuper haſtam ſuam, videnſque me vocavit, dixitque mihi, quisnam es tu? & ajo ad eum: Amalecites ego ſum, & locutus eſt mihi; ſta ſuper me & interfice me, ſtanſque ſuper eum, occidi illum.* Itane? ergò ab Amalecita occiſus eſt Saül, quem ipſe occidere juſſus fuerat, & in vivis reliquerat? Sic eſt. Vide ergò, Captive, ſi amas vitam & liberationem tuam, ut non ſolùm primam & ſecundam cuſtodiam pertranſeas, ac carnem & mundum crucifigas, ſed cum illis etiam crucifige vitia & concupiſcentias, & omnes quatuor quaterniones militum, nulli eorum parcens, ne alioquin ille unus unicus cum tempore interficiat te. Imitare, ſi ſapis, Davidem. Hic pſalm. 17. proteſtatur: *Perſequar ini-* [Pſal. 17. 38.]
micos meos, & non convertar donec deficiant. Proſequar & perſequar paſſiones meas, & vitia, veros inimicos meos, à primo uſque ad ultimum, & non habebo requiem donec plenè devicerim, *Non convertar donec deficiant. Fac hoc & vives.*

FERIA

FERIA III. DOMINICÆ IV. ADVENTUS

De Captivitate Petri.

Venerunt ad portam Ferream, quæ ultrò aperta eſt eis.
Act. 12. 10.

I. UT Petrus de carcere liberandus, pertranſeat primam & ſecundam cuſtodiam, & quatuor quaterniones militum, non multùm angor, cùm Angelum (cujus operâ ceciderunt catenæ de manibus ejus) habeat comitem & liberatorem, qui fortitudinem brachii ſui perſpectam reliquit in caſtris Sennacherib. Causâ tui magis angor, Captive, propter duos laterales milites, & alios quatuor quaterniones, quibus traditus fuiſti ad cuſtodiendum: Licèt enim per confeſſionem ceciderint catenæ de manibus tuis, & proximè ſis de carcere educendus, ut heri dixi, tamen, niſi primam & ſecundam cuſtodiam pertransieris, aliiſque ſedecim militibus continuum bellum indixeris, facilè iterum ad eumdem reduceris. Unde ſi benè, Deo ob liberationem tuam hymnum velis concinere, ſic concine, ut ſimul habeas tympanum in manu tua; tunc enim dignè, tunc ſtabiliter canes, ſi carnem tuam crucifixeris cum vitiis & concupiſcentiis. Et quidni carnem, etiam de carcere liberatus, continuò crucifigas? ſi David cujus diſrupta erant vincula, inſtantiſſimè & inceſſanter oret Deum: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* Si ille, inquam, oret pro continua carnis ſuæ crucifixione ob bellum ſuum inteſtinum, ſibique timeat ab inſcrutabilibus judiciis Dei, ne ſenſualitas ſibi denuò improviſum moveat aſſultum, cui non valeat reſiſtere, & ſic occultiſſimo Dei judicio, ſibi relictus, ruat in ruinam: quidni orabis & tu? ſi Paulus inter tot Apoſtolica facinora caſtiget corpus ſuum, & in ſervitutem redigat, idque quia videbat aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, & captivantem ſe in lege peccati: Quare non caſtigares & tu? Quid faciet agnus, ubi aries timet & tremit? Si ergò ſapis, vide ſic corpus in ſervitutem redigas, ut ne vel ad horam aut diem dominetur caro ſpiritui, ne alioquin eumdem tibi ludum ludat, quem Nino Semiramis; Vide inquam, ne ceſſes à crucifixione ejus, & non tantùm ejus, ſed & alterius militis, ſcilicet mundi, ut cum Apoſtolo tandem verè dicere poſſis: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Sic commodè pertranſibis primam & ſecundam cuſtodiam, imò & quatuor quaterniones militum, maximè

Qui carnē mundumq; cum vitiis crucifigit, tutus erit à recidiva.

maximè ſi non perfunctoriè & tranſitoriè illis bellum indicas. Sed aſſiduè contra eos lucteris, & cum Davide reſolvas: *Perſequar inimicos meos, & non convertar donec deficiant.* Plus dico: ſic porta ferrea per Dei gratiam tibi ultrò aperietur. Quod ut fiat hodie rogemus Matrem gratiæ ut illud à filio impetret, & dicamus ei. *Ave Maria.*

Maximè ſi in illo continuet.

II. Laus Deo: Petrus ergò tandem erupit, evaſitque prima & maxima pericula, cuſtodias duas & quatuor quaterniones militum, quibus traditus erat ad cuſtodiendum: ſed interim necdum ſalva ſunt omnia. Prout ſcitis, totâ nocte ſternutaverat in carcere, & ideò cùm ab Angelo excitatus, deberet ſurgere velociter, ipſe neſcius quia verum eſt quod fiebat per Angelum, exiſtimabat ſe viſum videre; quaſi ſibi loquens: Ubi ſum? an adhuc in carcere? ſumne extra? num dormio? num ſomnio? ubi catenæ, quibus vinctus fui? ubi aſſidentes milites? ubi quatuor quaterniones, qui cuſtodiebant me? ubi cuſtodes, qui cuſtodiebant carcerem? Tandem ad ſe reverſus, videbat quod Angelo comite pertranſiiſſet primam & ſecundam cuſtodiam, quatuor quaterniones, cæteroſque cuſtodes, & ſic tandem: *Venerunt ad portam ferream.* Hic labor, hic dolor; Sed ecce, dum Petrus rem quaſi deſperatam habet, porta ferrea *Ultrò aperta eſt eis:* Captive, ſpero & te per Angelum eductum de carcere tuo, & primam & ſecundam cuſtodiam pertranſiiſſe cæteroſque milites, qui tuam vigilabant in ruinam: unica modò tibi reſtat difficultas, ut ſicut anteà vitiis & concupiſcentiis indulſiſti, ita impoſterùm virtutes amplectaris, totumque te tradas Deo. Quid horres? quid tibi remoram injicit? An & tu de numero illorum es, qui dum opera virtuoſa ſunt exercenda, ad portam ferream venire ſe exiſtimant? Noli, quæſo, noli ultrà difficultatem fingere in præcepto, ſed virtuti manum admove, promitto obtinget tibi, quod Petro, qui dum cum Angelo venit ad portam ferream, illam ſibi ultrò apertam invenit: *Quæ ultrò aperta eſt eis.* Si verò petas, quo id fiet modo? illum pandit Card. Ugo, dicens: *Facilè aperitur per gratiam.* Hoc hodie, Captive, tibi oſtendo. Vos autem quotquot hîc eſtis, attendite, quia & res veſtra agitur: Deo auſpice incipio.

Nec hic labor tam durus reputari debet, porta enim licèt ferrea ultrò aperitur per gratiam.

III. Num. 13. Egreſſis de Ægyptiaca ſervitute, & jam jam ingreſſuris terram promiſſionis filiis Iſraël, ex parte Dei mittit Moyſes viros, qui conſiderent terram Chanaan, qualis ſit, & quis populus ejus, utrum fortis ſit, an infirmus, ipſa terra bona, an mala, urbes quales, muratæ, an apertæ, humus pinguis, an ſterilis: factâ exploratione, reverſi ad Moyſen & Aaron, & ad omnem cœtum filiorum Iſraël, detraxerunt terræ, quam inſpexerant, dicentes: *Nequaquam ad hunc populum poſſumus aſcendere, quia fortior nobis eſt; terra, quam luſtravimus, devorat habitatores ſuos, & populus, quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt: Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur.* Hinc tanta in

Tantùm ſunt puſillanimitas & pavor, qui duritiam apprehendere faciunt.

Num. 13. 32.

Ee populo

populo contra Moyſen & Aaron murmuratio exorta eſt, ut vociferantes dixerint: *Meliùs eſt reverti in Ægyptum.* Quærit Abul. Quæſt. 53. An Palæſtina & habitatores ejus fuerint tales, quales depinguntur? non ſanè, inquit, ſed erat terra Chanaan pinguis, fluens lacte & melle, ut habetur. Exod. 3. & 4. cap. Neque habitatores ejus tam proceræ erant ſtaturæ, neque majores Hebræis, Ægyptiis, aut vicinis aliis populis, ſed quia Hebræi terræ promiſſionis malè fuerant addicti, amore proprio ineſcatos pavor exanimavit: *Timentibus enim omnia videntur majora & pejora quàm ſint, quia exploratores cœperant timere Chananæos propter aliqua, quæ viderant & æſtimaverant, videbatur jam populus eſſe proceræ ſtaturæ, licèt in veritate non eſſet.* Formido terræ glebas, & colles minimos editiſſima montium juga, res humiles altiſſimas, debiles & infirmos robuſtiſſimos ſibi imaginatur: falſa æſtimatio Chananæis tantum attribuebat robur, quaſi animatarum inſtar turrium eſſent. Porrò quod de Ægypto egreſſis Hebræis exploratores, hoc perſuadere nititur diabolus iis, qui per pœnitentiam de carcere ejus educti, terram promiſſionis ingreſſuri, virtutibus piiſque exercitiis dare ſe volunt: tantum ab his horrorem eis incutit, ut ad portam ferreã venire videantur, & qui tempore captivitatis nec nocturnas aëris inclementias, nec frigus, nec calorem, nec pluvias, nec gelu curabant, qui ſæpè dias inpranſi noctes ludendo comburebant, qui nec enſes formidabant nec bombardas, his libertati donatis, ſi jejunium injungatur, aut noctu oratorium adire, aut manè divinarum laudum exſolvere penſum, ſacrâ ſe reficere Synaxi, feſtis diebus Eccleſias petere, veſperis ſacriſque concionibus intereſſe, adeò infracta illa cæteroquin pectora, ad iſta expaveſcunt quaſi ad portam ferream ſtarent. Quæro nunc an virtutes ſint tales, quales ipſis eæ à diabolo depinguntur? Quaſi verò. Fateor utcumq; difficilè eſt virtutis culmen aſcendere, ſed fructus ejus deinde dulciſſimus eſt. Dura naturæ ſunt ejus principia, ſed eò ſuavior, eò delectabilior finis; adeòq; revera porta iſta ad virtutem, quæ videtur ferrea, talis non eſt. Præſertim cùm *Facile aperiatur per gratiam Dei?* Facile? quis dubitat.

Num. 14. 4. Vt patuit in filiis Iſraël egreſſis de Ægypto. Abul.

IV. 1. Reg. 17. 50. Philiſthæis contra Iſraëlem ad pugnam congregatis, Goliath gigas confidens in armis & fortitudine, exprobrabat agminibus Iſraël, date mihi virum, & ineat mecum ſingulare certamen: ſi quiverit pugnare mecum & percuſſerit me, erimus vobis ſervi, ſi autem ego prævaluero & percuſſero eum, vos ſervi eritis, & ſervietis nobis. Iſraëlitæ ut virum viderunt, fugerunt à facie ejus, timentes eum valdè. Quidni timerent? erat enim altitudinis ſex cubitorum & palmi, & caſſis ærea ſuper caput ejus, loricâ ſquamatâ indutus, cujus pondus quinque millia ſiclorum æris erat: ocreas æreas habens in cruribus: clypeus æreus tegebat humeros, haſtile haſtæ ejus quaſi liciatorium texentium, ferrum haſtæ habens ſexcentos ſiclos ferri. Et tamen *Prævaluit David adverſus*

Item dum Goliath inſultaret caſtris Saulis, & miſſo pavore à Davide proſtratus eſt.

1. Reg. 17. 50.

adverſus Philiſthæum in funda & lapide ; percuſſumque Philiſthæum interfecit: Quis crederet ? trepidantibus & fugientibus cunctis à monte illo carneo, puer inermis, poſt oves abiens interficit eum ; præciditque caput ejus: ex toto Iſraële nullus audet congredi cum eo, & puer unus, Deo armatus in terram dejecit & fecit victoriam. Quid Iſraëlem ita exanimavit ? pandit myſterium D. Baſilius Seleucins Orat. 15. *Terror ipſe vires refrenabat, ante mente quàm corpore viri conſternabantur.* Loquere quibuſdam de pœnitentia facienda, videris filiis Iſraël de Goliath loqui, ut de pœnitentia vel audiunt, fermè deliquium patiuntur, quidquid intuentur ipſis metallum, æs, & ferrum apparet; loquere de mortificatione, de ſolitudine, ſilentio, de operibus humilitatis, abnegatione ſui, nimis dura, inquiunt, ſunt iſta, in vita mea non poſſem facere talia, concidit cor meum ſolo cogitatu, *Terror ipſe vires refrenat, ante mente quàm corpore conſternuntur:* Dedunt ſe antequam victi, & fugiunt antequam ſint profligati. N. Goliath non eſt tam formidabilis quàm putas: verum eſt, à capite ad calcem eſt cataphractus, ſed David penetrat galeam, brachium Domini, quod fundæ Davidis virtutem dedit, perfringit ferrum: licèt ferrum ſit lapide durius, à lapide tamen Deo coagente perrumpitur. Verum eſt, ſi voluptates tuas in omnibus ſequi ſis ſolitus, durum eſt pœnitentiam agere, & virtutibus inſudare, ſed gratia Dei facilè perfringet; expetire tantùm, non tam durum videbitur quàm putes. *Porta ferrea facilè aperitur per gratiam.* Quorſum ergò ille pavor ? Quorſum illa virtutis exhorreſcentia & timor ? ſaltem ne confundi vos ſinatis ab imbellibus mulierculis.

S. Baſilius.

V. Marc. 16. 3. Chriſto mortuo & ſepulto, Maria Magdalenæ, Maria Jacobi & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum. Unâ Sabbathorum valdè manè vadunt ad monumentum: in via gravis illis oboritur difficultas, quid facimus, inquiunt: *Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* Erit nobis mulierculis impoſſibile, non enim nobis tantæ ſunt vires, ut tam grandem lapidem revolvamus. Quid factum ? an ob prætenſam impoſſibilitatem reverſas putatis ? quaſi verò: perrexerunt & abſolverunt vias ſuas: *Et reſpicientes viderunt revolutum lapidem.* Et ecce quod videbatur ipſis impoſſibile, per Angelum factum eſt non ſolùm poſſibile, ſed in conſolationem illarum facillimum. *Invenerunt enim revolutum lapidem*, ne vel uno adhibito digito. Nec eſt, quod hîc objiciat aliquis, iſtud ab Angelo factum eſſe, ut ſic evidentiùs probaretur Chriſtus reſuſcitatus: quia ſiſtendo in ratione, debuiſſet potiùs ſepulchrum manſiſſe clauſum; partim, ex eo quod Chriſtus reſurgens non revolverit lapidem, ſed ſubtilitate corporis ſui glorioſi lapidem illæſum penetraverit, ſicut januis clauſis intravit cœnaculum, partim ne Principes Judæorum ſuſpectam habuiſſent Dominicam reſurrectionem (ſicut habuerunt poſteà) dicentes: *Diſcipuli ejus noctu venerunt, & furati*

Marc 16. 3.
Sic etiã mulieres reſolutè pergentes ad monumentum, invenerunt revolutum lapidem.

Marc. 16. 4.

Marc. 28 19.

furati ſunt eum, nobis dormientibus; quod dicere non potuiſſent, ſi ſepulchrum manſiſſet clauſum ſaxo magno, quod Joſeph ab Arimathæa advolverat ad oſtium monumenti; & ſigillatum reliquerat ſigillo, quo ipſi munierant lapidem. Sed cur voluit Chriſtus revolvi lapidem à monumento? Ut conſolaretur SS. mulieres, quæ ob hanc difficultatem anxiæ, venerant ad monumentum, dicentes: *Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* Et ideò notat Vict. Antioch. tunc necdum fuiſſe revolutum lapidem, ſed quod deſcenderit poſteà de cœlo Angelus, ut operâ illius mediante apertum invenirent monumentum. Do verba ejus: *Dum mulieres anxiè inter ſe diſquirunt & diſſerunt, & quis revolvet lapidem ab oſtio monumenti dicunt, illo, tunc temporis, necdum devoluto, Angelus de cœlo deſcendit, ſaxumque à monumento ſubmovit, atque ita reſpicientes lapidem, ex inſperato revolutum viderunt.* Ut tu hinc diſcas, Captive, & tecum omnes, qui in exercitio virtutum quaſi intollerabilem apprehendunt difficultatem, manum operi adhibere, & confidere quod tunc Deus gratiâ ſuâ ſupplebit totum id, quod apprehenſioni videbatur impoſſibile, etiam (ſi neceſſarium foret) mittendo Angelum in eorum adjutorium.

Marc. 16. 3.

Vict. Antioch.

Exod. 4. 2.

VI. Exodi 4. 2. Moyſes à Deo ad Pharaonem mittendus ſtabat in deſerto Madian, habens in manu bacillum, in quo regebat gregem. Interrogat eum Dominus: *Quid eſt, quod tenes in manu tua?* Virgam, inquit, quâ gregem rego, & cui ipſe innitor. Ait ei Dominus: *Projice eam in terram. Et projecit.* Res mira! vix terram tetigerat: *Verſa eſt in colubrum*, à quo abhorruit *Ita, ut fugeret Moyſes:* Quid times Moyſes? an neſcis eſſe Virgam tuam paſtoralem? cur ergò fugis? *Dixitque Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus*, & vertetur illicò in virgam. *Extendit & tenuit, verſaque eſt in virgam.* Relicto ſenſu litterali, tranſeo cum Oleaſtro ad myſticum. Virga juſtitiæ, virtutis ac pœnitentiæ Symbolum eſt. Hæc virga paſtoralis, quâ homo alios regit, & cui ipſe innititur; dum quis illam poſſidet, in manu tenet, & exercet, non formidabilis, ſed ſuavis eſt: ſed ſi abjiciat à ſe in terram, & oculo terreno aſpiciat, fit ſerpens formidabilis, ita ut fugiat ab eo: quia, inquit Oleaſter, *Juſtitia in conſideratione hominis terreni videtur ſerpens.* Et ideò fugiunt injuſti ab eâ: quia operibus virtuoſis nolunt manum apponere. *Timent enim injuſti opera facere juſtitiæ acſi ſerpens eſſet.* Sed ſi apprehendant illa, tunc experiuntur, virtutem & pœnitentiam nec horrorem, nec timorem afferre, ſed ſuavitatem, dulcedinē, & ut dicit idem, *Quod virga in manu, ſeu in opere levis & mitis ſit.* Captive, cur ita horres Pœnitentiam? cur tibi adeò formidabilis eſt, ut fugias ab ea velut à ſerpente? *Extende manum tuam & apprehende eam.* Promitto in manu tua ſeu in opere virga levis & mitis erit. Et quæ tibi porta ferrea videbatur, facile aperietur per gratiam, eritque tibi & tuis ſolatio.

Exod. 4. 3. *Et Moyſes horrore ſuperato ſic ſerpentem in Virgam verſam aſpexit.*

Verſ. 4.

Oleaſter.

VII. Tobiæ 6. verſ. 3. Tobias Tobiæ 6. 3.

junior.

Et Tobias Belluam ſic evaſit. junior Angelo comite pervenit ad fluvium Tigrim pedes loturus, & ecce immanis piſcis ex undis emergit, quaſi Tobiam invaſurus. Hic timore perterritus Angeli implorat opem: *Invadit*, inquiens, *me*, cui comes: *Apprehende branchiam ejus, & trahe eum ad te*; fecit ut juſſit; mox Angelus: *Tunc piſcem exentera, & cor ejus & fel & jecur repone tibi, quod cùm feciſſet aſſavit carnes ejus, & ſecum tulerunt in via.* Hugone interprete, habes hìc, Captive, veræ pœnitentiæ & virtutis typum. *Aſſavit*, inquit, *igne tribulationis, vel igne Spiritûs ſancti, carnes, id eſt, carnales homines, qui de membris diaboli facti ſunt membra Chriſti*; De te loquitur & concaptivis tuis, qui pœnitentiæ & virtutis aſperitatem meticuloſè fugiunt, eaſque perterriti adoriri renuunt, dicentes nimis aſperas, arduas & laborioſas eſſe; ſed falluntur unà tecum; nam pœnitentia aut virtus alia quæcumque, non eſt tam immanis bellua, quàm tua illam tibi ignavia dépingit. Econtra ſuis cultoribus verè facilis & ſalutifera eſt: & idipſum deprehendes & tu, ſi non ultrà pigeat eam amplecti, poſtquàm jam *Liberatus à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei* per bonam confeſſionem aſſertus es, & ab Angelo, Sacerdote inquam (qui apud Malachiam Angelus audit) è carcere eductus. Experti id ſunt ſancti Dei omnes, qui ſi modò in hac cathedra veritatem compellerentur eloqui, fateri deberent, Quia mandata ejus gravia non ſunt, quorum viam, Spiritu ſancto agente, ita leviter, ita agiliter David cucurrit, ut admirabundus de illo devotiſſimus Thomas à Kempis teſtificari non omiſerit, quod *Facilè is equitet, quem divina gratia portat*: Et quidem in tantùm, ut nullum repagulum, nullum obſtaculum à cœpto ipſum itinere queat impedire. *Venerunt ad portam ferream, quæ ultrò aperta eſt eis.* Necdum mihi credis?

Margin notes: Tobiæ 6. 3. — Verſ. 6. — Ugo Card. — *Nec mirum, quia gratia Dei dulcifi-cat omnia.* — Thomas à Kempis.

VIII. 4. Reg. 4. 40. Cùm fames magna eſſet in terra, & filii Prophetarum habitarent coram Eliſeo, dicit uni de pueris: pone ollam grandem & coque pulmentum filiis Prophetarum; His auditis, egreſſus puer in agrum, ut colligeret herbas agreſtes, collegit colocynthidas agri, reverſuſque conſcidit in ollam pulmenti, neſcius quid eſſet: cùm autem comederent ex eo, clamaverunt illi ad Eliſeum dicentes: *Mors in olla vir Dei.* At ille, *Afferte*, inquit, *farinam*; quam cùm miſiſſet in ollam, *Non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla*: Mellifluus Bernardus te tibique ſimiles alloquitur eo ſpiritu, quo quondam militiæ ſpiritualis tyrones ſuos: fecerat illis non ſemel ſermonem de olla iſta Prophetica, his verbis eos animans: *Olla illa Prophetica, olla veſtra eſt, nihil in ſe niſi amaritudinem habens; farina verò amaritudinem in dulcedinem vertens, eſt gratia Dei operatrix in nobis*: Quaſi diceret, filioli mei, abſque farina amariſſima eſt ſervitus Dei, at farinâ conſperſa fit dulciſſima: & quæ farina iſta, niſi gratia Dei, gratia omnem amaritudinem dulcificans, omne onus allevians,

Margin notes: 4. Reg. 4. 40. — *Ut patuit figurativè in farina ollam Prophetarū dulcificante.* — S. Bernardus

vians, omnem duritiem emolliens? *Non ego ſed gratia Dei mecum. Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Teſtem habes feliciſſimam martyrem Felicitatem.

1. Cor. 15. 10.

IX. Felicitas non illa, quæ ſepties martyr, antequam martyr, ſed Tuburienſis in Mauritania, de qua Baronius ad annum 205. pro fide incarcerabatur prægnans. Parturiens dolens atque vociferans audiebatur foris, cui quidam graviter inſultans, ajebat: *Quomodo cras libens mortem ſuſcipies, quæ pariens adeò perturbaris?* cui illa: *Naturæ debitas pœnas naturali tantùm virtute perſolvo, ſupplicia autem, quæ ſubminiſtrat impietas, Divina gratia ſuperabit.* Quaſi diceret, cedit modò naturæ debilitas, & natura tormentis, at gratiâ Divinâ adjuta non cedet ſuppliciis, quæ tyranni impietas ſubminiſtrabit: O Amazonam verè Chriſtianam! ô certè Magni Auguſtini dignam elogio! *Felicitas*, inquit, *& parturiebat & dolebat; objecta beſtiis gaudebat potiùs quàm timebat.* Ab hac diſce, Captive, unde tempore captivitatis tuæ tanta ſis paſſus, quando diaboli *Obſtetricante manu eductus eſt tortuoſus coluber*: nempè à natura non ſpecialiter roborata per gratiam, & tunc quidem peccato debitas pœnas perſolvebas, quia ſupplicia, quæ tunc ſubibas, Dei ſubminiſtrabat juſtitia. Sed ſi modò devictis militibus & paſſionibus tuis, totum te Deo dederis, inſiſtendo exercitio virtutum, promitto aliter ſuccedet, & *Divina gratia ſuperabit* difficultates & pœnas, quas in exercitio virtutum apprehendis: Hoc fortè videbitur tibi impoſſibile: at melleus Bernardus Serm. 2. de Pentec. tribus verbis tibi ſatisfaciet: *Quod*, inquit, *per naturam eſt impoſſibile, per gratiam Dei non ſolùm poſſibile, ſed & facile ſit.* Hoc neſcis modò, ſcies autem poſteà. In ſtatu peccati, aut durante captivitate non poteras ferre rectum judicium de iis, quæ facere poteſt juſtus in gratia.

Baronius.

Et hac eſt differentia inter naturam, & gratiam, quod hæc facilè grandia operetur & perferat, non illa.

S. Auguſtinus.

S. Bernardus.

X. Memineris adhuc indubiè verborum Chriſti Joan. 13. 36. *Filioli*, inquit, *adhuc modicum vobiſcum ſum.* Dicit ei Simon Petrus, *Domine quo vadis?* cui Jeſus: *Quo ego vado non potes me ſequi modò, ſequeris autem poſteà.* At ille, Quare non poſſum te ſequi modò? Quare? quia imbelus etiamnum ac debilis, & ideò non potes me ſequi modò, quaſi diceret, inquit D. Auguſtinus: poſteà *Eris ſanus & ſequeris me*: alius certè rerum ſtatus erit, alia mens, aliud robur, quando in corde divinarum conſolationum torrentes inundabunt, quando non obſcurè, ut in præſentiarùm, verùm clarè mortalium bonorum caduca vanitas, & æternorum ſtabilis firmitas apprehendentur, quando dæmones tentationibus ſuis impetere te non audebunt, quando Divinæ mentes tutelâ ſuâ te fovebunt, quando cœlum totum in tui favorem ſe ſuperfundet, verbo, quando Deo ſervire tibi tam amœnum erit & facilè, ac ſi à natura tibi foret congenitum. Hæc in ſe expertus eſt (ſi ullus) Magnus Auguſtinus, qui ſuo in carcere ligatus non ferro alieno, ſed ferreâ voluntate, immenſa paſſus à duobus

Joan. 13. 36.

S. Auguſtinus.

Expertus id fuit Petrus, expertus Auguſtinus.

à duobus militibus ſuis tandem de ſe fatetur Lib. 8. Conf. Cap. 11. " Excruciabar accuſans memetipſum ſolito acerbius nimis, volvens „ & verſans me in vinculo meo: Do„nec abrumperetur totum, quo „ jam exiguò tenebar, ſed tenebar „ tamen: & inſtabas tu in occultis „ meis Domine ſeverâ miſericordiâ „ flagella ingeminans timoris & „ pudoris, ne rurſus ceſſarem, & „ non abrumperetur idipſum exi„guum, & tenue quod reman„ſerat, & revaleſceret iterum, & „ me robuſtius alligaret: dicebam „ enim apud me intus, ecce modò „ fiat, modò fiat: & cum verbo „ jam ibam in placitum, jam penè „ faciebam & non faciebam.... „ pluſque in me valebat inolitum „ quàm melius inſolitum, pun„ctumque ipſum temporis, quo „ aliud futurus eram, quantò pro„piùs admovebatur, tantò amplio„rem incutiebat horrorem.... re„tinebant me nugæ nugarum & „ vanitates vanitatum, antiquæ a„micæ meæ, & ſuccutiebant ve„ſtem meam carneam, & ſubmur„murabant: Dimittiſne nos? „ & à momento iſto non eri„mus tecum ultrà in æternum? & „ à momento iſto non tibi licebit „ hoc & illud ultrà in æternum?... „ Quas ſordes ſuggerebant? quæ „ dedecora?.... retardabant me „ cunctantem abripere & excutere „ ab eis, & tranſilire quò vocabar: „ cùm diceret mihi conſuetudo „ violenta: Putaſne ſine iſtis pote„ris?.... & erubeſcebam nimis, „ quia illarum murmur adhuc au„diebam, & cunctabundus pende„bam" ſubjungit Cap. 12. "Sentie„bam me ab eis teneri, & jacta„bam voces miſerabiles. Quamdiu, „ quamdiu cras & cras? Quare non „ modò finis turpitudinis meæ? „ dicebam hæc & flebam amariſſi„mâ contritione cordis mei: & „ ecce audio vocem: *Tolle lege*, „ *Tolle lege*..... Arripui codicem „ Apoſtoli, aperui & legi in ſilen„tio capitulum, quò primùm con„jecti ſunt oculi mei. Non in com„meſſationibus & ebrietatibus, non „ in contentione & æmulatione, „ ſed induite Dominum Jeſum „ Chriſtum, & carnis providen„tiam ne feceritis in concupiſcen„tiis. Nec ultrà volui legere, nec „ opus erat: ſtatim quippe cum fine „ hujuſce ſententiæ, quaſi luce ſe„curitatis infuſâ cordi meo, omnes „ dubietatis tenebræ diffugerunt: & „ clamare cœpi: Domine ego ſer„vus tuus & filius ancillæ tuæ: Di„rupiſti vincula mea, tibi ſacrifica„bo hoſtiam laudis.„ Hactenus Auguſtinus, qui tandem ſubjungit: *Quàm ſuave mihi ſubitò factum eſt carere ſuavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat: ejiciebas enim eas à me, vera tu & ſumma ſuavitas, ejiciebas & intrabas pro eis. Omni voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini: omni luce clarior, ſed omni ſecreto interior: omni honore ſublimior, ſed non ſublimibus in ſe.* Sicque Auguſtino multorum annorum captivo, porta ferrea ultrò aperta eſt, *quæ facilè aperitur per gratiam.* Cupis ſcire quàm facilè?

Qui omni voluptate dulciorem Chriſti ſervitutem aſſeruit, ſed non carni & ſanguini.

XI. Joan. 4. 6. Liberaturus mundi *Joan. 4. 6.*

di Salvator laſcivam Samaritanam de carcere, in quo vincta erat catenis duabus, venit ad puteum, qui ab Evangelico Benjamino fons dicitur. *Erat ibi fons Jacob. Jeſus ergò fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem.* Per id tempus, quo Salvator ibi ſedebat, magìs animæ liberandæ gratiâ, quàm aurę captandæ, vel quietis causâ, venit Samaritana haurire aquam. Tunc ille ſtatim occaſionem ipſam liberandi arripiens, petiit ab ea potum, quæ iſtud pietatis opus denegans delaſſato Domino, aiebat: *Neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt.* Puteus altus eſt: puteum vocat, qui à Chriſto non ſemel fons dictus eſt? *Erat autem ibi fons.* Si fons quomodò puteus? Non eſt modica differentia inter puteum & fontem: ex fonte proximè, & facile hauritur aqua: ex puteo, ſignanter alto, ſine vaſe & funis adminiculo extrahi nequit. Putei & fontis, nomina non diverſa ſolùm ſunt, ſed & adverſa. Fons frigidum ſuum theſaurum, & fugitivam cryſtallum ſic fundit, ut abſque ullo negotio accipi poſſit; puteus non item, ſæpè namque ſudare, & brachia cum labore contendere, oblongas ſudes curvaſque adhibere authlias neceſſe eſt. Si ergò ita res ſe habet, quomodò Joannes puteum fontem vocat, *Erat ibi fons*, & Samaritana fontem puteum altum? & *Puteus altus eſt*; ſi fons, quomodò puteus? Auguſtiſſimus Auguſtinus Serm. 92. in hæc verba commentans auguſtè de eo loquitur: *Puteus altus eſt. Ante adventum Domini & puteus altus erat, & ſine hauritorio*

Samaritanæ enim manet puteus altus qui Chriſtũ ſequentibus tantùm fons eſt.

S. Auguſtinus.

aquam ſibi unuſquiſque haurire non poterat, venit Dominus, fons vivus, ut Phariſæorum corda dilueret, ſitim extingueret, pectora ſatiaret, non querens hauritorium, ſed ultro ſe infundens mentibus ſingulorum, & addidit: omnis qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Ubi oſtendit ad oculum quomodò, & per quem puteus altus jam in fontem converſus eſt, & qualiter illas ſalutis aquas, quas ante Adventum Domini non niſi difficulter & ex alto perfectæ contritionis puteo haurire quis poterat, jam poſt Adventum ipſius haurire detur in gaudio de fontibus Salvatoris, Sacramentis, inquam, & practicis ſignis ſanctificantis gratiæ & ſalutis. Pulchrè etiam ad rem noſtram Berchorius Ebroicenſis, Lauretus, & Joannes de S. Geminiano in ſenſu myſtico per puteum, intelligunt virtutem & pœnitentiam, quæ hominibus mundanis alta apparet, ſed piis & devotioni aſſuefactis perfacilis eſt. Et ſic quod idem puteus & fons appellatur, tantumdem eſt, ac ſi diceretur, virtutem ei, qui Chriſtum imitari conſuevit, fontem eſſe, ex quo facilè hauritur aqua; at verò Samaritanæ ac captivis diaboli, hominibus carni & mundo deditis puteum profundum: caſtigationem enim corporis, cilicii geſtationem, abſtinentiam, vigilias, orationes, cæteraſque pœnales excruciationes fingunt horribiles eſſe & intollerabiles, ac portam ferream, quæ tamen ſequentibus Chriſtum *Facile aperitur per gratiam.*

In

In tui tuorumque confuſionem refert ſacer Chronographus Lucas mortalem agonem & ſudorem, quem pius mundi Reparator in horto Gethſemani paſſus eſt, ut vel inde ſaltem confundaris.

XII. Narrat ergò hic ſacer Chroniſta Luc. 22. 43. Tantâ copiâ tantâque vi ſanguinem ex corpore Chriſti erupiſſe, ut in terram cruor diffluxerit: quod cùm acci-

Lucæ 22. 43. diſſet: *Factus in agonia prolixiùs*

Agon ipſo Chriſtũ non confecit.

orabat. Quis non miretur Chriſtum in extrema vitæ neceſſitate poſitum, ſanguineum ſudorem fudiſſe? *Factus in agonia prolixiùs orabat.* Sed quomodò *Factus in agonia*? confectus agone potiùs dicere debuiſſet Evangeliſta: ſupremi enim cum morte proxima conflictus non faciunt, ſed conficiunt: anxietates illæ non erigunt, ſed proſternunt, acerbiſſimæque illæ pœnæ non confortant, ſed debilitant, & in deliquium adducunt: unde igitur adhuc Chriſtus factus in agonia dicitur, qui videtur magìs confectus debuiſſe dici? vis ſcire? Sic loquitur, ut te, Captive, doceret non horrere agones, pœnitentias, exercitia, mortificationes, quæ nec mactant, nec deglutiunt, nec in tumulum conjiciunt, nec mortem adferunt, ſed vitam, & ideò de Chriſto ait Lucas: *Factus in agonia*, non confectus; inter mortales ſudores valentior factus, non debilitatus, confirmatus non infirmatus. Inter mortales ſudores factus valentior? quis dubitat. Audi Salvatorem tuum tempore paſſionis ſuæ bis loquen-

Verſ. 42. tem: in horto dicit Patri: *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*: In Cruce jam jam moriturus dicit: *Sitio.* Cùm Chriſtus hîc loquitur, non tam de ſiti corporali agit, quàm ſpirituali, deſiderio ſcilicet plura pro nobis tormenta patiendi: Combina, ſi potes, *Tranſeat calix* cùm *Sitio.* Si petat ut tranſeat ab ipſo calix, quomodò ſitit calicem?

Sed deſideravit adhuc plura pati.

Mellifluus Bernardus hæc duo melius nobis combinabit de Paſſ. Domini: *Per calicem, quem bibiturus erat, procul dubio paſſionem ſignificat: Nunc autem eodem calice jam ebibito, dixit: Sitio.* Videns calicem, inhorreſcebat ob amaritudinem illius, illo ebibito, clamat *Sitio*; quaſi conquerens quod nihil ultrà reſtaret ad bibendum, & deſiderans ut impleretur denuò; quaſi diceret: *Calix meus inebrians, quàm præclarus eſt.* Voluit Chriſtus ut verus homo in ſe exprimere, quod virtus, ſeu pœnitentia, quæ in ſe difficilis, aſpera & amara utcumque videtur, tamen Dei auxilio executioni mandata, adeò fiat amabilis, ut deſideretur magìs, & quæ in initio videbatur porta ferrea, non ſolùm ultrò aperiatur ei, ſed illam ingreſſus, virtutum paſcua inveniat, earumque gaudeat dulciſſimo fructu. Erubeſcant ergò & confundantur illi, qui de numero ſunt illorum, de quibus S. Gregorius Nyſſenus de Virg. Cap. 23. *Somniatores ſunt, qui immanem & feram virtutem opinantur.* Toto cœlo errant, quorum ea eſt de virtute opinio, quod ſit monſtrum horrendum, ingens, quod feriat, perdat, devoret: ſomniatores ſunt, quibuſcumque hoc cogitare in mentem venit, ac tam vano ſunt judicio quàm ii, quos

S. Bernardus.

Pſal. 22. 5.

Quia paſſio ſemel fortiter ſuperata jam amara non eſt.

S. Gregorius Nyſſenus.

delira ſomnia ſua ſollicitos habent.

XIII. Appoſitè ter. Tullius Tertullianus Lib. de anima Cap. 45. ait: *Contriſtamur & conterremur in ſomniis, quàm affectè & anxiè & paſſibiliter!* Somniat aliquis ſe cum leone in deſerto dimicare, cujus ſanguinariis unguibus dilaceretur, quàm angitur & diſcruciatur miſer, putans vera eſſe, quæ ſomniat! quantum turbatur & ſudat! Si per tempus illud ſui compotes haberet ſenſus, certè rideret ea, quæ mortaliter angere videbantur, oblectationemque ex eis caperet, quorum nocturnus viſus, & imaginarius aſpectus ſudorem toto corpore mortalem expreſſerant: Non minùs interim *Somniatores ſunt, qui immanem & feram virtutem opinantur*: Somni ludibrium, ignavæ ac timidæ carnis commentum eſt, quod puteus profundus exiſtimetur, qui patens & obvius fons eſt, quod ibi inacceſſæ rupes putentur, ubi eſt planus & apertiſſimus campus, quod impervium mare credatur, quod eſt vadoſus fluviolus, quem facilè tranare queas. Profectò ſi à profundo ſuæ puſillanimitatis lethargo evigilarent, qui talia ſomniant, omnia quæ ſomniàrunt invenirent contraria, neque incidere in tygridem, neque montem à longè videre, neque cum leone congredi putarent, ſed omnia illis lenia & levia fierent: neque tam ferus videretur eis leo, ſicut timida apprehenſio illum fingit & depingit; econtra leo agnus eis appareret. Fidem horum facit ſupremus Chriſti Secretarius, qui ipſis oculis vidit, quod aſſero.

Tertullianus.

Et ſomniantibus ſimiles ſunt, qui ab ea tantùm abhorrent.

XIV. Apoc.5. 5. Vidi, inquit Joannes in dextra ſedentis ſuper thronum, librum ſcriptum intùs & foris, ſignatum ſigillis ſeptem. Clamabat Angelus voce magnâ: quis eſt dignus aperire librum, & ſolvere ſignacula ejus? Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtùs terram aperire librum, neque aſpicere illum. Et ego flebam multùm, quoniam nemo dignus inventus eſt aperire librum, aut videre eum: & unus de ſenioribus dixit mihi: Ne fleveris. *Ecce vicit Leo de tribu Juda, aperire librum & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.* Dum hæc mihi dicerentur: *Vidi & ecce in medio throni agnum ſtantem tamquam occiſum... & venit, & accepit de dextra ſedentis in throno librum, & cùm aperuiſſet librum, quatuor animalia & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno.* Si priùs leo apparuit aperire librum, quomodò aperuit agnus? *Leonem audierat*, inquit Bernardus; *& agnum vidit.* Sic mandata Dei, quæ in libro continentur, ad primū aſpectum devorantes leones apparent, & tamen agni ſunt: quamquam enim eorum obſervantia multis obſervatu difficilis videatur, obſervantibus tamen dulcis eſt & ſuavis, & amaritudo eorum amœniſſima. *Leonem audierat & agnum vidit.* An neſcis quomodò Pater filii prodigi cecidit ſuper collum ejus? *Cecidit ſuper collum ejus.* Putas filium adeò debilem & fame exhauſtum, hoc onus paternum ab humeris in terram miſiſſe? Pondus Patris.

Quod enim initio creditur Leo rugiens, ſi benè inſpiciatur, videbitur agnus.

Apoc.5. 5.

S. Bernardus.

Lucæ 15.20.

Patris non pondus, ſed ſubſidium
S. Chryſol. eſt, inquit D. Chryſol. Serm. 3. de duobus filiis: *Juvatur Patris onere, non gravatur.* Quis mortalium crederet, quod onus Pœnitentiæ non gravitet, niſi tot converſi peccatores & Pœnitentes infallibile deſuper dediſſent teſtimonium? Juvantur Patris onere, non gravantur, ſicut verus pœnitens nollet delitias ſuas quantumcumque amaras mutare cum deliciis Salomonis. Et tu interim ad tantas ineptias pervenis, ut non dolore tantùm, ſed doloris opinione vexeris, more puerorum, quibus metum incutit umbra & perſonarum deformitas & depravata facies à diabolo eluſi & illuſi.

Gen. 1. XV. Gen. 1. Poſtquàm creaverat Deus cœlum & terram, hominem creaturus dixit: *Faciamus hominem.* Ubi vulgata noſtra legit:
Hebraicus. *Faciamus hominem*, textus Hebræus legit: *Faciamus umbram*: Quis hominem umbram dicet? duo ſunt genera hominum: dantur boni & mali, bonus umbra Dei eſt,
Job 40. 14. malus umbra diaboli: Hinc Job
Et certè umbras fugiunt, qui difficultatẽ fingunt in præceptis. de diabolo loquens Cap. 40. v. 14. ait: *Ecce Behemoth ſub umbra dormit.* Quomodò diabolus dormire, & ſub umbra dormire dicitur? cùm nec dormiat, nec dormire poſſit? Quænam ergò hæc umbra, ſub qua dormire perhibetur Behemoth, qui eſt diabolus? Pro me reſpondent Eccleſiæ Doctores DD.
S. Hieronymus S. Gregorius. Hieronymus & Gregorius, umbra, ſub qua dormit Behemoth, naſcitur in corde hominis, quæ eſt umbra arboris, quæ *Apprehenſio* dicitur. Ad aſpectum virtutum exanimari & conſternari, ita obumbrari quaſi illarum acquiſitio, & divinorum mandatorum obſervantia impoſſibilis foret, umbra eſt, ſub qua inimicus infernalis dormit & requieſcit. *In loco remoto cordis*, inquiunt Hieronymus & Gregorius, ille in hunc locum, hic Lib. 33. Mor. Cap. 3. *Ille, igitur Behemoth, quia in illis quaſi quandam requiem invenit, quos à veri ſolis ardore ſubtrahendo, fugientes facit, ſub umbra dormire perhibetur.* Has umbras tamquam animæ peſtes fugit Au- S. Auguſtinus.
guſtinus, & obinde gratias agit Deo, quod umbraticis his ſuperſtitionibus non adhibuerit fidem, ajens Lib. 10. Conf. Cap. 35. *Nec anima mea reſponſum umquam quæſivit umbrarum:* Confitere & tu, Captive, quoties tempore captivitatis tuæ ſub umbra tua dormiente Behemoth, volebas converti ad Dominum & terrebant te umbræ? Behemoth diſtendebat ſe ſub umbra, & obumbrans cor tuum perſuadebat tibi: ſi mutes vitam non perſiſtes. Indicere bellum affectibus, & renunciare voluptatibus, domare carnem ciliciis, frenare paſſiones? ſuper altare pœnitentiæ ſacrificare lacrymas & ſanguinem? non perfringes, aiebat, & credebas: ſicque ſub umbra iſta Behemoth dormiebat ſecurè; Vide ne modò ſaltem libertati redditus, *Fingas* Pſal. 93. 20.
laborem in præcepto: quia teſte Melliſluo: *Quidquid laboris in præcep-* S. Bernardus.
tis Chriſti ſitum eſt, ſolùm umbra eſt. Stultum eſt ab umbris terreri. Experire, & virtus, quæ tibi hactenus viſa eſt porta ferrea, ultrò aperietur tibi, quia *Facilè aperitur per gratiam.* Intra per eam, & cognoſ-

ces practicè non niſi larvas eſſe & umbras, quæ timorem & horrorem hactenus incuſſerunt, & quidquid arduum & difficile viſum fuerit, experieris facile & ſuave, modò ſemel tentaveris. Iterum lege Epiſtolam Pauli.

Epheſ.6. 11. XVI. Epheſ.6. 11. Armaturus illos contra hoſtes infernales, ſcribit: *Induite vos armaturam Dei.* S. Athanaſius. S. Athanaſius q.13. legit *Totam armaturam Dei*: quomodò poſſibile ut totâ armaturâ Dei obarmatus quis incedat? Quis neſcit, quantum vires humanæ inferiores ſunt divinis? quomodò ergò imbellis homo arma tractabit, quibus Deus principem vicit tenebrarum? utpote paupertate, obedientiâ, charitate, pa- Joan.14.27. tientiâ, mortificatione. *Non turbetur cor veſtrum neque formidet*: Non dicit Apoſtolus, ut unuſquiſque noſtrûm ita ſemper armatus incedat, ſicut Chriſtus: ſed: *Induite*: 1. Reg.17. 39. explico me. Quando Saul. 1. Reg. 17. 39. voluit induere David veſtimentis ſuis, & imponere galeam æream ſuper caput ejus, & veſtire eum loricâ, ut ſic armatus deſcenderet ad ſingulare certamen cum Goliath, prudens adoleſcens non repudiabat arma, ſed illicò induit *Probatur tantùm efficaciter & ſic invenitur per gratiam Dei.* illa; *Et cœpit tentare ſi armatus poſſet incedere*, ne regiâ benevolentiâ abuti videretur; cùm autem videret, quod ſic armatus incedere non poſſet, tunc depoſuit illa, Regi dicens: *Non poſſum ſic incedere, quia uſum non habeo.* Quærit hìc Rupertus. Rupertus Abbas Lib.2. in Cap.1. Reg. *Quare ſic fruſtra tentavit?* nam ſciebat, quod uſum non haberet, & Saul eſſet ipſo humeris & capite altior: quare ergò ſic fruſtra tentavit? quæſtioni à ſe objectæ, reſpondet ipſe: *Quia ſic pulchrius facto ſuam ſpem Regi oſtenderet, quàm ſi oblata arma mox voce aut verbo præcipiti quaſi contemptu depelleret.* Tentare voluit, ne præcipitanter ſpernere videretur Regis auxilium, ſicque Regi ſpem ſuam certiorem redderet: idipſum intendit Paulus dicens: *Induite vos totam armaturam Dei.* Induite arma, quæ Deus ſubminiſtrat vobis, ne recuſetis: non ſunt Saülis, ſed Dei arma, qui vobiſcum in illis eſt, ſupplens quod ex naturæ viribus non valetis. *Induimini Dominum Jeſum Chriſtum*: *Omne opus difficile videtur antequam tentes*, inquit Vegetius de re militari, Vegetius. *Audeamus, quod credi non poſſet nos auſuros, & quod difficillimum videtur, facillimum erit dicendum.* Et tu, Captive, & quotquot hìc ſumus, non audebimus à Chriſto invitati intrare per portam, quam in ſe virtuti aperuit, ut paſcamur hìc bonis gratiæ, & bonis gloriæ in cœlis? O Chriſtiani! ô pueri! qui ob umbram, ob apprehenſionem & falſam imaginem terremini, non auditis Chriſtum dicentem: *Ego* Joan.14.6. *ſum via veritas & vita. Ego ſum oſtium, per me ſi quis introïerit ſal-* Joan.10.9. *vabitur, & ingredietur & egredietur, & paſcua inveniet!* Venite ad Chriſtum, venite ad probam; & porta quæ ex falſa apprehenſione hactenus viſa fuit ferrea, *Facilè aperietur per gratiam*; quam Deus, &c.

FERIA

FERIA IV. DOMINICÆ IV. ADVENTUS.

De captivitate Petri.

Et exeuntes proceſſerunt vicum unum, & continuò diſceſſit Angelus ab eo. Actor. 12.

Pœnitentia earum fructu guſtato dulceſcunt.

I. QUàm attonitus heri expaveſcebat Petrus, dum, Angelo duce, tranſiens primam & ſecundam cuſtodiam, venit ad portam ferream, quæ tamen ultrò aperta eſt ei! quàm & tu expaveſcis, Captive, dum pœnitentiam & virtutes amplexurus, ad portam ferream ſtare te exiſtimas! ducentem te Angelum ſequere, opera virtuoſa exerce, quæ hactenus viſa ſunt tibi monſtra quædam, dum fructus eorum guſtaveris, promitto non minùs tibi dulces erunt, quàm illis fuerint, de quibus ego heri (fiat brevis repetitio) & porta ad virtutem, quæ modò ferrea videtur, facilè aperietur tibi per gratiam: Credo te id ex nunc experientiâ aliquali edoctum; cùm interim adhuc habeam verbum ad te, priùs ſalutabo illam, quam Angelus ante Conceptionem Verbi ſalutavit, dicens: *Ave Maria.*

II. Gratulor tibi Petre tuam è carcere liberationem. Vix duxerat eum Angelus per portam ferream; *Proceſſerunt vicum unum, & continuò diſceſſit Angelus ab eo.* Cùm Petrus ab Angelo relictus ſit ſolus, audebo illum paucis interrogare. Magne Apoſtole, novem aut decem dies ſunt, à quibus tetro iſto in carcere tanta es paſſus, ſed quomodò iſtâ nocte tam placidè ac quietè dormire potuiſti, cùm ſequenti die te Herodes producturus eſſet ad mortem? NN. placet reſpondeam? jactaverat totum cogitatum ſuum in Deum, Divinæque providentiæ ac diſpoſitioni ſe commiſerat, ſive ad mortem, ſive ad vitam plenè in utrumque paratus, & in omnibus illi conformis. Aliunde: *Oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia pro eo*: diu noctuque tota Eccleſia fundebat preces pro ſuo Capite, ac ſummo Pontifice: quid ergò mirum, quod dormiat ſecurè, & de carcere liberetur? Captive, ſpero & te de carcere tuo eductum, & cum Angelo proceſſiſſe vicum unum, ſed antequam tibi gratuler liberationem: dic, obſecro, quid eſt, quod in carcere diaboli pejora paſſus, quàm Petrus in ſuo, non novem aut decem diebus, ſed fortè tot (ſi non pluribus) menſibus aut annis, tam placidè manſeris & ſecurè, ne vel ſemel de tua liberatione ſollicitus? puderet te forſitan hîc palam eloqui? Numquid quia Deum miſericordem noveras, & aliquos concaptivos educi de carcere videras, ideò temerè ſperabas tandem & te ſimiliter liberandum? ſic eſt. Itane? Dei ergò miſericordiâ abuſus es, ut peccares liberiùs? Cùm moris ſit liber-

Actor. 12.

Pœnitentiâ differens miſericordiâ Dei abutitur.

tate donatis fraternam dare admonitionem, ne reincidant iterum, cùmque proceſſeris vicum unum, habens modò illuminatos oculos, oſtendo tibi hodie, quomodò luſeris cum anima tua. Vos qui adhuc forſan in carcere eſtis, attendite & auſcultate ad ea, quæ dicturus ſum, quia & veſtra res agitur. Incipio.

III Quid eſt procedere vicum unum? dicat pro me Ugo Cardin. *Quamdiu homo eſt in ſtatu vitæ carnalis, extra ſe eſt, & neſcit quid circa ſe*

Ugo Cardin. *geratur, ſed cùm proceſſerit vicum unum, id eſt, ubi ingreſſus fuerit viam illuminativam, tunc ad ſe redit, cognoſcens periculum, in quo fuit, & ſecuritatem, ad quam venit.* Captive, durante captivitate tuâ in ſtatu vitæ carnalis

Nec procedit vicum unum, niſi viam carnalem relinquat.

eras, extra te eras, & neſciebas quid circa te gerebatur, ingreſſus modò viam illuminativam, cognoſce ſtatum, in quo fuiſti, ut hinc cognoſcas præſtitam tibi à Deo gratiam & confundaris. Hoc charo ſuo nepoti perſuaſum voluit Pius V., non minùs ſanctus quàm Pius.

IV Captus ille à Turcis, incredibili feritate ſpoliatus veſtibus, tonſoque capite, ferreis vinctus catenis tamquam vile mancipium ad triremes mittitur, inter remiges per tranſtra ad ſcalmos conſidens, per menſes aliquot fame conſumptus, jumenti inſtar verberatus fuit: Pius Pontifex, audito hoc triſti nuntio, infelicem nepotem ſuum omni ſtudio redimere conatus eſt, de manibus horum crudelium inimicorum, & Romam reduci; eò appulſum, jubet coram ſe & Cardinalium collegio adduci tonſo capite, laceris indutum veſtibus, pedibus nudis, calloſis denigratiſque manibus, facie ſquallidâ & macilentâ, livido & penè exangui ex verberibus corpore, quem flebili tandem voce affatur. Imò pectori infixum ſit tibi, fili chariſſime, totoque vitæ tuæ decurſu recordare miſeræ ſervitutis, culpâ tuâ ſub duriſſimo inimicorum noſtrorum Tyranno tanta tua cum infamia, tantoque cum dolore & acerbitate promeritæ. Altæ memoriæ manda, ſcruta quibus tegeris: ne umquam obliviſcaris inediæ, quâ laboràſti ſitis ardentis, quæ te cruciavit, ærumnæ ſine ullo ſolamine, dolorum abſque pauſa, vigiliarum abſque requie, triſtitiæ abſque refrigerio, verberum & flagellationum abſque miſericordia: & ſcito hæc omnia delitias eſſe, reſpectu carceris, pœnarum, tormentorum, confuſionum, horrorum cæterorumque omnium, quæ in æternum ob peccata ſua ſub Barbara tyrannide ſpirituum infernalium damnati patiuntur.

Pœnalitates hujus vitæ in comparatione infernalium nihil ſunt.

Licet peccator in diabolico carcere multa patiatur, tamẽ de illo non exit.

Chare Captive de diaboli carcere liberate, cogita & tu, quot & quantis miſeriis tempore captivitatis ſubjecta fuerit peccatrix anima tua: D. Chryſol. ſerm. 6. te alloquitur: *Quando non ſub peccato triſtis? quando non ſub peccato lugens? quando non ſub dæmonibus pallens? quando non ſub idolis tremens? quando non ſub vitiis ſuſpectus? quando non ſub criminibus deſperatus? & ideò dabas extrema ſuſpiria, quando tales, tam crudeles dominos ſuſtinebas.* Sed, iterum peto, dic mihi, oro te, cur toties à Deo excitatus, ut de peccato ſurgeres, non citiùs carcerem reliquiſti? eloquere candidè? numquid quia Dei miſeratione concap- S. Chryſolog.

tivos

Idque propter præſumptionem de miſericordia Dei.

tivos aliquot de carcere educi videras, & te etiam aliquando educendum ſperâras. O temeritatem! an ergò quia Deus bonus fuit, oculus tuus nequam erat? Non auſim ego id tibi improperare, niſi idipſum ante me feciſſet.

Eccl 8. ℣. 11.

V. Eccleſiaſtes cap. 8. *Quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Te ſolum teſtem volo: ſi ad primam blaſphemiam aut gravem proximi detractionem vermes linguam tuam comediſſent, ſi dum furtum aut fraudem commiſiſti arida fuiſſet facta manus tua, ſi ad quamque fornicationem, aut ad adulterium quodlibet lepreſa facta fuiſſet caro tua, num tot blaſphemias evomuiſſes, toties proximo detraxiſſes, tot furta, tot fornicationes & adulteria commiſiſſes, aut tam diu in diaboli carcere remanſiſſes? *Quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore ullo filii hominum perpetrent mala*; imò interdum ſeſe jactitant, non ſecùs ac ille, de quo Eccleſiaſticus 5. loquitur, quique auſus eſt dicere plus ſemel: *Peccavi, & quid mihi accidit triſte? Peccavi.* Anni ſunt, à quibus peccare non deſtiti, & tamen *Quid mihi accidit triſte?* ſiccine loqueris? tam temerè, tam inſulsè? *Non eſt iste ſermo, qui miſericordiam provocet, ſed potius qui iram excitet*: Perſuadebas tunc tibi, quod Deus, omni depoſitâ providentiâ, regeret per caſus merè fortuitos: ſed quàm impiè! Te per Pſalmiſtam Deus alloquitur.

Quia non profert citò ſententiam.

Eccleſiaſt. 8. ℣. 11.

Eccli. 5. 4.

Judith. 8. 12.

Pſalm. 49. 17.

VI. Pſalmo 49. *Tu verò odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſum, ſi videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas, os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos, ſedens adverſus fratrem tuum loquebaris: & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum*, & ob hæc & multa ſimilia miſſus eras in carcerem, *hæc feciſti & tacui*: hæc ſcilicet prædicta peccata *feciſti & tacui* per patientiam. *Tacui, ſemper ſilui, patiens fui.* Iſaiæ 42. & interim *exiſtimâſti quod ero tui ſimilis.* Judicâſti iniquè quod eſſem ſimilis tibi, complacens mihi in malefactis tuis, corrupti inſtar judicis, & eorumdem factus complex. Exiſtimâſti ergo quod tacui, quia eram tui ſimilis, quod placerent mihi mala tua & quod eis conſentirem: ſed quàm perverſè! Hæret hîc S. Auguſtinus, & totus indignabundus ex perſona Dei ſic tibi improperat: *Parum eſt quia malefacta tua placent tibi, placere putas & mihi?* Non te puduit adeò divinâ abuti miſericordiâ? poteras non ſemel tuo mori in carcere, inde æterno tradendus, & dum illa te ad lacrymas movere debuiſſent, impio Saüle factus es durior.

Sed tales verè oderāt diſciplinam.

Pſalm. 49. 21.

Iſaiæ 42. 14.

S. Auguſtin.

VII. 1. Reg. 26. Ad mortem uſque perſequitur Davidem Rex ille impius, dumque per deſertum tribus lectiſſimorum militum millibus ſtipatus errabat, fugitivi Davidis veſtigia premens, contigit graviſſimo eum cum ſuis opprimi ſomno; David horum neſcius, eò ſe contulit, ubi Saül profundè dormiebat in tentorio, habens ad caput lanceam terræ infixam. Abiſai Davidis comes ait illi: Concluſit Dominus inimicum tuum hodie in manus tuas, nunc ergo perfodiam eum lanceâ in terra, ut Iſraëlitici regni diadema capi-

Et Saüle pejores ſunt, qui ex facto ſibi à Davide miſericordia compuncti non fuit.

capiti tuo imponam; in tanto periculo indubiè periiſſet Saül, niſi prohibuiſſet David, omnes enim dormiebant, & ſopor Domini irruerat ſuper eos. Sed tulit ſolummodò David haſtam ſecum, & ſcyphum aquæ & abierunt; cùmque tranſiſſet David ex adverſo, & ſtetiſſet in vertice montis, de longè clamavit ad Abner: Quare non cuſtodîſti Dominum tuum Regem? Vide ubi ſit haſta Regis, & ubi ſit ſcyphus aquæ, qui erat ad caput ejus; Cognoſcens Saül vocem David ait: *Numquid vox hæc tua, fili mi David? Peccavi, revertere fili mi David, nequaquam ultrà tibi malefaciam, eò quod pretioſa fuerit anima mea in oculis tuis, hodie apparet quod ſtultè egerim?* Quis hanc Davidis miſericordiam vel umbram dixerit, reſpectu Divinç erga te patientiæ, & longanimitatis invincibilis quibus te, cùm ſingulis momentis occidere poſſet, in vivis ſuſtinuit, durante captivitate tuâ. Vita tua non temporalis tantùm, ſed & æterna erat ſemper in manu ejus, poterat te millies perdere in gehennam, & ſingulis inſtantibus deſtruere, ſi Abiſai, conſulentem juſtitiam, audire voluiſſet; tulit quidem haſtam, arma ſpiritualia, & ſcyphum Sacramentorum, bona temporalia quoque, & vires corporales, quibus perſequebaris eum, tulit, inquam, ut oſtenderet quod in potenti manu ejus eſſes, quodque omnes creaturæ dormirent ad tuam defenſionem, ſi te perdere voluiſſet & deſtruere, & Saüle durior, nec his omnibus motus perſuadebas Deum tandem tibi (neſcio quâ diabolicâ præſumptione) fore propitium, non ſecùs ac Eſau, de quo Apoſtolus,

1. Reg. 26. 21.

Arma ſpiritualia tantùm à Captivo Deus abſtulit cum vitam auferre poſſet.

VIII. Hebræor. 12. 16. *Ne quis fornicator aut prophanus ut Eſau, qui propter unam eſcam vendidit primogenita ſua; ſcitote enim, quoniam & poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt: non enim invenit pœnitentia locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.* Ne miretur aliquis, quod Deus contra Eſau offenſus, illi numquam reconciliari voluerit, habebat rationes non modicas: dent alii, quas voluerint, Pererius opinatur id factum ob perfidam ejus temeritatem: *Quia putabat patrem ſuum tale ejus promiſſum irritum facturum, & ſperabat numquam ſe fratri ſuo ceſſurum jura primogenituræ.* Hâc temeritate animum profani Eſau captivabat ſatan, ſicque in ſuam traxit maſſam perditionis. Sperabat ſe numquam primogeniturâ privandum, patris in ſe fidens amori, ſibi, non alteri, eam largiendam pro certo ſecum ſtatuebat, id ita exigente juſtitiâ aliiſque motivis, & dum tempus advenit conferendi primogenituram, prævenit eum Jacob, totam aſſecutus paternam benedictionem. Idipſum contingit non ſemel pluribus captivis diaboli, qui ſuaſu ejus animas ſuas proſtituunt; Cœlum, Dei filiationem, Divinam hæreditatem ob viliſſimam & momentaneam voluptatem vendunt, ſuo in carcere jucundantes, & divinæ fidentes miſericordiæ, arbitrantur rem ad effectum non deducendam, nec ſe umquam à paterna excludendos benedictione, qui tandem non invenerunt locum pœnitentiæ, ſed ſuo in carcere miſerè obierunt: quod indubiè & tibi obtigiſſet,

Hebr. 12. 16. *Sed ſi inde fiat audacior caveat ne ipſi obtingat quod Eſau.*

Pererius.

tigiſſet, niſi te ſpeciali miſericordiâ præveniſſet miſericors & miſerator Dominus. Itane, ab ipſa Dei miſericordia tam maleſuada ſecuritas? ſic eſt, inquit D. Chryſoſt. *Fiunt de Domini miſeratione crudeles*: Ut video, idipſum tibi in captivitate tua contigit, quod Paralitico.

S. Chryſoſt.

IX. Joannis 5. Erat Jeroſolymis probatica piſcina, quæ cognominabatur Bethſaida, quinque porticus habẽs: in his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum exſpectantium aquæ motum. Porrò Angelus deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam, & movebatur aqua, & prior deſcendens in piſcinam ſanabatur. *Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.* Quid? erat ibi homo habens triginta & octo annos in infirmitate? Ubi, obſecro? erat *Ibi*, *ibi*. Jeroſolymis ubi erat piſcina Bethſaida. *Ibi*, ubi erant quinque porticus. *Ibi*, ubi tot ſanabantur. *Ibi*, ubi Angelus deſcendebat in piſcinam, & movebat aquam. Erat *ibi*, *ibi*: & manet iſte *ibi* triginta octo annis in infirmitate ſua? tot annis infirmatur, & quidem in Bethſaida, ubi ab Angeli motione erat aqua ſanativa? O rem mirandam! at magis miror, quod tu, quondam Captive, tot annis paraliticus fueris Jeroſolymis, in Eccleſia dico: ubi illa eſt viva probatica piſcina Bethſaida, quinque porticus habens, quinque ſcilicet vulnera Chriſti, ut ex D Chryſoſtomo interpretatur Doctor Angelicus, quod tu, inquam, tanto tempore fueris *Ibi*, ubi tot remedia ad ſalutem. *Ibi*, ubi tot Sacramenta. *Ibi*, ubi juxta Zachariam

Peſſimo enim exemplo quis ablutionẽ differt in annos, ubi tã propè eſt fons miſericordiæ.

Joannis 5.

Prophetam cap. 13. *Eſt fons patens domui David, & habitantibus Jeruſalem in ablutionem peccatoris.* Dixerat tibi D. Gregorius, & rogaverat te fortè centies: *Patet fons, curramus cum lacrymis, lavemur hoc fonte pietatis: quærere miſericordiæ fontem debuimus, etiamſi clauſus eſſet: patet fons & negligimus.* Patuit tibi piſcina in ablutionẽ, & eras *ibi* decem, viginti, Deus ſcit num *triginta & octo annos habens in infirmitate tua.* Et unde hoc? quia eras in Bethſaida, quæ, ut habet Syriacus, interpretatur: *Domus miſericordiæ.* Ideò factus audacior, peccâſti liberiùs, illis annumeratus, de quibus Pſalmiſta pſal. 128. *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores.* Captivi, qui adhuc in carcere detinemini, Pſalmiſta etiam vos alloquitur.

Zachar. 13, 1.

S. Gregorius.

Syriacus.

Pſalm. 128. 3.

X. Pſalm. 49. *Audite hæc & intelligite, qui obliviſcimini Deum, nequando rapiat, & non ſit, qui eripiat.* Intelligite, id eſt, intus legite & in corde revolvite, intelligite ne aliquando rapiat, id eſt, rapi permittat, & non ſit, qui eripiat de manu rapientis. Nolite fieri de Domini miſeratione crudeles animabus veſtris, ſi præfidentes de Dei miſericordiâ temerè peccetis, juſtè non erit qui eripiat: teſte enim D. Chryſoſt. in pſalm. 115. *Miſericordia Dei fruſtrà imploratur, ſi in mala vita perſeveratur.* Nolite decipere animas veſtras, inquit Magnus Auguſt. Tract. 33. in Joannem tom. 9 *Qui dicit bonus eſt Deus, miſericors eſt Deus, faciam quod mihi placet, quod libet: laxem habenas cupiditatibus meis, expleam deſideria animæ meæ*, maneam tantiſper in carcere. Quare hoc? *Quia miſeri-*

Pſalm. 49. 22.

Et temeritas iſta dici debet, quã nimium in miſericordia fidit, non ſpes.

S. Chryſoſt.

S. Auguſtin.

cors eſt Deus, bonus eſt Deus, manſuetus eſt Deus, ſic iſti periclitantur: Temeritas hæc dicenda potiùs, quàm ſpes, ut rectè Abulenſis hìc: *Non debet quis fieri ex Divina miſericordia temerarius ad peccandum, ſed potiùs ex illa frenari, ne umquam peccet, & magis quodammodò Dei miſericordia timenda eſt, quàm juſtitia.* Subdit rationem, quia: *Qui offendit juſtitiam, habet miſericordiam, tamquam ſingulare aſylum, ad quod confugiat; qui autem miſericordiam offendit, ad quam aram ſe recipiet? Sine meritis ſperare* (inquit Mellifluus Bern. Serm. 1. in cœna Domini) *non ſpes, ſed præſumptio dici debet.* In quam ſententiam etiam abit S. Iſidorus lib. 2. Sent. cap. 4. *Qui malè agere non deſiſtunt,* nec de carcere ſuo exire nituntur, *vanâ ſpe indulgentiam de Dei pietate requirunt.* Reliqui Patres idem teſtantur, quorum agmen claudit Auguſtiſſimus Auguſtinus Serm. 59. de Verbis Domini tom. 10. veſtram induens perſonam: *Si quâcumque die converſus fuero à via mea peſſima, Deus miſericors, ſicut veraciter per Prophetas promiſit, omnes iniquitates meas obliviſcitur; quare hodie convertor, & non cras? Quare hodie & non cras? eat hodiernus dies ſicut heſternus, ſit in nequiſſima voluptate, ſit in flagitiorum gurgite, volutetur in mortifera delectatione. Cras convertar & finis erit:* Subjungit idem Doctor ibidem vos alloquens: *Noli differre, noli, quod patet, contra te claudere: ecce indulgentiæ dator, aperit tibi oſtium* (carceris) *Quid moraris? gaudere deberes, ſi aperiret aliquando pulſanti, non pulſaſti & aperit, & foris remanes? ne ergo differas.*

Abulenſis. — D. Bernardus. — S. Iſidorus. — S. Auguſtinus. — Vnde nec pœnitentia procraſtinanda. — Idem.

XI Video quid lateat, quia aliàs non ſemel fuiſti in carcere, & Dei miſeratione evaſiſti & erupiſti, ideò ſperas te iterùm facilè liberandum: Sed audi quid rurſus Doctorum Aquila tibi dicat: *Fratres quoniam habemus tempus miſericordiæ non nobis blandiamur, non nos dimittamus, non dicamus ſemper parcit Deus. Ecce feci heri, & pepercit Deus, facio & hodie & parcit Deus; faciam & cras, quia parcit Deus. Attendis ad miſericordiam, & non times judicium. Si vis cantare miſericordiam & judicium, intellige, quia ideò parcit Deus, ut corrigaris, non ut in malignitate permaneas.* Nolite, nolite, quotquot adhuc captivi eſtis, ſupra fundamentum tam debile exſtruere ædificium tanti momenti, quale eſt ſalus animarum veſtrarum: ab argumento chymerico, à fallacibus & falſis præmiſſis non trahitur vera & infallibilis conſequentia. Anni ſunt, à quibus fui in carcere, dicet aliquis, & Deus pepercit, ergò & parcet, licèt maneam diutiùs, & peccem liberiùs: ut quid ergò pœnitentiâ opus? ut quid carcerem effringam, ſi hucuſque impunis evaſerim? Falſa & temeraria conſequentia eſt: non punivit me Deus ob delicta mea, neque de temporali carcere in æternum me miſit, ergò numquam miſſurus eſt, licèt amans ſim carceris. Audite univerſi vos, qui ſic loquimini, magnum Eccleſiæ Doctorem D. Gregorium hom. 13. in Evang. *Deus deſpicitur & expectat, contemni ſe videt, & revocat, injuriam de contemptu ſuo ſuſcipit, & tamen quandoque revertentibus, etiam præmia promittit. Sed nemo hanc ſuam longanimitatem negligat, quia tantò diſtrictiorem juſtitiam in judicio exiget, quantò longiorem patien-*

S. Auguſtin. — Maximè cùm non ſequatur: pepercit Deus, ergò parcet. — D. Gregor.

tientiam ante judicium prorogavit: Audite & Auguſtinum Lib. de Ovibus Tom. 9. *Quia ille bonus eſt, quia longanimis, videt & tacet: quia videt & ſuſtinet, putas illum iniquum? ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? & vide ſi ſemper tacebit, qui modò tacet: Tu autem, inquit, ſecundùm duritiam cordis tui, & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundùm opera ſua.* Si verba hæc necdum corda veſtra moveant, audite ergò Deum met loquentem.

S. Auguſtinus.

XII. Iſaiæ 42. 13. *Tacui, ſemper ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar & diſſipabo & abſorbebo ſimul.* Quaſi diceret Deus, inquit D. Hieronymus hîc Tom. 4. *Diu vos delinquentes* (in carcere) *portavi, ſed quia tacueram, nequaquam umquam reticebo. Et quomodò pariens in lucem prodit infantem, & apertum facit eſſe, quod priùs clauſum in viſceribus tenebatur, ſic ego dolorem meum, & diſſimulationem, quam ſemper habui in ſceleribus veſtris nunc proferam, & diſſipabo veſtra conſilia.* Et D. Petrus Damianus Serm. de S. Martino, addit: *Numquid qui ita tacuit & ſiluit, ſemper ita tacebit? an non legiſti, quia ad judicium veniet patientiam abjiciens, humilitatem neſciens, ignorans miſericordiam?* Iterum adduco illa Eccleſiæ lumina SS. Gregorium & Auguſtinum, qui obnixè rogant vos, ille Homil. 18. in Evangel. *Dum tempus habemus Fratres, pravitatem ſuam* (carcerem ſuum) *unuſquiſque deſerat, Dei patientiam pertimeſcat, ne quem nunc tranquillum deſpicit, iratum poſteà nequaquam evadere poſſit.* Hic verò Serm. 102. de Temp. *Sic amemus Dei miſericordiam, ut tamen juſtitiam timeamus: parcit modò & tacet, ſed non ſemper tacebit: Modò enim pro ineffabili pietate ſua non ſolùm nos admonet, ſed etiam rogat, ut nos à peccatis mortiferis revocemus: Audiamus illum dum rogat, ne nos poſteà non audiat ille dum judicat:* Et iterum in Pſal. 61. *Poteſtatem ejus timete, miſericordiam ejus amate. Nec ſic de miſericordia ejus præſumatis, ut poteſtatem contemnatis: nec ſic poteſtatem timeatis, ut de miſericordia deſperetis, apud illum poteſtas, apud illum miſericordia.* Soli miſericordiæ temerè fidere & perire, quantum malum! Quæritis, quantum? tantum, ut crimina, ob quæ Captivi facti eſtis, reſpectu hujus vix umbra ſint.

Iſaiæ 42. 13. *Vt patet ex Iſaia.*

S. Hieronymus.

S. Damianus.

S. Gregorius.

S. Auguſtinus.

Grande malum eſt in dilatione pœnitentiæ ex nimia præſumptione.

XIII. Quærunt Theologi: *Utrum abuſio Divinæ miſericordiæ ſit graviſſimum peccatum?* Quis auderet abire in oppoſitū? Certiſſimum eſt, Dei contemptum tantæ eſſe malitiæ, ut ubi ordinariè in omni præcepto excuſamur à peccato gravi, occurrente parvitate materiæ, in Dei contemptu talis non detur. Quis modò neſcit, quod Divinâ abuti miſericordiâ, ſit Deum ſpernere in primario ejus attributo? inter graviſſima peccata annumerant SS. Paginæ peccatum contra Spiritum ſanctum. *Si quis peccaverit in Spiritum ſanctum, non remittetur ei.* Abuſio autem Divinæ miſericordiæ,

Et ex tempore tum abuti divinâ miſericordiâ peccatū graviſſimum audit.

Matth. 12.

ſericordiæ, eſt peccatum contra bonitatem Dei, quæ attribuitur Spiritui ſancto, ergò non ſolùm eſt peccatum grave, ſed graviſſimum, quod *Non remittitur neque in hoc, neque in futuro.* Si ergò *pro menſura peccati erit plagarum modus*, quàm vobis durum erit à miſericordia damnari, quando miſericordia induet juſtitiam!

Deut. 25. 2.

XIV. Quid refert tempeſtatem maris ſalſi, vel lactis dulciſſimi ſubire, ſi quis in alterutro ſubmerſus ſuffocetur? Certè accreſcit pœna, ſi in dulci lacte pereat: quod aliquis in amaro Divinæ juſtitiæ mari ſubmergatur, proprium eſt huic Divini Numinis attributo, ſed quod lactis dulcedo magis amareſcat quàm ſalſedo juſtitiæ, & miſericordia convertatur in juſtitiam contra contemptores ejus, res eſt ſummâ compaſſione digna: *Inundationem maris quaſi lac ſugent.* Deut. 33. v. 19. Navigatis hîc in mari lacteo, ſed quod culpâ veſtrâ lac convertatur in ſanguinem, & ſanguineam cauſet tempeſtatem, quis non exclamet: O lac amarum! Verum eſt, in præſenti *Inundationem quaſi lac ſugent*: ſed *Ibi immolabunt victimas juſtitiæ*, & lac miſericordiæ convertetur in ſanguinem juſtitiæ, & ubi aliàs naturaliter ſanguis convertitur in lac (lac enim nil niſi ſanguis bis coctus) hîc è contra lac convertetur in ſanguinem, miſericordia in juſtitiam. Et cur, quæſo, lac in ſanguinem convertetur? niſi ut contra abutentes miſericordiâ vindictam clamet?

Deut. 33. 19.

Et cauſa quod lac Divina miſericordia convertatur in ſanguinem juſtitiæ.

XV. Fundit Chriſtus in Cruce ſanguinem, fundit in horto. Sed quanta differentia inter ſanguinem & ſanguinem! De fuſo in horto ſanguine dicitur Lucæ 22. v. 44. quod ceciderit in terram: *Sicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*, quod de ſanguine Crucis non ſcribitur, cur de uno id potiùs aſſeritur, quàm de alio? cur effuſus in Cruce ſanguis non etiam in terram decurriſſe dicitur, ſicut in horto *Decurrentis in terram*? Novit Rupertus Abbas de Vict. Verb. Dei latens in hoc ſanguine myſterium: decurrebat hîc ſanguis in terram, ut ſe jungeret ſanguini juſti Abel de terra contra impium Cain clamanti vindictam: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Effuſus in Cruce ſanguis quid clamavit? miſericordiam, non vindictam. *Ignoſce, dimitte.* Grande myſterium! grande ſacramentum! ergòne idem ſanguis miſericordiam clamat & vindictam? numquid uterque Chriſti ſanguis? Captivi diaboli, Chriſti redempti ſanguine, ſcribite verba hæc in cordibus veſtris, non aureis, ſed litteris ſanguineis: Videte ne abutamini miſericordiâ Dei, *Qui lavit nos in ſanguine ſuo: qui redemit nos in ſanguine ſuo*, & in illo *Captivam duxit captivitatem*: alioquin idem ipſe ſanguis clamabit contra vos vindictam. Audite verba Ruperti: *Verè tantum miraculum ſudoris otioſum non fuit: quia contra infelices & impios homicidas Judæos, in præſagium judicii terribilis & vindictæ horribilis, in terram decurrit*: O rem vel ſolo cogitatu horribilem, quod miſericors ſanguis

Lucæ 22. 44. *Chriſti cruore in terrâ effuſo contra tales vindictam clamante.*

Non obſtante quod in Cruce pulſârit miſericordiam.

Rupertus.

guis Dei noſtri anticipet tempus, & de terra vindictam clamet in cœlum! *In præſagium vindictæ horribilis in terram decurrit*: eò quod in Cruce ſanguis tantâ miſericordiâ fuſus clamans: *Dimitte, ignoſce*, contemnatur. Soli miſericordiæ confidentes dicitis: Miſericors eſt Deus: Sanguis ejus confringet tandem ſeras portarum carceris, & liberabit nos, non enim perdere nos poterit Deus, qui ſanguinem fudit pro nobis; Sed vereor ne ob iſtam temeritatem idem ſanguis vos condemnet, & qui modò totus eſt amor (*Amor, eſt dulcedo ſanguinis circa cor*) tandem convertatur in iram Divinæ vindictæ, *Ira eſt accenſio ſanguinis circa cor*. Vereor, inquam, ne vobis obtingat, quod olim inimicis Raziæ, ſervi Dei.

2. Mach. 14. *Et certè ſicut Razias projecit viſcera ſua ſuper inimicos, ita meretur illi, quod viſcera miſericordiæ Dei projiciantur ſuper ſe.*

XVI. 2. Mach. 14. Volens Nicanor manifeſtare odium, quod habebat in Judæos, miſit milites quingentos, ut comprehenderent Raziam, virum ſanctiſſimum, & tam benè audientem, ut pro affectu *Pater Judæorum* appellaretur. Generoſus & venerabilis ſenex eligens nobiliter mori potiùs, quàm ſubditus fieri peccatoribus, & contra natales ſuos indignis injuriis agi, gladio transfixit ventrem, & cùm ſanguis ejus magno fluxu deflueret, & graviſſimis vulneribus eſſet ſaucius, ſtans ſupra petram prærruptam, complexus inteſtina ſua utriſque manibus projecit ſupra inimicos. Ne hoc crudele videatur oculis veſtris: ſed potiùs attendite, ne ob abuſionem Divinæ miſericordiæ, ipſe Deus in vos projiciat viſcera miſericordiæ ſuæ, & ne impugnemini *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri*. Nôſtis viſcera Divina, nôſtis miſericordiam, cujus plenum eſt pectus ejus: his viſceribus hortatur vos, ut carcerem deſeratis: & conculcatis interim illa viſcera miſericordiæ, abutentes miſericordiâ viſcerum, & viſceribus miſericordiæ ejus. Sed *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri* iterum rogo & obteſtor vos, attendite ne abutentes miſericordiâ ejus, inteſtina ſeu viſcera illius miſericordiæ utriſque manibus complexus projiciat ſuper vos. Non eſſetis primi, quibus hoc fecit. Lucæ 1. 78.

Et hoc ipſe Chriſtus brachium de Cruce ſolvit in Hiſpania oſtendit.

XVII. S. Franciſcus de Borgia Gandiæ Dux, nec non Illuſtriſſimæ Societatis Jeſu, non minùs vitâ quàm ſanguine nobiliſſimum jubar, exemplo non minùs quàm verbo prædicans in Hiſpaniis, venit in celebrem quamdam civitatem, ubi ad mortem infirmabatur quidam ex regni Primoribus, ſceleribus quàm honoribus, & dignitatibus eminentior, Magnas inferni potiùs quàm Hiſpaniarum; Hic monitus de præſenti mortis periculo, politicâ humanâ teſtabatur ſe velle Chriſtianè mori, de confeſſione autem inſtituenda audire renuens, econtra rabidus totus blaſphemabat in Deum, & in Sanctos ejus, & volebat mori ſicut vixerat. Cogitate qualis hìc domeſticorum animus! quanta confuſio! quantus horror! credebant familiares ejus nullum dari remedium efficacius, quàm ut ad emolliendum cor illud verè lapideum advocaretur Borgias, qui in illum finem videbatur divinitùs eò miſſus. Nec defuit ille ſolito ſuo

& Societatis zelo. Ac pro more priùs ad Crucifixi pedes provolutus, Dei operam implorans, ut hanc animam cœlo lucrari poſſet, reſponſum hoc accepit; Scias Franciſce nihil te effecturum, quia nimis induratus ille. Et ut videas, quod quantùm in me eſt, orationem tuam exaudire velim, vade ad infirmum, & ego ſubſequar in habitu medici, & ambo impendemus nos, ut curemus infirmitatem dupliciter mortalem. Quæ mens ferrea hîc non emolliretur habens Chriſtum medicum, Borgiam exhortatorem? Quid non moliris, quid non vales in animam, cui dominaris, maledicta obſtructio? Omitto quæ utrimque ad converſionem hujus facta ſint: Quia induratus ille dixerat, quod vellet corpus & animam perdere; Borgias iteratâ oratione tentat, num aperire perverſæ poſſet mentis illius portas ferreas: habens in manu Crucifixum, lacrymis ſuperfuſus moribundum alloquitur: Anima Chriſti redempta ſanguine, ecce brachia ejus aperta, ut pœnitentem te amplectantur, adhuc tempus ſupereſt petendi & obtinendi veniam, modò animo contrito dicas: peccavi; & per S. Exomologeſim miſericordiam petas. At fruſtra hæc omnia, reſpondente indurato: Miſericordiam nolo, veniam non quæro, retineat ſibi Deus cœlum, nolo niſi infernum. Quibus auditis, ô grande miraculum! cœpit Crucifixus ſanguinem fundere, ad infirmum in hæc verba prorumpens: Eja, fili mi, eja peccator, pro quo de Cruce hac meum fudi ſanguinem, & vitam dedi, adhuc delictorum tuorum tibi veniam offero: cur illam recuſas? Si ego offenſus, quaſi offenſor, causâ reconciliationis ad te veniam, cur detrectas? At ille nihil de confeſſione audire volens, Chriſto tergum vertebat. Res mira! flebat Franciſcus, rogabat Chriſtus, blaſphemabat infirmus. O ſpectaculum horrendum! ſolvens Chriſtus de Cruce dexteram & in latus mittens, accepit ſanguinem & projecit in faciem jam jam morientis dicens: Sanguis hic, cùm nolueris in ſalutem, ſit tibi in æternam damnationem. Quis hîc non exhorreſcat! Ego horrore plenus ad ſacras Paginas me confero: Neque ultrà miror, quod propitiatorium alis ſuis Cherubim velent.

XVIII. Exod. 25. 17. Mandabat Deus Moyſi: *Facies propitiatorium de auro mundiſſimo.* Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies. Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altero: *Utrumque latus propitiatorii tegunt, expandentes alas & operientes oraculum.* Cur alis veſtris Dei propitiatorium tegitis ô Cherubim! & oraculum operitis? Cur omnium oculis propitiationem Creatoris erga creaturas non exponitis? An ut vobis ſolis tantùm ſit bonum? ſi haberetis erga nos viſcera Seraphica, non ſolùm propitiatorium non tegeretis alis veſtris & operiretis, ſed ſuper alas portaretis, ut ab omnibus videretur. Arcanum, quod hîc latet, pandit Petrus Celtenſis de Tabern. Lib. 1. Cherubim propitiatorium alis operiunt, quia ſciebant quod homini-

Exod. 25. 17.

Verſ. 20.

Cherubini idcircò propitiatorium tegunt, ne patens contemnatur.

bus cœleſte propitiatorium revelare, & Dei miſericordiam manifeſtare, ſit anſam præbere illâ abutendi, flocci pendendi, aut minùs avidè quærendi: ideò illis celant, ut pluris faciant, & quærant avidiùs. *Utrumque latus*, inquit Cellenſis: *Propitiatorii tegunt, quando differunt vel abſcondunt interdum auxilium propitiatorii, ut exerceant nos tentationibus, & quando celant amorem propitiatorii, ut incitent ad quærendum ardentiùs.* Captivi, utinam vos, Divino rebelles lumini, Divinæ miſericordiæ temerè confidentes, hæc verba moveant, ne ultrà de miſericordia præſumentes peccetis, ſed potiùs Dei juſtitiam metuatis. Relinquo ibi cæteros, & ad te redeo, de carcere Liberate, & dum tibi gratulor liberationem; rogo te, ut, dum illam Divinæ tribuis miſericordiæ, juſtitiæ ejus non obliviſcaris. Habes præcedentem te quemdam ex eodem carcere liberatum Prophetam Regium.

Petrus Cellenſis.

Hinc & tu ſimul cum miſericordia juſtitiam cogita.

XIX. Poſtquàm Pſal. 56. 5. Expoſuerat modum, quo liberaverat eum Dominus de carcere: *Miſit Deus miſericordiam ſuam & veritatem ſuam, & eripuit animam meam*: non in ſola miſericordia, neque in ſola juſtitia, ſed utriuſque ſubſidio. Pſal. tamen 114. Proteſtatur coram Deo ſuo ne reincidat: *Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius.* Sed quomodò ſic loqueris magne Pœnitens? dixeras enim Pſal. 25. 3. *Miſericordia tua ante oculos meos eſt*? ſi numquam à miſericordia oculos avertas, quomodò in ſolius juſtitiæ jugi meditatione verſaris? miſericordiam & juſtitiam combinat, inquit D. Gregorius Lib. 33. Mor. Cap. 10. *Ut quem præſumit ſibi piè parcere, ſemper etiam cogitet & diſtrictè judicare*: Vade & tu fac ſimiliter.

Pſal. 56. 5.

Sicut fecit David.

Pſal. 70. 16.

Pſal. 25. 3.

FERIA

FERIA V. DOMINICÆ IV. ADVENTUS.

De Captivitate Petri.

Petrus ad ſe reverſus dixit: Nunc ſcio verè quia miſit Deus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis. Act. 12.

I. QUid eſt, liberate Captive, quod toties à Deo excitatus ut de peccato ſurgeres, non citiùs carcerem tuum reliqueris? dicebam tibi heri, quia Dei miſeratione concaptivos aliquot de carcere educi videras, ſperabas te etiam poſt diutinam remanſionem tandem liberandum: quia tempore captivitatis nihil tibi triſte acciderat, ideò peccâſti liberiùs, in te verificans verba Eccleſiaſtici 8. *Quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* O temeritatem! An ergò quia Deus bonus eſt, oculus tuus nequam eſt? An ergò quia peccante te Deus tacuit, ſemper ſiluit, patiens fuit, exiſtimâſti quod eſſet tui ſimilis, complacens ſibi in malefactis tuis? Non te puduit ita Divinâ abuti miſericordiâ? Eras in potenti manu Dei, millies & modis mille perdere te potuit in gehennam, & quia pepercit toties, ideòne factus deterior? Sed quò abeo? cùm Captivus noſter per Angelum de carcere eductus & libertati redditus ſit, non eſt quod ultrà eum contriſtem, ſed econtra congratuler: dum priùs ſalutavero ab Angelo ſalutatam, *Ave Maria.*

Eccli. 8. *Quia Deus diu expectat, Captivus liberiùs peccat.*

II. Quàm anxius debebat eſſe Petrus, dum ſe ab Angelo derelictum vidit, & ſolum ſe reperit; videor eum in ſpiritu præſentem intueri: Sciens ſe jam non ampliùs viſum videre, ſed verè è carcere liberatum, ad ſe converſus dixit: *Nunc ſcio verè, quia miſit Deus Angelum ſuum:* Ac ſi dicat, hucuſque putavi me in ecſtaſi mentis vidiſſe, quæ vidi, vel ſomnum eſſe: at nunc verâ ac reali experimentaliq; notitiâ deprehendo, non ecſtaſim fuiſſe, ſed Deum Angelum miſiſſe, qui eripuit me de manu Herodis, & priſtinæ me libertati reſtituit. Gratulor tibi quondam Captive, tuam de carcere liberationem: gratulor, quod per pœnitentiam tibi reſtitutus, rediêris ad priſtinam libertatem, & quod opera bona, in captura tua mortificata, revixerint, & omnia merita, quæ addicta erant Fiſco, ſint modò tibi reſtituta. Ne aliquis ultrà te timor angat, hoc venio tibi hodie probatum: Vos N. N. attendite ad ea, quæ illi dicturus ſum, quia habetis & vos in illis partem veſtram. Incipio.

Non obſtante quod per pœnitentiã ſimul cum gratia redierunt omnia merita.

III. Exod.

Exod. 21. 2.

III. Exod. 21. 2. Tradit Deus legem Moyſi in monte, & à præceptis judicialibus incipiendo, legem circa illos obſervandam ponit, qui in ſervos ſe vendunt: *Si emeris ſervum Hebræum, ſex annis ſerviet tibi, in ſeptimo egredietur liber gratis: Cum quali veſte intraverit, cum tali exeat. Si habeat uxorem* (ante ſcilicet acceptatam ſervitutem) *& uxor egredietur ſimul. Sin autem Dominus tempore ſervitutis dederit illi uxorem, & pepererit filios & filias, mulier & liberi ejus erunt Domini ſui, ipſe verò exibit cum veſtitu ſuo.* Liberate Captive, quando ob delicta tua miſſus eras in carcerem, unus eras ex illis, de quibus Iſaiæ 50. 1. *Ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis.* Miſericors & miſerator Dominus acerbiſſimum ſervitutis jugum, quo infernalis Pharao te detinebat, repulit per Sacramentum pœnitentiæ, ſic ut filii tui, opera ſcilicet ante incarcerationem parta & in gratia facta, per pœnitentiam tuam primum valorem receperint, & libertate donatus egreſſus ſis, eâdem veſte indutus, eâdem ſuppellectile ditatus, quam tecum tuliſti, quando eras ſervitutem ingreſſus, & omnia, quæ ante poſſidebas, tibi ſint reſtituta. Juxta illud Zachariæ 10. 6. *Convertam eos, quia miſerebor eorum, & erunt ſicut fuerunt, quando non projeceram eos.* Hoc tibi dico ex parte Dei, qui idipſum olim indicatum voluit populo ſuo.

Ita ut Hebræorum inſtar cum tali veſte exires de ſervitute cum quali intraverat,

Iſaiæ 50. 1.

Zachar. 10. 6.

Ezech. 33. 12. *Nullum nocumentum habiturus ex impietate priore:*

IV. Ezechielis 33. Mandatum dat Deus Prophetæ: *Fili hominis dic ad domum Iſraël: Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, ſed ut convertatur & vivat. Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Quidquid peccando amiſerit, reſtituam illi, & ponam eum in poſſeſſione omnium bonorum per peccatum deperditorum. Ut me meliùs intelligas, quatuor ſunt genera operum: dantur opera viva, mortua, mortificata, & vivificata. Viva ſunt, maximè quæ fiunt in ſtatu gratiæ, ex motivo ſupernaturali virtutis, & illa quantumcùmque parva, meritoria ſunt vitæ æternæ, vel incrementi ipſius. Mortua ſunt, quæ fiunt in ſtatu peccati mortalis. Opera verò mortificata dicuntur, quæ facta ſunt in ſtatu gratiæ, ſed à ſuperveniente peccato mortali ita mortificantur, ut ſi quis in illis moreretur, nullam ex eis habiturus eſſet mercedem: ſi tamen rurſus redeat in gratiam, etiam merita reſurgunt: &, ut cum Theologis loquar, reviviſcunt, ſicque vocantur opera vivificata, quia habent vitam gratiæ, & eoſdem effectus, quos habebant ante peccatum mortale, juxta illud Joëlis 2. 12. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio & fletu, ſcindite corda veſtra .... & reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus & rubigo & eruca. Fortitudo mea magna, quam miſi in vos*, hoc eſt, inquit Gloſſa, *Ubertatem meritorum.* Et Thomas Angelicus, *Per pœnitentiam omnes virtutes reſtituuntur.* Et quidquid comedit & devoravit peccatum, reviviſcit. Quidni reviviſceret?

Joëlis 2. 12.

Gloſſa.

D. Thomas.

V. Quærunt Juriſperiti Tit. 13. de exhæredatione liberor. §. *Aliud*

quoque, *&c.* An Pater ob gravem injuriam & notoriam ingratitudinem poſſit exhæredare filium? reſpondent: *Si quis parentibus violentas manus injecerit, ſi gravem & inhoneſtam injuriam eis ingeſſerit, exhæredari poteſt.* Ratio eſt: *Quia ingratitudo tollit debitum naturæ.* *Si* tamen, inquiunt, *filius vivo Patre, vel ante conditum teſtamentum egerit pœnitentiam, non poterit ex cauſa ingratitudinis commiſſa exhæredari, ſi Pater cauſam ingratitudinis remiſerit. Si filius reconciliatur Patri, eo ipſo exhæredatio intelligitur adempta.* N. Filius Dei es tu. *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei* Rom. 8. 16. Vivens ſub obedientia Divini Patris tui, ejuſque mandatis obtemperans, habebas jus ad bona & hæreditatem ejus. *Si autem filii, & hæredes.* At quia tam bono ac pio Patri violentas manus intuliſti, & peccando gravem injuriam intuliſti (peccatum enim juxta D. Thomam *Malum eſt infinitum*) ſecundùm præſentem juſtitiam, exhæredavit te, amiſiſti jus, quod antè habebas, ad hæreditatem Dei: *Quia ingratitudo tollit debitum naturæ*, ſed quia pœnitentiam egiſti, & reconciliatus es Patri, eo ipſo exhæredatio eſt adempta. Habes Caſum tuum bis expreſſum.

Sed hæreditatem rehabiturus propter reconciliationem cum Patre cœleſti.

Rom. 8. 16.

D Thomas.

Lucæ 15. 19. VI. Lucæ 15. 19. Prodigus, pœnitentiâ ductus, ad Patris pedes provolutus culpam agnoſcit: *Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus.* Cognitâ filii pœnitentiâ, ait Pater: *Verſ. 22.* *Cito proferte ſtolam primam, & induite illum. Et date annulum in manu ejus.* Hæc me legentem in ſtuporem dant: Quomodò, bone ſenex, afferri imperas *Stolam primam*? Num illam, quam ſecum aſportaverat, recedens ab obedientia tua? illa cum reliqua ſubſtantia adeò conſumpta & detrita eſt, ut ad miſeriam & paupertatem ejus exclamet D. Chryſologus Serm. 5. de duobus filiis: *Quàm pauper redit, qui ditatus abſceſſerat, & de tota ſubſtantia calceamenta in pedibus non reportat?* Quomodò ergò adhuc reſtaret & ſupereſſet ſtola prima? *Proferte ſtolam primam?* Aut ſi per ſtolam primam novum veſtimentum intelligas, quomodò imperas ut *Citò* detur? *Citò proferte ſtolam primam.* Item mandas, ut poſtquàm veſtitus fuerit, detur annulus in manu ejus: annulus ornatus eſt non adeò neceſſarius, cur potiùs de calceamentis non es ſollicitus, cùm nudis incedat pedibus? quomodò, *Date annulum in manu ejus?* S. Chryſologus ſubtiliter, ut ſolet, per filium prodigum Te intelligit, dum peccando receſſiſti à Patre cœleſti, miſeræ te tradens ſervituti; per ſtolam primam, innocentiam, & divinam, quam habebas, gratiam; per annulum autem, honorem & dignationem filiationis Dei, conſequenter jus ad paternam hæreditatem intelligit. Hæc omnia peccando amiſeras: Porrò videns Deus pœnitentiam tuam, non ſolùm vult, ut denuò induaris ſtolâ primâ gratiæ, ſed etiam ut reſtituatur tibi jus, quod autè habebas ad paternam hæreditatem, tamquàm filio legitimo ejuſdem conditionis

Non minùs quàm filius prodigus ſtolam primam,

S. Chryſologus.

S. Chryſologus.

S. Chryſologus.

conditionis & ſtatûs, in quo fueras, antequam mandata Dei præterieras: Unde D. Chryſologus. *Non eſt contenta Paterna pietas innocentiam reparare ſolùm, niſi priſtinum reſtituat & honorem*; quidquid perdidiſti per peccatum, per pœnitentiam recepiſti, & *Veſtis innocentiæ* (ut ait B. Albertus Magnus) *quæ per peccatum diſrupta erat, per pœnitentiam reparatur*: Sic ut potiori jure gaudere debeas, quàm Evangelica mulier.

B. Albertus.

Lucæ 15.8 9. *Aut quæ mulier drachmam ſuam, quam perdiderat.*

VII. Lucæ 15.8.9. Perdiderat illa drachmam unam ex decem, quas habebat, accendit lucernam, everrit domum, & quærit diligenter donec inveniat: illâ inventâ, convocat amicas & vicinas dicens: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.* Hoc eſt, ut interpretatur Maderus: *Quod perdidi per peccatum, recepi per pœnitentiam.* Meliùs ad rem noſtram Doctor Angelicus in Cat. in Cap. 15. Lucæ: *In domo propria*, id eſt in ſeipſo, *& in ſua conſcientia oportet perquirere drachmam perditam, id eſt, Regis imaginem, quæ non penitùs deperiit, ſed eſt tecta ſub fimo, qui ſignificat carnis contagia; quibus ſtudioſè abſterſis, id eſt, dilutis per ſolertiam vitæ, eluceſſit quod quæritur*; ſubjungit Angelicè. *Dum aſſueta vitia relinquimus, ipſam etiam domum conſcientiæ emundat Deus ab omni rubigine, ut reluceat Conditoris imago.* Pandat etiam circa hæc ſenſa cordis ſui Magnus Auguſtinus, ex quo doctrinam ſuam hauſit Angelicus. Ipſe te, Captive, alloquitur in Pſalmum 75. *Factus es, ô homo! ad imaginem Dei: Per vitam verò perverſam & malam perturbâſti in te, & exterminâſti à te imaginem Conditoris tui, factus diſſimilis: attendis in te, & diſplicet tibi, jam ex eo cœpiſti ſimilis fieri.* Addit rationem: *Quia hoc in te tibi diſplicet, quod & Deo.* Dum ego tibi gratulor inventam drachmam, quam perdideras, factus per peccatum mancipium; Convoca amicas & vicinas, & dic cum Evangelica: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.* Quod perdidi per peccatum, recepi per pœnitentiam, per peccatum factus eram peccati ſervus, captivus mortis, mancipium dæmonum, vitiorum verbero, criminum compeditus, monſtrum horrendum, informe, ingens; per pœnitentiam *Senſus meus redditus eſt mihi, & Altiſſmo benedixi, & ad honorem regni mei decoremque perveni, & figura mea reverſa eſt ad me.* Ne miremini, nam teſte D. Chryſoſtomo Homil. 61. ad Pop. Antioch. *Sanguis Chriſti floridam nobis reddit regiam imaginem, & in pœnitentiæ aquis lutum dimittitur, turpitudo rejicitur, & vera primogeniaque pulchritudo renovatur*, in tantùm, ut ad illam obſtupeſcat & miretur Dilectus ipſe.

D. Thomas.

S. Auguſtinus.

Danielis 4.31.

S. Chryſoſt.

VIII. Cantic. 8. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto?* 70. legunt. *Quæ aſcendit dealbata?* Quomodo fieri poteſt, ut de mundi hujus deſerto tam rara aſcendat pulchritudo, ut ad illam in admirationem cœlum detur? loquatur hîc Auguſtiſſimus Auguſtinus

Cant 8.5. Septuaginta. *Sponſa pulchritudo ex lotione in ſanguine Agni progenita.*

ſtinus lib. de Cultura agri Dominici. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto dealbata?* S. Auguſtin. *Chriſtus videns pulchritudinem ſponſæ, quaſi miratus exclamat: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata? At ſponſa reſpondit verecundè: Quid miraris pulchritudinem meam, cùm ſcias hanc eſſe opus tuum? niſi enim tu vulneratus de Cruce deſcenderes, ego dealbata* de mundo *non aſcenderem.* Hàc pœnitentiæ viâ reverſa eſt ad te pulchritudo animæ tuæ: *Et laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. Dum enim aſſueta vitia*, & carcerem *relinquimus, ipſam etiam domum conſcientiæ emundat Deus ab omni rubigine, ut reluceat Conditoris imago*, & nullum peccati veſtigium remaneat, nulla cicatrix. Habes hac in parte vadem tuum Pſalmographum Regium pſal. Pſalm. 17. 33. 17. de ſe loquentem: *Poſuit immaculatam viam meam:* & ad hanc rem D. Chryſ. in proœmio in Iſaiam dicit: D. Chryſoſt. *Deus quando peccata abolet, nullam reliquam facit cicatricem, nullum veſtigium ſinit manere, unde colligatur peccatorem fuiſſe*; Porrò ſuper illa Dei miſericordia ad decantandas Deo laudes invitat redemptos omnes, & adhuc in carcere detentos Propheta David, qui illam Dei bonitatem in ſe fuerat expertus. Audite ipſum:

IX. Pſalmo 146. *Laudate Dominum, quoniam bonus eſt pſalmus: Deo noſtro ſit jucunda decoraque laudatio.* Pſal. 146. 1. *Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* S. Hieronym. ad hæc ſcribens quærit 1. quo fine contritos corde ſanare, eorum vulnera alligare & curare, deinde ſtellas numerare, ac numeratas ſuo quamlibet vocabulo nominare dicatur? Quid vicinitatis intercedit inter ſanare vulnera, ligare plagas, ac minutatim ſtellas numerare, & numeratis ſuum cuilibet nomen indere? Certè magno myſterio hoc dictum fuiſſe notat prælaudatus Eccleſiæ Doctor. Multi enim ob peccati fœditatem ſupra ipſos Æthiopes, & orci carbones nigri erant, quorum tu unus eras in carcere exiſtens: de ſuis verò culpis dolentes & pœnitentes, in totidem cœli ſydera immutantur. Do verba ejus: S. Hieronym. *Numerat multitudinem ſtellarum, quando ſanat contritos corde: illos qui antea contriti erant, & poſtea ſanati, vertit in ſtellas. Multi enim fuerant qui peccaverant, multi ſunt qui curati ſunt. Qui numerat multitudinem ſtellarum, non numerat vulneratos, ſed eos numerat, qui jam in ſtellas verſi ſunt.* Illos non habet ampliùs pro vulneratis, pro peccatoribus: ſed tunc verificantur verba Zachar. 14. *In die illa erunt lebetes in domo Domini, quaſi phialæ coram altari*, nigræ lebetes erunt quaſi cryſtallinæ phialæ adeò perlucidæ, ut nomen peccatoris nequidem eis adhæreat: hæc Spiritus ſanctus confirmat.

Quando peccatores per pœnitentiam ſanantur, fiunt ſicut ſtellæ;

Zach. 14. 20. Ac lebetes eorum vertuntur in phialas.

X. Prov. 24. 16. *Septies*, inquit, Prov. 24. 16. *cadit juſtus, & reſurgit:* Quærit D. Hieronym. Epiſt. 46. ad Ruff. Si cadat, quomodò juſtus: ſi juſtus, quomodò tam crebrò cadit? Quæſtioni à ſe objectæ reſpondet: S. Auguſtin. *Quia*, inquit, *juſti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam ſemper reſurgit*; Hinc ibidem egregiè: *Unumquemque judicat, ſicut invenit, nec præterita conſiderat, ſed præſentia.* Si tamen *vetera crimina novellâ converſione mutentur.* Inde pullulat pœnitentis vocabuli

Et juſti ſimpliciter vocantur ac ſi numquam fuiſſent peccatores.

innovatio, ut non ampliùs peccator nominetur, ſed juſtus. *Peccatores jam converſi non debent dici peccatores,* inquit Doctor Angelicus in 2. Timoth. 3. Lect. 2. Sed juſti & ſancti, imò fratres Chriſti, & filii Dei dicendi ſunt, ut aureè dixit Aurelius Auguſt. in pſal. 15. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea, ſed ſpiritalium mutatione obliviſcentur quid fuerint, Nec à me jam vel peccatores, vel inimici, vel homines, ſed juſti & fratres mei & filii Dei vocabuntur.* Nomina unum, quem omnes nôſtis, de quo teſtimonium dedit Spiritus ſanctus.

D. Thomas.

S. Auguſtin.

XI. Actorum 13. In Davidis laudes excurrens Deus, ait: *Inveni David filium Jeſſe, virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Quo veritatis fundamento David putandus erat feciſſe *Omnes voluntates Dei?* An fortè adulterium Berſabeæ, Uriæ cædes, ambitioſa populi recenſitio ad Dei pertinebat voluntatem? Quo ergò pacto David omnes Dei voluntates feciſſe, & juſque mandata peregiſſe dicitur, cùm toties illi refragatus fuerit, obſtiterítque? Ad hæc reſpondet S. Juſtinus Martyr q. 78. ad Orthod. *Per pœnitentiam David delicta correxit, ac proinde uti Dei cor inventus eſt:* In eodem apud Deum loco, tam ſanctus tam charus tantoque laudum cumulo & acervo dignus. Pœnitentiâ abolevit peccata, quorum non tantùm nactus eſt indulgentiam, ſed ea adeò (ſi loqui ſic liceat) Divinis ſunt occultata oculis, quaſi numquam eorum aliquod patratum fuiſſet. Amaræ lacrymæ diu noctuque fuſæ: *Lacrymis meis ſtratum meum rigavi*, ſuſpiria de imo pectore in cœlum tendentia: *Ad Deum meum clamavi*, gemitus, quos vera contritio exhalabat: *Exaudivit vocem fletûs mei*, jejunia & aſperitates, quibus macerabat corpus: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*, rigida pœnitentia, quæ exhauſerat & extenuaverat eum: *Adhæſit os meum carni meæ; lingua mea adhæſit faucibus meis*, tantum potuerunt apud Deum, ac ſi numquam peccâſſet, ac ſi in omnibus omnes feciſſet *Voluntates Dei*, nec umquam primam innocentiam, aut candorem originalem amiſiſſet. *Fecit omnes voluntates Dei: Quia poſt peccatum pœnitentiam fecit*, inquit Auguſtinus, & in eandem ſententiam abit Damianus ſerm. 56. *Tranſlatum eſt peccatum: & ablatum, quod dividebat inter David & Deum; ſublato eo, David idem qui priùs.* David pœnitens nihil mutatus ab eo fuit, qui priùs extiterat. Poſt pœnitentiam factus eſt iterum vir ſecundùm cor Dei. Hæc omnia operata eſt in te pœnitentia tua, Libertate Captive, quidquid per peccatū perdidiſti, pœnitētia reddidit, quidquid per illud mortificatum eſt, per illam revixit; nihil mutatus es ab eo, qui priùs exſtiteras, factus iterum vir ſecundùm cor Dei.

Actor. 13. 22.

Imò ac ſi omnes Dei voluntates feciſſent, ſic tractantur.

S. Juſtin Mart.

Pſalm. 6. 7.

Pſal. 17. 7.

Pſal. 6. 9.

Pſal. 41. 4.

Pſal. 101. 6.

S. Auguſtin.

S. Damianus.

XII. Ingemueras indubiè durante captivitate tuâ, dixeraſque non ſemel in corde tuo cum Job Propheta cap. 29. *Quis mihi tribuat, ut ſim juxta menſes priſtinos, ſecundùm dies, quibus Deus cuſtodiebat me? quando ſplendebat lucerna ejus ſuper caput me. um, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris,*

Job. 29. 2.

Et Deus illis reddit duplicia, ſicut fecit Iob, videns pœnitentiā ejus.

nebris, quando erat Omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei, quando lavabam pedes meos Butyro, & petra fundebat mihi rivos olei, quando in platea parabant cathedram mihi. Et cap. 30. *Nunc autem derident me juniores ..... & factus ſum eis in proverbium.....*

Job. 30. 1.
Verſ. 9.
Verſ. 10.

Abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conſpuere non verentur. Sed quàm illicò mutata ſors eſt! Cap. ultimo: *Dominus converſus eſt ad pœnitentiam Job, & addidit omnia, quæ fuerant Job, duplicia.*

Job. 42. 10.

Eſtne vel verbum, quod non quadret tibi, & omnibus captivis diaboli? Quando à Deo ſtabas, fideliſſimè cuſtodiebat te, ſplendebat lucerna ejus ſuper caput tuum, favor & benignitas ejus te dirigens, lætificans & proſperè diſponens, in tenebris & difficultatibus & doloribus affulgebat tibi, ut inter calamitates ac perplexitates caliginoſæ hujus vitæ inoffenſus incederes; illuminatio gratiæ ejus quaſi fax aut candela lucens ſuper apicem mentis tuæ ſplendebat, teque in omnibus credendis & agendis illuminabat, & obediens lumini ducatum ejus ſequebaris; erat Omnipotens tecum, commodis tuis invigilans; Et in circuitu tuo pueri tui, id eſt, bona opera, quæ circumdabant te; Lavabas pedes tuos Butyro, & petra fundebat tibi rivos olei; Divinæ conſolationis balſamo adeò copioſè perfundebaris, ut non mens tantùm, ſed corpus quòque, uſque ad ipſos, ut ita dicam, pedes, cœleſti voluptate afficeretur; Tunc ſanè petra, hoc eſt aſpera duraque virtutis diſciplina, fundebat tibi rivos olei, adeò ut ex ipſis vitæ auſterioris exercitiis, jejuniis, verberibus, vigiliis delitias caſtas eliceres; Spiritus Angelici parabant cathedram tibi, non in platea, ſed in cœlo, & quidem juxta merita tua, & *prout geſſeras in corpore tuo.* Illi honorabant te, & ſerviebant tibi, & dæmones coram te tremebant. *Nunc autem* poſtquam factus eras captivus diaboli, verſa eſt in luctum lætitia, nihilque tibi niſi mœſtum, durum, aculeatumque ſucceſſit. *Tunc autem* dæmones inſultabant, ſubſannabant te, & in canticum eorum verſus eras, factus illis ludibrio; Sed, laus Deo, Dominus converſus eſt ad pœnitentiam tuam, & reddidit omnia, quæ fuerant tibi, duplicia: ita ut exiens de carcere factus ſis ditior, quàm fueras ante incarcerationem, ſicut Hebræi de Ægypto ditiores egreſſi ſunt, quàm antè fuerant: juxta illud pſal. 104. 37. *Eduxit eos cum argento & auro.*

Per veram pœnitentiã homo fit ſpiritualiter ditior.

Pſal. 104. 37.

Audiſti non ſemel miraculum magnũ, quod factum eſt XIII. 2. Machab. 1. Cùm in Perſidem & Babyloniam captivi ducerentur Hebræi, Sacerdotes acceptum ignem de altari, occultè abſconderunt in valle, ubi erat puteus altus & ſiccus, & in eo contutati ſunt eum, ita ut omnibus ignotus eſſet locus. Cùm verò præteriiſſent anni multi, centum ſcilicet ſexaginta, placuit Deo ut mitteretur Nehemias, qui, cùm ex Sacerdotali genere eſſet, audiſſetque ex majoribus, vel divinitùs didiciſſet locum, qui cæteris erat ignotus, miſit Sacerdotes ad requirendum ignem,

Et ut aqua craſſa ſplendente ſole in ignem converſa eſt ſub Nehemia.

nem. *Et non invenerunt ignem, ſed a-*
2 Mach. 1. 20. *quam craſſam*, juſſitque eos haurire, & ſacrificia, quæ impoſita erant, juſſit Sacerdos Nehemias aſpergi ipſâ aquâ, ſicut & ligna, quæ erant ſuperpoſita. Hoc facto cùm tempus affuit, quo ſol refulſit, qui
Verſ. 22. priùs erat in nubilo: *Accenſus eſt ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* Habes hîc manifeſtum miraculum de ſtrue lignorum, & victimis cœnosâ aquâ perfuſis, ardentibus tamen ad ſolis radios, ita ut meritò omnes mirati fuerint. Vin modò ſcire quid hoc ſit? Ignis ex cœno, eſt virtus ex vitio. Quàm fœdum & graveolens lutum mulier in civitate peccatrix? Petrus pernegans & pejerans? Auguſtinus hæreticus & impudicus, Thaides, Pelagiæ, Cypriani, Magi, & alii? At ubi converſus Dominus, ſol miſericordiæ, evibravit gratiæ ſuæ lumen; *Accenſus eſt ignis magnus, ita ut omnes mirarentur* tam ſubitam mutationem dexteræ Excelſi. Hos hodie mitto, & ad te venio, Liberate Captive, & cum Ribera te alloquor Tract. de templo Lib. 5. Cap. 17. " Quid ignis inventus „ poſt tempus captivitatis, niſi „ charitatem per Sacramentum Pœ„ nitentiæ recuperatam ſignificat? „ Quis putaret umquam ex aqua „ craſſa ſuper hoſtias infuſa ignem „ eſſe exiturum? ſed juſſit in„ fundi Nehemias, & operâ Sa„ cerdotum infuſa eſt, cœleſtique „ virtute ſubitò ex ea ignis eluxit. „ Mirabile eſt, verbis Sacerdotis „ peccata remitti, quæ ſi, ut homi„ nis ſunt, conſiderentur, quam „ vim habere poſſunt, ut animi „ ſordes abſtergant, & offenſiones „ in Deum amoveant magìs, quàm „ aqua craſſa, ut ex ea fiat ignis? „ At jubet Nehemias, id eſt, Chri„ ſtus, victimas jugulari, id eſt, „ peccatorem ſeipſum per contri„ tionem & confeſſionem Deo ma„ ctare, & ejuſdem Chriſti juſſu „ verba & ſententiam ſuper ipſum „ profert Sacerdos, efficitque, ut „ ignis amiſſæ charitatis cœlitùs „ detur, & domicilium Dei, id eſt, „ cor contritum & humiliatum no„ vo lumine, novo calore, novo „ gaudio repleatur." Ita ille. Ignis charitatis, qui in te arſit, fuerunt opera charitatis proximo exhibita, opera bona ex charitate facta: ſed dum à Babyloniis ductus eras in captivitatem, ignis ille per Babylonios, id eſt, per peccata de altari cordis tui ablatus erat, non ex toto extinctus: quia non ſunt opera mortua, ſed mortificata; Si ſtante captivitate veniſſet aliquis ad requirendum ignem, non inveniſſet ignem, ſed aquam craſſam: fœdum enim & malè olens lutum erat tunc anima tua, & quæ antea ignea eſſe ſolebat, facta erat aqua craſſa; At ubi ſol Divinæ miſericordiæ evibravit gratiæ ſuæ lumen ſuper ligna, aſperſa cœnosâ aquâ, lacrymis tuis, in Sacramento Pœnitentiæ, *Accenſus eſt ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* Ignis amiſſæ Charitatis cœleſti virtute iterum ut antè accenſus eſt, ſi non factus ſis ferventior. Petrum nôſti ante lapſum, ubique ab amoris igne impetum facientem? Hic poſt lapſum factus eſt lutum aut aqua craſſa, Deum pernegans & pejerans: Sed ad ardentes

Ita ſole juſtitiæ in corde ſplendente cœnum peccatorum in charitatis ignem mutatur.

Ribera.

Et magìs quandoque poſt ardeſcis quàm ante lapſum.

tes Divini ſolis radios (reſpexerat enim eum Dominus) cœpit flere, Lucæ 22. 61. & ex aqua craſſa *Accenſus eſt ignis magnus*. Quæritis quàm magnus? dicat pro me æterna Veritas.

Joan. 21. 15. XIV. Joan. 21. 15. Interrogat eum Magiſter ejus: *Simon Joannis diligis me plus his?* quidni plus diligeret? cui enim plus dimittitur, plus diligit; hinc Eccleſiæ Doctor S. Ambroſius. Ambroſius de Neg. Petr. *Felicius ille cecidit, quàm alii ſteterunt*: Quod autem plus aliis dilexerit, oſtendit Verſ. 7. manifeſtè Evangeliſta Verſ. 7. Piſcabatur ille cum nonnullis contribulibus, dum Chriſtus in littore viſus eſt. Agnovit Joannes Magi- Vt in Petro patuit. ſtrum, qui dixit Petro: *Dominus eſt*: Hoc audiens Petrus, ſtatim *Tunicâ ſuccinxit ſe, & miſit ſe in mare, cæteri verò navigio venerunt.* D. Chryſ. Ne quis miretur, inquit Chryſoſt. *Petrus namque ferventior erat, & ideò promptiùs venit ad Chriſtum.* Sed unde illi tantus fervor? ex aqua. Quis putaret umquam ex aqua ignem exiturum? Audite N. N. ad hanc interrogationem D. Maxi- S. Maximus. mum Serm. de Pœnit. Petri: *Videte quantum fletus profuerit Petro, ... antequam fleret, lapſus eſt, poſtquam flevit, electus eſt, & qui ante lacrymas prævaricator exſtitit, poſt lacrymas Paſtor aſſumptus eſt, & alios regendos accepit, qui ſe ipſum* Verſ. 20. *non erexit.* Verſ. 20. Videns illum Diſcipulum, quem diligebat Jeſus, ſequentem, dicit Jeſu: *Domine hic autem quid?* Stupet Chryſ. ad hanc Matth 26. 21 Petri interrogationem; Matth. 26. 21. Dixerat Salvator in cœna noviſſima: *Unus veſtrûm me traditurus eſt*, non audet Petrus interrogare quis eſſet futurus proditor, rem committit recumbenti ſupra pectus Domini, nempè Joanni: *Erat autem recumbens unus ex Diſcipulis ejus in ſinu Jeſu, quem diligebat Jeſus. Innuit ergò huic Simon Petrus, & dixit ei, quis eſt, de quo dicit.* Joan. 13. 24. Cur non audet modò interrogare Magiſtrum, qui auſus eſt interrogare poſt lapſum? Pandit Myſterium Cajetanus: *Petrus antequam negaret Chriſtum, interpellabat Joannem, ut interrogaret Jeſum, ut intelligamus in magis internam amicitiam Dei adſcribi quandoque homines poſt crimina, quàm antè habuerant.* Cajetanus. Igne amiſſæ charitatis cœlitùs reaccenſus, novo lumine, novo calore agebat cum Chriſto confidentiùs: ut hinc diſcas N. quod per pœnitentiam non ſolùm opera mortificata reviviſcant, ſed quod inſuper novo charitatis igne accenſus, etiam poſt incarcerationem, cum Deo agere poſſis confidentiùs, & ex aqua craſſa exire poſſit ignis magnus. Obſervatione digna eſt interrogatio à Deo facta.

XV. Job 28. 22. *Numquid ingreſſus es theſauros nivis, aut theſauros grandinis aſpexiſti?* Job 28. 22. Quales, *Qui verò potuit dici theſaurus nivis.* quæſo, theſauri reperiuntur ſub frigida & congelata nive, aut tempeſtuoſa grandine? Divinam mentem exponit S. Gregorius Lib. 29. Mor. S. Gregorius. cap. 11. *In nive vel grandine, frigida vel dura accipimus corda peccatorum*, in quantum illi peccando privati ſunt ardore charitatis: nihilominùs contingit frequenter, quod multi ex illis ita illuminentur Divinâ gratiâ, ut relicto carcere diaboli,

diaboli, & contriti de peccatis ſuis, ex cœnoſa aqua aut frigida nive, cœleſti virtute in iis ignis eluceat, & tanto ſpiritûs fervore perfundantur, ut dici poſſint proprius theſaurus Dei; Hinc ſubjungit idem Pontifex:
Idem. *Sed quia Omnipotens Deus Sanctos ſuos de talibus eligit, aptè theſauros nivis & grandinis habere ſe perhibet.*
S. Chryſ. S. Joan. Chryſ. Hom. 12. ſuper Epiſt. ad Hebr. Magna eſt, inquit, pœnitentiæ virtus, ſiquidem nos ſicut nivem efficit, & ſicut lanam dealbat, etiamſi antecedens peccatum inficiat animas noſtras. O ſancta pœnitentia! virtutes tuas quis enarrabit? tu ſalvas homines, lætificas Angelos, placas Deum: tu de oleaſtris olivas facis, de hircis agnos, de corvis columbas, de canibus filios Dei: tu mutas Moabitas in Iſraëlitas, Samaritanos in Judæos, meretrices in virgines, peccatores in ſanctos: de ſylvis hortos facis amœnos, de lapidibus filios Abrahæ, de feris homines, de terra cœlum, de inferno Paradiſum, de hominibus Angelos.

3. Reg. 6. 23. XVI. 3. Reg. 6. 23. Deſcribitur figura & fabrica templi, quod ædificavit Domino Rex Iſraël. Inter alia *Fecit in oraculo duos Cherubim de lignis olivarum.* Quo, quæſo, myſterio hoc à Deo putatis ordinatum, & à Salomone executioni mandatum? Quid ligno inſenſato cum Cherubim, puriſſimis & ſapientiſſimis Angelis? Arcanum egregiè referat S. Bruno de Laud. Eccl. Cap. 4. dicens, quod Deus hoc facto voluerit demonſtrare, quantò faciliùs potuiſſet ex hominibus, licèt infectis multis humidis peccatis, Angelos facere. Unde converſus ad peccatores quantumcúmque perverſos, eos alloquitur: *Tu quoque ſi vis, Cherubim fieri potes: melius enim ex hominibus, quàm ex lignis fiunt.... Cherubim: & multi quidem ex hominibus Cherubim facti ſunt. Vis videre Cherubim? reſpice Petrum, reſpice Paulum, reſpice Magdalenam.* Quàm dura ligna videbantur hi? Paulus per ſævam perſecutionem factam Chriſto & Eccleſiæ? Petrus per obſtinatam triplicem negationem? Magdalena per laſciviam ſuam habituatam? & tamen pœnitentes, facti ſunt pretioſus theſaurus Dei, & tam perfecti, quàm ipſi Angeli & Cherubim, quid ni dixerim perfectiores?

Et ex homine Cherubim effectus. S. Bruno.

XVII. Rem ſane tremendam, & ex Divinis oraculis erutam nobis ob oculos ponit D. Hieronymus: Obſervat ille olim ſortem plerúmque longè feliciorem fuiſſe ſecundogenitorum quàm primogenito. Primogenitus erat Cain, hunc tamen favoribus Abel præcellit. Primogenitus Iſmael, charior tamen Iſaac. Primogenitus Eſau, magìs dilectus Jacob. Primogenitus Ruben, gratior tamen Judas. Primogenitus Manaſſes, ſed huic prælatus Ephraim; & ut reliquos taceam, Primogenitus Eliab, Davide tamen poſterior. Sed quid Patres per Primogenitos intelligunt? Innocentes & Sanctos. Ita Theophilactus, Tertullianus, Cyprianus & alii. Illos tamen in Eccleſia à Deo non invenio in ſublimiori gradu collocatos, ſed ſecundogenitos, quos ego pœnitentes appello, &

Ac primogenitis prælatus ex ſecundo natu.

quibus priores poſtpoſiti videntur. Siquidem in Eccleſia pro Principibus ejus non utrumque Joannem video, qui innocentiſſimi & ſanctiſſimi fuerant, ſed Petrum perjurum & Paulum ſanguinarium. Aſt quid hoc ſibi vult? ut videant omnes captivi, adhuc in diaboli carcere degentes, ad quantum dignitatis & excellentiæ gradum, ad quantam etiam ſanctitatem evehi poſſint, & quod ipſis innocentibus etiam Spiritibus Angelicis meritorum cumulo valeant antestare, illoſque prætergredi, & eminere ſupra illos in ſanctitate. Et hæc tibi, Liberate Captive, dicta ſunto, ut grandes jam animos ſumas, dignitatem tuam per pœnitentiam recuperatam agnoſcens; de qua dum tibi iterum gratulor, abrumpo.

FERIA VI. DOMINICÆ IV. ADVENTUS.

De Captivitate Petri.

Conſideranſque venit ad domum Mariæ, matris Joannis. Act. 12. v. 12.

Habet Captivus unde gaudeat, quod de carcere liberatus priſtinæ integritati redditus ſit.

I. GRatulor tibi denuò, quondam Captive, quod libertate donatus, per pœnitentiam totum tibi ſit redditum, quidquid peccando amiſeras: quod exhæredatio, quam ob ingratitudinem & gravem injuriam Deo illatam, juſtè incurreras, intuitu tui jam ceſſet, quodque reconciliatus Patri, factus ſis iterum filius ac hæres Dei. Habes quod convoces amicos & vicinos & congratulentur tibi inventam drachmam, quam perdideras, de mancipio diaboli priſtinæ innocentiæ ita reſtitutus, ac ſi numquam peccaſſes: ſed cùm ad finem properemus, habeo hodie adhuc verbum ad te, quod tamen non eloquar, niſi priùs ſalutavero hactenus à nobis ſalutatam, dicendo: *Ave Maria.*

II. Petrus qui hucuſque attonitus extra ſe fuerat, mente quaſi à ſe alienatâ, ad ſe reverſus dixit: *Nunc ſcio verè, quia miſit Deus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis:* Quid ais Petre? *Nunc ſcio verè quia miſit Deus Angelum ſuum? Nunc?* An ergò non ſciviſti dum adhuc in carcere eras, quod miſerit ad te Deus Angelum iſtum? Num lumine circumdatum vidiſti? Num ſenſiſti percutientem latera tua, & excitantem te? Num ipſe eſt, qui diſſolvit catenas de manibus tuis, portam carceris aperuit, & eripuit te de manu Herodis? Cur ergò dicis: *Nunc ſcio verè? Nunc* ſolummodò ſcis Deum Angelum ſuum miſiſſe, quando extra carcerem es? Quare? quia hucuſque putavi me in extaſi mentis vidiſſe

quæ

quæ vidi, vel ſomnium eſſe: *Exiſtimabam me viſum videre.* At nunc verâ, reali, & experimentali notitiâ deprehendo non extaſim fuiſſe, ſed certus ſum, quod eripuerit me de manu Herodis, *Nunc* cùm me extra carcerem video, *Nunc* cùm proceſſi vicum unum, longè exiſtens à carcere, *Nunc ſcio verè*: quia ut rectè S. Cyprianus Lib. 1. Epiſt. 11. *Nemo diu tutus eſt periculo proximus.* Quantumcùmque tamen certus de ſua liberatione, non eſt adhuc ſecurus: unde *Conſideransſque venit ad domum Mariæ Matris Joannis.* Conſiderans Petrus periculum, inquit Ugo, in quo verſabatur, undeque evaſerat, & quod facilè iterum poterat incidere in manus Herodis, ſubduxit ſe, & venit ad domum Mariæ. Conſiderans ubi eſſet, & quò divertere poſſet, ne à militibus caperetur, & iterum in carcerem mitteretur, *Venit ad domum Mariæ*, & inde *abîit in alium locum.* Liberate Captive, ſpero quod cum Petro dicere poſſis: *Nunc ſcio verè quia miſit Deus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis* infernalis. Apoſtolus te alloquitur Gal. 5. *Noli iterum jugo ſervitutis contineri.* Conſidera ubi ſis, ne iterum à militibus capiaris, & in carcerem mittaris, ne poſterior captivitas fiat pejor priore. Hoc tibi hodie dictum volebam: tu aures arrige, dum ego incipio.

Sed ne iterò captivetur ſubducat ſe occaſionibus cum Petro.

III. Quis non miretur Iſraëlitici populi ſtoliditatem Num. 14.? A duræ ſervitutis jugo liberaverat eos Dominus, vaſis eos aureis & argenteis locupletârat, in columna nubis per diem, & ignis per noctem itineris ducem ſe præbuerat, mare rubrum in floridas ſemitas aperuerat, inimicum in eo ſubmerſerat, annis quadraginta mannâ cœleſti illos cibârat, ex petra aquas limpidiſſimas, & melle dulciores fecerat ſcaturire: Quid ultrà potuit facere & non fecit? & ecce vix pedes è miſera ſervitute extulerant, manuſq; nefariis vinculis exuerant, quin ingratiſſimus populus vociferans ait: *Nonne melius eſt reverti in Ægyptum?* Ita, ita: *Conſtituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum.* Ad hæc verba ſtupore plenus exclamat Lyranus: *Nota Hebræorum ſtoliditatem.* Miratur jam aliquis veſtrûm, quod omnes in deſerto morti addicti ſint, & ex 600000. dictam terram nullus intraverit præter Caleb & Joſue? Miretur hoc qui voluerit, ſed magìs ego, dum video non paucos Chriſtianos, virtute ſanguinis Chriſti de carcere diaboli liberatos, rurſus redire ad ſervitutem. Audite Deum uni ex his improperantem Jeremiæ 2. 36. *Quàm vilis facta es, iterans vias tuas?* ſeu ut habet Gloſſa interlinealis *Iterans peccata tua*, 70. legunt: *Deſpexiſti vehementer ut iterares.*

Neque in Ægyptū redire velit poſt tot beneficia cū ſtolidis Hebræis. Num. 14. 4.

Lyranus

Jeremiæ 2. 36

IV. Contra hujuſmodi recidivos pandit etiam Eccleſiaſticus ſenſa cordis ſui Cap. 26. *In duobus contriſtatum eſt cor meum, & in tertio iracundia mihi advenit: Vir bellator deficiens per inopiam: & vir ſenſatus contemptus: & qui tranſgreditur à juſtitia ad peccatum, Deus paravit eum ad romphæam.* Duo, inquit, ſunt, quæ conturbant ſpiritum

Eccli. 26. 25.

Tales enim Deum ad iracundiam provocant.

tum meum, & exanimant me, unum, videre bellatorem pro Patria ponentem animam ſuam, perire præ inopia: alterum, videre virum ſenſatum contemptum, juxta illud Eccleſiaſtæ Cap. 10. *Eſt malum quod vidi ſub ſole, poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & divites* divitiis virtutum, *ſedere deorſum, ſervos in equis, & principes ambulantes quaſi ſervos ſuper terram.* At in tertio, inquit, *iracundia mihi advenit*, dum video juſtificatos rurſus tranſgredi à juſtitia ad peccatum, libertate donatos rurſus redire ad carcerem, &, ut cum Tertull. loquar Lib. de Pœnit. Cap. 1. *Semetipſos execrantes quia benè fecerint.* Salvianus Lib. 4. de Provid. gravitatem recidivæ deſcribens, recidivos diaboli pœnitentes vocat: *Taliter*, inquit, *omnia agunt, ut eos non tam putes antea pœnitentiam criminum egiſſe, quàm poſtea ipſius pœnitentiæ pœnitere, nec tam prius pœnituiſſe, quod malè vixerint, quàm poſtea, quod prius ſe promiſerint bene victuros.* Tertull. Cap. 5. irâ ſanctâ eos aggreditur: *Nonne (quod dicere quòque periculoſum eſt, ſed ad ædificationem proferendum eſt) diabolum Domino præponitis? Comparationem enim videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit, & indicat ſe pronuntiaſſe eum meliorem, cujus ſe rurſus eſſe maluerit. Ita qui per delictorum pœnitentiam inſtituerat Domino ſatisfacere, & diabolo per aliam pœnitentiam pœnitentiæ ſatisfaciet.* Quid abominabilius, quid deteſtabilius valet excogitari? Vultis vobis unum talem hominem? do Saülem Regem.

Eccle. 10. 6.

Tertull.

Salvianus.

Et dum eos quaſi pœnitet prioris pœnitentiæ, diabolū Deo præferunt.

Tertull.

V. 1. Reg. 19. 9. Factus erat Spiritus Domini malus in Saül, eratque ab illo crudeliſſimè agitatus: *Porrò David pſallebat manu ſuâ*: eumque furore percitum & mente alienatum lyræ & cantionum modulis ſanabat, ſed quam tot beneficiorum mercedem reportavit? quam? *Niſus eſt Saül configere David lanceâ in pariete*: Res mira! à dæmonum agitatione liberatur, & pejor Saül quàm antè evadit, & cædes pro præmio Davidi intentatur. Ad hæc exclamat Baſilius Seleucienſis Orat. 15. Quænam iſta beſtialitas, illi mortem intentare, qui vitam dederat. *Paululùm à dæmonum exitu levatus Saul, medicinæ pretium cædem obtulit, quaſi ad mentem ſobriam ideò ſe recepiſſet, ut iterum ſerviret invidiæ:* Liberate Captive, jam ego verbum ad te; factus eras captivus diaboli, ab illo crudeliſſimè tractabaris. Porrò David *Paternè miſericordiâ amatoriè deprecans*, ut loquitur D. Dionyſius Areop. *ne perires: Pſallebat manu ſuâ dulciſſimis modulis: Ego te abſolvo*, liberans te: tunc *Ceciderunt catenæ*, quibus vinctus eras, *De manibus tuis*, tunc de carcere diaboli educebaris, priſtinâ libertate donatus. Vide ne *Paululum à dæmonum exitu levatus medicinæ pretium cædem offeras, quaſi ad mentem ſobriam ideo te recepiſſes, ut iterum ſervires invidiæ*, & quantum in te eſt, denuò crucifigeres Deum, & lanceâ percuteres. Unde quod Joan. 5. 14. Salvator noſter Paralitico, tibi dico: *Ecce ſanus factus es, noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat:* Audiendus hìc purpuratus.

1. Reg. 19. 9.

Verſ. 10.

Non minùs arguendi, quàm Saul dum liberatorem ſuum Davidem lanceâ configere voluit in pariete.

S. Baſilius.

S. Dionyſius.

Joan. 5. 14.

Ugo Card. tus Ugo: *Tria*, inquit, *dicit: commemorat præcedens beneficium, prohibet peccatum, comminatur ſupplicium. In primo allicit ad amorem, in ſecundo cautum reddit ad gratiæ conſervationem, ne amittatur per peccatum: in tertio incutit timorem.* Idipſum dico tibi:
Exod. 13. 3. *Ecce ſanus factus es: Memento diei hujus, in qua egreſſus es de domo ſervitutis*, Exod. 13. *Memineris diei egreſ-*
Deut. 16. 3. *ſionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ.* Deuter. 16. Jam ergò noli peccare, noli incidere in priorem culpam; ne deteriùs tibi contingat, id eſt, ne recidas in majorem pœnam. Quid? ne deteriùs contingat? an ergò poſt recidivam pejor ſit animæ ſtatus? quis dubitat?

VI Quærit Angelicus 3. p. q. 88. a. 1. Utrum peccata per pœnitentiam dimiſſa redeant per ſequens pecca-
D. Thomas. *Recidivi magis ingrati & graviùs peccant.* tum? & reſpondet art. 2. *Peccata per pœnitentiam dimiſſa redire dicuntur, in quantum reatus eorum, ratione ingratitudinis, virtualiter continetur in peccato ſequenti.* Si poſt repetitas iterum, iterumque confeſſiones aut carceris egreſſiones, rurſus ad peccata perpetranda redieris, ſi denuò incarcereris, non ſolùm poſtremi illius ſceleris, quod tunc committes, ſed & priorum omnium quodammodò reus conſtitueris: quia hæc in poſteriori peccato quaſi reviviſcunt, & veneni aliquid in illud refundunt, non ſecùs quàm baſiliſcus, de quo Solinus teſtatur: *Vis nocendi*
Solinus. *ne mortuo quidem deeſt: Ex hoc ſcilicet ſolo*, ut inquit Doctor Angelicus, *quod contemnatur Dei bonitas,*
S. Thomas. *quæ ad pœnitentiam exſpectat. Multùm autem magis contemnitur Dei bonitas, ſi poſt remiſſionem prioris peccati, ſecundò peccatum iteretur, quantò majus eſt beneficium peccatum remittere, quàm peccatorem ſuſtinere.* Contemptui enim in repetitis delictis habetur, non ſola Dei præcipientis voluntas, ſed ipſa etiam vilipenditur gratia, quâ prior noxa dimiſſa eſt. Ægrè admodùm Princeps ad condonandum rebelli inducitur: ſed de novo ſi rebellionem excitaverit, maximoperè iſtud facinus ob præcedens delictum aggravatur; ſic ad rem noſtram, peccatum ſubſequens peccati præteriti reatum quodammodò in ſe continet: ſicque ſi peccatum iteres, peccabis graviùs, utpotè magìs factus liberationi tuæ ingratus, magìſque perverſus, & divinæ contemptor bonitatis. Ingratitudo iſta tanta eſt, ut ex oculis Chriſti lacrymas eliciat.

VII. Appropinquans Jeſus Jeroſolymam: *Videns civitatem flevit* Luc. 19. 41.
ſuper illam. Lacrymæ pretioſæ! ſed *Eliciuntque lacrymas ex oculis Salvatoris magìs quàm alii, ut in fletu ſuper Ieruſalem patuit.* ſuper quo flevit? ſuper Jeruſalē illuminatam, religioſam, ſanctam. Super illam plangis, Salvator, & ſuper tot civitates idololatras, paganas, ſine fide, ſine lege, ſine pietate extincta eſt compaſſio tua? Extra Palæſtinam offeruntur ſacrificia impura, idololatriæ committuntur execrandæ, & ſuper omnia delubra fumant idolis incenſa ſacrilega: & ad fumum adeò abominandum non flent oculi tui benedicti, ubi lacrymas fundis ſuper Jeruſalem, in qua indies immolantur Deo holocauſtomata religioſa & puriſſima thymiamata? *Flevit ſuper illam.* Ne quis miretur, exclamat Theophil. *Nemo* Theophil.
gentilis fletur, ſed ille, qui fuit de Jeruſalem, & eſſe ceſſavit. Quod aliquis

gentiliter vivat, qui ſemper gentilis fuit, quod malè vivat, qui ſemper malus, malum eſt, ſed utcùmque tolerabile in comparatione alterius; & ideò Deus videt, ſed non deflet. Aſt quod aliquis de Jeruſalem fuerit, & eſſe deſinat, quod fuerit aliquando ſanctus & juſtus, & modò injuſtus fiat & malus, hoc ex oculis Jeſu lacrymas elicit. *Fletur qui fuit de Jeruſalem, & eſſe ceſſavit.* Liberate Captive, tempore captivitatis tuæ eras Babylonius, at per pœnitentiam *Factus es de Jeruſalem*, divinâ regeneratus gratiâ, Sacramentis Paſchalibus paſtus, madefactus & intinctus Sanguine Redemptoris ſicut Jeroſolyma: ſi ceſſes de Jeruſalem eſſe, ſi relabendo denuò deſcendas *De Jeruſalem, in Jericho*, aut Babyloniam, tunc de te verificabuntur verba Origenis Homil. 5. *Omnes lamentationes, quas legimus in Jeruſalem, omnes querimoniæ, quibus eam plangit Deus, ad nos pertinent, qui guſtavimus ſermones Dei, & poſtea mandatis ejus contraria facimus.* Prædicator Gentium vix ſe continet, dum videt tot dari hodie inter Chriſtianos, qui vix ſunt facti de Jeruſalē, & ſtatim eſſe ceſſant; unde indignatione plenus illos aggreditur.

Origenes.

VIII. Galat. 1. 6. *Miror quod tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit per gratiam Chriſti*, quaſi diceret, inquit Corn. *Miror quod à Chriſto, qui vos vocavit per gratiam, tam citò transferamini, & gratia ejus ſitis tam ingrati & immemores, camque aſpernemini:* Quia revera, ut benè D. Cyrillus Noſter Alexandrinus lib. de Ador. in ſpiritu: *Ærumnoſiſſimum eſt, iterum velle laborare ex morbo, à quo per virtutem Dei ſemel erepti ſunt.* Imò tam ærumnoſum, ut quiſque illorum ab Eccleſiæ Capite 2. Pet. 22. immundus vocetur porcus: *Sus in volutabro luti.* Et meritò, inquit D. Gregor. *Quia ſicut ſus cùm in volutabro lavatur, ſordidior redditur, ſic licèt qui admiſſum plangit, nec tamen deſerit, pœnæ gravioris culpæ ſe ſubjicit, quia ipſam, quam flendo potuit impetrare veniam, contemnit, & quaſi in lutoſa aqua ſemetipſum volvit: quia cùm fletibus ſuis vitæ munditiam ſubtrahit, ante Dei oculos ſordidas ipſas etiam lacrymas facit.* Vide ergò ne & tu relabendo ex illis ſis, & noli iterum te conjicere in carcerem, à quo per virtutem Dei ſemel ereptus es, ne de te verificentur verba Spiritûs ſancti.

Gal. 1. 6.

Cornelius à Lapide. *Hinc Paulus acerrimè increpat eos, qui à gratia tam citò transferuntur.*

Cyrill. Alex.

2. Pet. 22.

D. Gregorius. *Porcisque aſſimilantur à Petro.*

IX. Prov. 26. 11. *Sicut canis, qui revertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam.* 70. legunt: *Sicut canis cùm revertitur ad vomitum ſuum, & odibilis efficitur, ſic ſtultus malitiâ ſuâ revertens ad peccatum ſuum.* Explico me. Canis multâ aviditate comedens, utpote ex natura vorax, tibi faſtidio eſt, at ſi cibum, quem gravatus ejecerat, iterum manducet, horrorem cauſat in oculis tuis, ſic imprudens, ſic incipiens, qui iterat nequitiam ſuam poſt confeſſionem, horribilis fit coram Domino. Labenti ex fragilitate in peccatum, facilè Deus compatitur, at ſi poſt confeſſionem ad peccata præterita redeat, & canum inſtar vomitum ſuum manducet, cœlo, Angelis, Deo ipſi *odibilis efficitur:* quia palam & liquidè oſtendit, quod non ex fragilitate, ſed ex merâ tunc peccet malitiâ: unde in caſu reci-

Prov. 26. 11.

Et cani ad vomitum revertenti à Spiritu S.

D. Auguſtin. divæ te alloquitur Magnus Auguſt. lib. de Bapt. *Si canis hoc faciens horret oculis tuis, tu quid eris oculis Dei? ô ſtulte! ô inſipiens!* Longiùs abit Mellifluus ſerm. 3. de Aſſump. obſervans quod ſicut canis, dum vomitum ſuum in os reſumit, majus ſibi damnum cauſat, utpotè corruptum, aliiſque mixtum immunditiis cibum devorans: ita & tu, ſi in eaſdem denuò ſordes reincidas, aut ob eadem delicta denuò in carcerem diaboli conjiciaris, reduceris ad ſtatum pejorem priore ob novam malitiam, aliorumque peccatorum adhærentiam.

S. Bernardus. Do verba ejus: *Fis filius gehennæ multipliciter, dum poſt indulgentiam delictorum, in eaſdem denuò ſordes incideris.* Hinc Apoc. 22. 15. audivit Joannes vocem de cœlo clamantem

Apoc. 22. 15. *Foris canes.* Scire deſideras quinam hi canes ſint? Rupertus ibidem nominat eos: *Canes ſunt omnes ſtulti,*

Rupertus Abbas. *qui ita revertuntur ad ſtultitiam, ſicut canis revertitur ad vomitum.* Ratio eſt, inquit Os aureum Hom. 2. de Lapſu primi hom. Quia: *Qui poſt curam ſeipſum vulnerat; & qui indulgentiæ ingratus eſt & poſt veniam pec-*

D. Chryſoſt. *cat, ſanitate indignus eſt: nec mundari meretur, qui ſeipſum poſt gratiam ſordidat.* Sed quid Patres adduco, dum ex parte Dei clamantem habeo Ezechielem Prophetam c. 17.? *Numquid proſperabitur vel conſequetur ſalutem, qui fecit hæc? & qui diſſolvit*

Ezech 17. 15 *pactum, numquid aufugiet? Vivo ego*

Nec ampliùs veniâ digni ſunt. *dicit Dominus ..... in medio Babylonis morietur:* Item per Angelum præ-

Vers. 16. conem ſuum cœleſtem Apoc. 21. *Timidis & incredulis & execratis*

Apoc. 21. 8 *pars illorum in ſtagno ardenti igne & ſulphure.* Si quærat aliquis quinam ſint illi execrati? illicò reſpondebit S. Bernardinus Senenſis: *Execratis, id eſt, revertentibus ad peccata enormia poſt eorum condonationem, ſicut canis ad vomitum.* Sic incredulos unit cum execratis, ut primò incredulos, dein ponat execratos: Quare? quia totum malum illorum provenit ex eo, quod veram fidem non habeant, nec infernum credant, nec cœlum, fortè nec ipſum Deum: unde licèt Chriſtiani dicantur & credentes, nihil tamen, teſte Clemente Alexand. lib. 2. differunt ab iis, qui omninò non credunt, tam evidenti ſigno reprobationis, ut D. Gregorius Hom. 3. in Ezech. aſſerat: *Frequens prolapſus aperitiſſimum ſignum eſt damnationis æternæ.*

Incredulis ſimiles facti in operibus. S. Bernardin. Seneuſ.

S. Gregorius. *Frequens recidiva ſignum eſt reprobationis.*

X. Dices: ergòne actum eſt de animæ meæ ſalute, ſi patiar recidivam, & ſi de diaboli carcere liberatus, me rurſùs in illum conjiciam? Reſpondeo, & do duo genera recidivantium, qui vixdum è carcere liberati, mox in illum relabuntur. Primum eſt eorum, qui cadunt quidem, poſtquam confeſſionis beneficio ſurrexerant, ſed cadunt rariùs, cadunt cum magno animi ſenſu, ſemper ſtare cupientes. Aliud eſt genus relabentium, eorum nempe, qui vix à vinculis abſoluti, nullâ ſecutâ morum emendatione rurſus ſervitutis jugo ſe ſubjiciunt, vix elutis ſordibus (ſi elutis) nullo animi ſenſu denuò ſe conſpurcant, divinam opem ad vitanda peccata non implorant, occaſiones relabendi non fugiunt, ſed in illis magnâ temeritate ſe

Recidivi ſunt in duplici differentia.

ſe ingerunt. Hi ſunt, de quibus Gregorius ſuprà: *Frequens prolapſus, apertiſſimum ſignum eſt damnationis æternæ*: Ex tribus potiſſimùm capitibus, ex parte relabentium, dæmonis, & Dei.

S. Gregorius. *Illi peſſimi, qui ſine ullo remiſſu relabuntur toties quoties.*

XI. Ex parte relabentis ſcio recidivum inniti potiſſimùm Confeſſionibus, quas dum ipſe putat ſuis numeris abſolutas, ego plerúmque ſuſpectas habeo: metuens ne multum ad illarum integritatem deſit. Relabor, inquit, ipſe poſtea reſurgendi, & quod ex caſu meo, veluti Anteus, evadam vegetior, & quidem hâc vice tantùm, & non ultrà caſurus. Audivi non ita pridem ex te verba hæc: & tamen (ſi non errem) proferebas in ultima confeſſione tua omninò contraria: dicebas enim de peccatis tuis contritus, te non caſurum ampliùs, confirmare volebas voto, imò & promittere aliquando cum juramento, ſubſignabaſque pœnitentialibus lacrymis: erat propoſitum tuum tam firmum & virile, ut mori maluiſſes quàm peccare denuò: & tamen ad primam occaſionem ſub eodem propoſito iterum relapſus es, idque ſub eadem ſpe, reſurgendi & non peccandi ampliùs. Perſuadere tibi poteris quod frigidum illud *Non ampliùs*, corde jam ſaucio & ad peccata inclinato prolatum, te ab illis retinebit, quod pœnitente & flente prolatum non potuit? ſi illud *Non ampliùs* pro quo ſpopondit gratia, quâ adjutus iſtud protuliſti, non ſtet verbo ſuo, ſtabit illud quod ſponſorem habet, in quod relaberis, peccatum? relaberis & iſtâ vice, & hunc relapſum ſequentur novi, reſumes annulos, & ſequetur catena illa, quæ tot lacrymas elicuit ex oculis Auguſtini. Te teſtem volo: dum juſtus es, habes gratiam habitualem, quâ particeps naturæ Divinæ efficeris: habes cum illa habitus infuſos, inclinantes ad bonum: habes Deum lege amicitiæ obſtrictum, ut tibi aſſiſtat auxiliis ſuis ad minùs ſufficientibus, quia non deſerit niſi deſertus: in ſtatu es, & in hypotheſi tali, ut ſufficiat non velle cadere, & tamen, ut propriâ confeſſione tuâ palam innoteſcit, tam durum tibi accidit in peccata non relabi, ut protinùs relapſus ſis: quantò ergo poſt relapſum difficiliùs accidet, à lapſu reſurgere? Numquid tunc magìs debilis, languidus, & animi viribus magìs exhauſtus eris? Numquid pravæ habitudines ſument incrementa, & perfidæ inclinationes fient pejores? quidni ergò dixero, quod frequens prolapſus apertiſſimum ſignum ſit damnationis, & fermè idem ſit, ſæpiùs ad peccandum relabi, & ad damnationem conſcribi. Inficiari num forſan mihi poteris, ſi in caſu multiplicis recidivæ te Sampſoni comparavero, non ſemel ab hoſtibus victo?

Et temerariò tales dicunt, quod erunt ultima vices, cùm jam gratiâ per recidivã privati, non tam fortes ſint quàm antè.

XII. Jud. 16. Quàm infauſtè in Philiſthæorum manus illapſus eſt ille! ſpectaculum ſanè miſeratione dignum, videre hominem alioquin fortiſſimum, ludibrium plebis adeò abjectæ, clauſum carcere, vinculis gravem, utroque orbatum lumine, jumenti inſtar molæ applicatum, tandem mortem invenire. Quis non miretur virum adeò formidandum, qui rudentes circumpoſitos rumpebat,

Jud. 16.

Sed potius Sampſoni ſimiles, à quo receſſerat Dominus.

bat, ut ſtipulam paleæ, ad ardorem ignis diſſolutam? qui civitatis portas æneas è cardinibus avulſas, humeriſque impoſitas auferebat, qui leones manu inermi dilacerabat, & qui integros exercitus debellabat, talem habere epilogum? Quomodò miſer Sampſon ad tanta pervenit mala? Videbat ille quod ſemel vinctus funibus Philiſthæorum rupiſſet vincula, quomodò ſi quis rumpat filum de ſtupa: & hinc factus audacior, auſus eſt redire in domum Dalilæ, ſecundò & tertiò dicens: *Egrediar ſicut antè feci, & me excutiam; neſciens quod ab eo receſſiſſet Dominus.* Dormiente enim illo in ſinu perfidæ hujus mulieris, raſis crinibus receſſit ab eo omnis fortitudo, captuſque eſt à Philiſthæis vinctus & victus. Quàm appoſitè exclamat D. Ambroſius: *Faciam quod ſoleo, & excutiam me ſuper adverſarios meos: ſed nec virtutem agnovit, nec vigor erat, nec gratia remanebat.* Liberate Captive noſti quoties mediâ confeſſione diſrupta ſint tibi vincula, quibus ſub diabolica tyrannide vinciebaris? Non ſemel, bis, tertiò, quartò, decies, ſed fortè centies, Sampſonis argumento nixus, dixiſti: *Egrediar ſicut antè feci, & me excutiam* confitendo peccata mea, ac paſſus recidivam iterum reſurgam, *Sicut antè feci.* Sed non vides, quod tunc capilli & comæ tuæ truncabuntur, ſicque recedet à te omnis fortitudo tua, ſic ut relabendo in peccatum, difficillimum futurum ſit tibi, ad ſtatum priſtinum regredi, imò econtra frequens prolapſus tuus evidentiſſimum ſignum futurum ſit damnationis tuæ æternæ.

Judic. 16. 20.

S. Ambroſius.

Audi Theophilactum: *Quando quiſque confeſſus fuerit, ac promiſerit, ſe non eiſdem pravis ſtudiis admoturum mentem, & interim transmoverit tales fines, ac reverſus fuerit inſtar canis ad vomitum, ira Dei ſuper talem prorſus effunditur.* Non omnis qui abſolvitur, ſolvitur. Econtra, inquit Magnus Præſul Auguſtinus: *Irriſor eſt, non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnituit, & peccata non minuit, ſed multiplicat.* Et alibi variis in locis: *Qui pectus ſuum tundit, & non corrigit, peccata ſolidat, non tollit.* Diabolus, ut Evangelium habet, coram Deo non ſemel humiliabat ſe, ad illius ſe proſternebat pedes, ſanctum illum pronuntiabat, Filium Dei profitebatur, ſupplex illi fiebat, ſemper nihilominus diabolus manſit, ſemper inimicus Dei. Non aliter ſæpè frequens recidivus, dum pœnitere videtur, à Deo veniam rogat, ſacroſancta Confeſſionis & Communionis Sacramenta frequentat, ac reliquis vacat pietatis operibus, & nihilominùs in circuitu ambulat, reditque ad peccatum, diabolum imitatus, ſic ut verear in foro divino pœnitentiæ, locum habere, quod lex dicit in foro humano *L. Nemo. C. de Epiſc. Aud. Nempe quod impunitatem non emendationi, ſed conſuetudini deputantes in Paſchate non liberentur.* Adeòq; credam, quod ex habituatis recidivis ſolvantur pauci, licèt abſolvantur multi. Teſtetur hoc pro me mellifluus Bern. Serm. 3. in feſto Apoſt. *Eorum qui poſt converſionem peccatis implicantur, paucos invenies, qui poſt hæc redeant in gradum priſtinum.*

Theophil.

D. Auguſtinus.

Imò tales ex parte ſua videntur ſatana ſimiles in ſuis confeſſionibus.

S. Bernardus.

XIII. Conturbant me verba Spiritûs ſancti contra recidivos Prov.18. 3. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit*: plures Interpretes volunt per ly *Profundum*, *centrum* intelligi; unde legunt: *Impius cùm in centrum venerit peccatorum, contemnit*: Caſus eſt miſeri recidivi, qui in peccatis manet tamquam in centro. In centro habetur quies, illam invenit recidivus in peccato: *Impius cùm in centrum venerit peccatorum, contemnit*: in illis poſſidet tantam quietem, quaſi innocens foret, juxta illud Eccle.8. 14. *Sunt impii, qui ita ſecuri ſunt, quaſi juſtorum facta habeant.* Recidive, te alloquor: ad primum peccatum quod commiſiſti, quàm teneræ eras conſcientiæ? quàm timidæ? quàm anxiæ? ſuſpirabas, noctes ducebas inſomnes, non dabas requiem oculis tuis; at ſucceſſu temporis, cùm poſt iteratas recidivas in profundum peccatorum veniſti, in eorumdem voraginem merſus, ita ſecurus es, quaſi juſtorum facta haberes, ita ut jam peccandi conſuetudini aſſuefactus, nec dictamen rationis, nec conſcientiæ remorſum cures, etiam in ſacrilegiis maximè horrendis, ac ſi nec Deus eſſet, nec alia vita. O quietem deteſtabilem! ô ſomnum mortis prodromum! Jonæ inſtar velle dormire in evidentiſſimo æternæ ſalutis naufragii periculo, quis non dixerit eum perditæ ſalutis virum? Et necdum abis in ſententiam D. Gregorii, quod *Frequens prolapſus apertiſſimum ſignum ſit damnationis æternæ?* Eſt non ſolùm ex parte recidivantis, ſed & diaboli tentantis.

Prov.18. 3.

Qui omni teneritudine conſcientiæ perditâ cùm in profundū venerunt, contemnunt.

Eccle.8. 14.

XIV. Evenit nonnumquam quod captivus graviſſimi delicti reus V. G. criminis læſæ Majeſtatis, arcto carceri includatur, & in vinculis cuſtodiatur. Quid ille? rumpit vincula, frangit ſeras, è carcere fugit, & ſeſe aſſerit in libertatem; Si denuò deprehenſus incarceretur, cuſtodes in majori numero multiplicantur, compedes cruribus, catenæ collo, vincula brachiis injiciuntur; ſi ipſi primò indulgebatur ad auram liberam reſpirare, jam nec ſolis jubar videbit, ne è manibus eorum iteratâ vice evadat; ſi anteà per noctis ſilentium, eum non viſitabat cuſtos, modò noctibus ſingulis adit, videtque an machinetur aliquid, vel habeat quo poſſet compedes frangere, vel è carcere fugere: idipſum diabolus cum peccatore efficit; factus captivus ejus, cùm parvam curam & diligentiam adhiberet circa ejus cuſtodiam, feliciter fugit à captivitate illius; ſi verò iterum ad carcerem ejus deveniat, ſors ipſius pejor erit priore, addet majoris ponderis catenas, vigilantiùs cuſtodiet, & ut verbis utar Thren. 3. 7. *Ut non egrediar, aggravabit compedem meum*, duplicabit catenas, funes funibus addet, & ſolerti oculo locum, quo è manibus ejus evaſit obſervans: *Circumædificabit adversùm me*, omnes aditus obſtruet, omnem exitum admoto obice coërcebit. Si anteà unam aut alteram obtulerit tentationem, modò quinquaginta ſubſternet. Si videat quod familiaritas Eccleſiaſticorum aliquem ab ejus captivitate avocavit, diligenter curabit

Et hos daō non poſt recidivas terribiliter aggravat.

Thren.3. 7.

rabit, ne iterum familiaritatem cum ipſis habeat, eorumque loco converſationem cum hominibus licentioſis, & perditæ vitæ ſubminiſtrabit. Si ad meliorem frugem converſus quis fuerit, libelli cujuſdam pii lectione, ſtudebit, ne alii in manus ejus perveniant, quàm qui obſcœnis amoribus, & fabularum turpium commentis ſcatent. Si videat quod conciones audiendo liberatus ſit, aliò mentem divertet, & profanis negotiis avertet, atque hoc modo omnes portas claudet, per quas priùs ſe ab ejus captivitate eripuit. Verbo dictum, omni arte & induſtriâ laborabit, ne poſthac è manibus ſuis elabatur: *Circumædificavit adversùm vos: ut non egrediar, aggravavit compedem meum.* Veritatem hanc manifeſtam facit Evangelicus textus.

Thren. 3. 7.

XV. Lucæ 11. 24. Salvator noſter inſinuare contendens quantùm in animabus noſtris corroboretur, fortiterque pedem ſuum figat diabolus, poſtquam per pœnitentiam expulſus, in eaſdem per recidivationem reingreditur, ait: *Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inveniens, dicit: Revertar in domum meam unde exivi, & cùm venerit, invenit eam ſcopis mundatam & ornatam: tunc vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Spiritus infernalis, divinâ gratiâ mediante, in Sacramentali confeſſione ab homine expulſus, in hanc reſolutionem deſcendit: *Revertar in domum meam unde exivi.* Expulſus per pœnitentiam, revertar per recidivam: Quâ fronte, quæſo, aſſerit malignus: *Revertar in domum meam?* (cum Paulo à Paolaccio loquor) *Mentiris, ſuperbe, non eſt domus illa tua, Dei eſt, emit enim illam ſanguine ſuo.* Sic eſt. Aliquas tamen prætenſiones ſpecificat idem Auctor, quas diabolus ſuper myſticam hanc domum ſe habere ſupponit: *Habet enim in ea*, inquit, *fomitem ſibi faventem, habet legem carnis repugnantem legi mentis, & captivantem in lege diaboli; Si hoſtes noſtros in nobis habet, qui arcem ei ſe daturos promiſerint, Quid miraris, ſi domum dicat ſuam?* Unde, ut adversùs recidivantes prævaleat: *Tunc vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi.* Per numerum ſeptenarium, qui hîc eſt numerus indefinitus, intelligitur multitudo ſpirituum infernalium. Sed cur, obſecro, ſolus non revertitur? cur tantâ comitivâ aſſociatus? Egregiè ad rem noſtram Euſebius Emiſſ. Homiliâ 3. in 3. Dom. *Non ſufficit ei, ut ſolus talem domum poſſideat, ſocios quærit.* Et quare? *ut fiant noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Inter varia damna, in quæ recidivus incidit, recenſet D. Bonav. Lib. 3. Cap. 7. Comp. Theol. Verit. quod tunc *diabolus difficilior eſt ad expellendum*, ob multitudinem ſociorum. Et quis eſt, à quo tunc egredi compellatur? Certè alius, præterquam Deus, liberare eum non poterit. Hoc ergò ſuppoſito, argumentor: Recidivus ſecundùm Tertull. Lib. de Pœnit. Cap. 5. Oſtendit

Lucæ 11. 24. *Probatur ex Spiritu immundo, qui reverſus eſt cum ſeptem aliis.*

Paulus à Paolaccio.

Euſebius Emiſſ.

Et ratio aperta eſt, quia talis recidivans diabolum in opere præponit Deo.

Tertull. Cui idcircò ſit odibilis, & per hoc difficilis converſionis etiam ex parte Dei.

dit ſe Deum diabolo poſtponere, utpote *Qui per delictorum pœnitentiam inſtituerat Domino ſatisfacere, ſed per aliam pœnitentiæ pœnitentiam dæmoni ſatisfacit* : Ac per hoc graviſſimè demeretur. Audi ergò quamnam inde deducat conſequentiam : *Eritque tantò magis peroſus Deo, quantò æmulo ejus acceptus.* Et necdum vides, quod frequens relapſus non ſolùm ex parte tua & dæmonis, ſed etiam ex parte Dei, apertiſſimum ſignum ſit damnationis æternæ? Oſtendo evidenter.

Frequens recidivatio reprobationis ſignum.

XVI. Iſraëlitæ peccaverant multoties in deſerto tum murmurando, tum idololatrando. Ad Moyſis preces placatus eſt Dominus non ſemel: At Num. 14. ob iteratas murmurationes indignatus eſt Deus, in tantùm, ut dixerit Moyſi : perdam univerſos peſte, evellam, exterminabo, in nihilum redigam : *Vſquequò detrahet mihi populus iſte? feriam igitur eos peſtilentiâ, atque conſumam.* Ad hæc Moyſes iterum ſe interponit,& illi vehementer in ſalutem eorum incumbenti annuit tandem Deus hâc conditione, ut omnibus illis, qui poſt exitum de Ægypti ſervitute nati erant, aut paulò priùs, veniam daret, iis autem, qui ætate provectâ egreſſi fuerant, tamquam omni miſericordiâ indignis, non item. Cur, obſecro, Deus tantâ erga illos uſus eſt inæqualitate? Quæritis rationem? do: quia iſti jam decies Deum irritaverant: *Tentaverunt me jam per decem vices.* Siſtite hîc tantiſper N. N. poſt tot recidivas, non ultrà parcam, inquiebat Deus, ſed feriam eos peſtilentiâ, quia *jam tentaverunt me per decem vices.* Si poſt novum peccatum amicus ſincerus acclamâſſet: Siſtite, nolite ultrà peccare : poſt hoc enim peccatum de venia obtinenda conclamatum erit, quantum illis beneficium præſtitiſſet? Porrò quis veſtrûm novit an peccatum, à quo noviſſimè reſurrexit, non ſit ultimum, quod è judiciorum ſuorum & decretorum abyſſo Deus ſtatuit, cui veniam largiatur? Quis certus de contrario? nec ego, nec tu, nec ullus mortalium : quid dico certus? Cui mortalium aliquod indicium eſt, aut vel modica indicii ſcintilla? E contra cùm Deus non ſolùm per decem, viginti, triginta, & centenas fortè vices pepercerit, cur non palpitat cor veſtrum? cur toto corpore non tremitis, vel cogitantes periculum, in quo verſamini toties recidivantes? Scio quod peccator quilibet etiam primæ claſſis, quamdiu vitâ gaudet & libertatis arbitrio, ſemper poſſit ſe emendare, & veniam conſequi : ſed hoc addo, quod non detur ſignum evidentius æternæ damnationis, quàm frequens relapſus. Habetis hoc aſſertum meum à Spiritu ſancto ſignatum.

Num. 14. 11.

Probatur in Iſraëlitis, poſt decem tentationes conſumptis.

Et idipſum Eccleſiaſticus in terminis affirmat.

XVII. Eccleſiaſtici 26. 27. *Qui transgreditur à juſtitia ad peccatum*, id eſt, inquit Ugo, *Qui ſæpè patitur recidivam*, *Deus paravit eum ad romphæam*, id eſt, *ad pœnam æternam.* In hoc dignoſcuntur prædeſtinati à reprobis, quod licèt ex fragilitate *Cadere eos contingat in peccata, & ad Deum ſe convertant, hi ambulent in circuitu, illi rectâ incedant viâ* : de his loquitur Iſaias

Eccli. 26. 27.

Ugo Card.

Iſaiæ 26. 7. Iſaias Cap. 26. *Semita juſti recta eſt, rectus collis ad ambulandum.* Sap. 10. 10. *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas.* Hinc electis Dei dicebant Iſaiæ 40. 3. Iſaias, & Domini Præcurſor: *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.* Reprobi autem in circuitu ambulant: *Impii in circuitu* Pſalm. 11. 9. *ambulant* Pſal. 11. 9. Qui in gyrum graditur, quantò magis à termino à quo recedit, tantò magis ad eumdem redeundo appropinquat, quantumcumque enim ambulat, ſemper ad terminum, unde incepit, revertitur: ſic & reprobi, inquit Theodoretus. Theodoretus, citatus à Gloſſa: *Huc & illuc aberrant, & divinâ relictâ viâ, ad priora peccata revertuntur:* quomodò in hos inve- Eccli. 2. 16. hitur Eccleſiaſticus Cap. 2. *Væ eis, qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas. Væ eis, væ eis.* Iſai. 30. 1. Eccleſiaſtico jungit ſe Iſaias Propheta Cap. 30. *Væ filii deſertores:* Siccine fidem infringitis ut *Addatis peccatum ſuper peccatum?* Peto modò quid per *Væ* intendat Deus, niſi æternam damnationem? audite caſum Scripturiſticum & exhorreſcite.

Apoc. 18. 21. *Ac Ioannes vidit in Apocalipſi.* XVIII. Apoc. 18. 21. Vidit Joannes Angelum mittentem in mare lapidem molarem (aperi & tu oculos mentis tuæ, & aures cordis tui, quicumque hæc audis) *Suſtulit unus Angelus fortis lapidem quaſi molarem magnum, & miſit in mare,* clamans altâ voce: *Hoc impetu mittetur Babylon, & ultrà non invenietur.* Sicut hic lapis molaris in mare mittitur, ita recidivus miro impetu mittetur in profundum. *Hoc impetu mittetur.* Notate myſterium, Rupertus. clamat Rupertus, qualiſcumque lapis mitti poterat, & inter omnes molaris mittitur: *Lapidem quaſi molarem:* Ratio eſt: quia *Lapis molaris, & pondere gravis eſt, & pro molendi officio ſemper circuit.* Motus ejus ſimilis peccatori recidivo, qui relicto peccato, ad illud revertitur, & in gyro inter gratiam & culpam *Semper circuit.* Hic inexſpectatò mittetur aut febre ardenti, aut caſu apoplectico, aut morte inopinatâ; *Hoc impetu mittetur.* Non dicit: *Poteſt mitti; ſed mittetur.* Habes caſum in terminis.

XIX. Ad Thomam Cantipratenſem ſuffraganeum Epiſcopatûs Cameracenſis, acceſſit ſimul cum ſuo Parocho quidam (Paſcha tunc erat) in eadem peccata ſæpiùs relapſus, à quibus ſuperioribus annis eumdem ſine fructu ſæpiùs abſolverat. *Et Cantipratanus expertus eſt in aliquo.* Volebat prudens hic Epiſcopus eumdem ad propriæ diœceſis Antiſtitem remittere, ut tantò majorem pateretur confuſionem, eique aſpera pro peccatis ſuis imponeretur pœnitentia; Sacerdos ille, qui eum Epiſcopo præſentârat, rogavit Epiſcopum, ut à peccato eum abſolveret, hâc tamen conditione, ut in præſentia illorum priùs flexis in terram genibus, Deum invocaret, eidemque ſanctè promitteret, quod deinceps numquam in eadem peccata relaberetur, in caſu autem recidivæ, ſubitò per vindictam cœleſtem ſeverè in eum adverteretur. Conſenſit Cantipratanus, qui idem ille Epiſcopus erat: & ſimul hujus hiſtoriæ Scriptor his verbis: Conſenſi ego conditioni, & heu mihi miſero, quod conſenſi!

Mox ille flexit genua, & vindictam in ſe recidivantem precatus eſt; abſolvi eum, receſſit gaudens; ſed feriâ tertiâ aut quartâ poſt Paſcha, inſtigante diabolo, paſſus eſt recidivam, mox horrificè clamans: Vindicta Dei ſuper me, vindicta Dei ſuper me: &, ut mihi Sacerdos retulit, amariſſimâ morte mulctatus eſt. Et tu adhuc adeò faſcinatos habes oculos, ut non videas, quod *Frequens prolapſus apertiſſimum ſignum ſit damnationis æternæ*? ergò tandem ut aperiantur oculi tui, do iterum verba Spiritûs ſancti, à quo D. Gregorius hauſit ſua.

Hebr. 6. 4.

XX. Hebr. 6. 4. Zelo plenus ſcribit Apoſtolus Hebræis, non Allegoricè ſed litteraliter: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritûs ſancti, &c. Et prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam*; Non loquitur Apoſtolus de impoſſibilitate Phyſica, ſed morali, innuens difficultates adimplendi ea, quæ requiruntur, ut tales ad pœnitentiam reſurgant. Harum difficultatum rationem adducit Angelicus, qui ly *Prolapſi & totaliter lapſi* egregiè ponderat: quando peccator in profundum iniquitatum ſuarum pervenit, id eſt, miſericordiam Dei non reſpicit, neque à peccatis reſurgere curat, tunc ad ſupremum malitiæ culmen pertigit: tunc impius in profundum peccatorum venit. *Quia, ſi lapſi tantùm eſſent, non eſſet tam difficile reſurgere, ſed quia dicit prolapſi, & impoſſibile ut reſurgant, notat maximam difficultatem reſurgendi.* Sic ut *Impoſſibile* idem ſit, quod *Difficile*. Non eſt impoſſibile, ut aleæ centies conſequenter dent numeros pares, ſed *Difficile*, & quia difficile, non fiet. Non eſt impoſſibile, ut rediens domum eadem ſerves veſtigia, quæ veniens reliquiſti: ſolummodò difficile eſt, & quia difficile eſt, non continget. Nunc argumentor: ſi impoſſibile, id eſt, difficile ſit, ut qui prolapſus eſt, reſurgat, ergò ſaltem in pleriſque non fiet: tu verò, quam inde conſequentiam trahes? Liberate Captive, unum requirit à Galatis Apoſtolus, & ego à te.

Paulus etiã impoſſibile dixit, quod prolapſi renoventur ad pœnitentiã.

D. Thomas.

Gal. 5. 1.

XXI. Gal. 5. 1. *State*, inquit, *& nolite iterum jugo ſervitutis contineri.* Sta & tu. Cave & attende tibi: ſi enim diaboli poteſtati denuò ſubjiciaris, vereor ne de te actum ſit. Cautè ambula & providè, nec enim in hiſce periculis jocandum eſt. Te flexis genibus rogo per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, per ſuam pretioſiſſimam Crucem, Deum ampliùs non offendas, millenas mortes obire potiùs appetas, quàm peccare de cætero. Si fragilis es, Deus ſua tibi conferet auxilia, miſericordiarum mater ſuppetias feret. Spera & confide in Dei bonitate, eamque tibi propitiam invenies, donum perſeverantiæ poſtula, fac quod partium tuarum eſt, animæ tuæ ſaluti incumbe, dabit Deus auxilium ut poſſis, & ad gaudia te perducet æterna. Amen.

Ideò ſtandũ nec ultrà jugo ſervitutis ſuccumbẽdum, ut ſimus ſecuri.

DE

DE NATIVITATE

Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis.
Joannis 1.

I. ALtiſſimus viſibiliter factus eſt hodie infimus & abjectiſſimus, *Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis.* (Joan. 1. 14. *Altiſſimus hodie imus factus eſt.*) Certiſſimum eſt, quod per hoc Verbum intelligatur unicus æterni Patris Filius, qui à Joanne non Filii, ſed Verbi nomine inſignitur, quia juxta Baſilium Hom. 16. nomen Verbi Divinum SS. Trinitatis myſterium apprimè manifeſtat ac declarat. Do verba Baſilii: (S. Baſilius.) *Cur Verbum? Quo oſtendat, quod ex mente proceſſit. Cur Verbum? Quia citra paſſionem natus eſt. Cur Verbum? Quia Imago eſt Genitoris, totum in ſeipſo Genitorem oſtendens.* Hinc ait Evangeliſta, quod Divinum hoc Verbum *Erat in principio.* In principio, id eſt, *In ſapientia Patris*, inquit Origenes in Joan. (Origenes C. 1. in Joannem.) *vel in Patre:* quia ut exponunt DD. Cyrillus & Auguſtinus: (S. Cyrillus. S. Auguſtinus.) *Pater eſt fontale principium totius Trinitatis. In Principio*, id eſt, *Ante omne principium*, ut loquuntur Theologi, juxta illud Pſalm. 109. 3. (Pſalm. 109. 3.) *Ex utero ante luciferum genui te. Ex utero enim genuit Pater Filium*, inquit S. Hieronymus, (S. Hieronymus.) *Scilicet de ſua natura, de ſua ſubſtantia, de ſuis viſceribus: ex utero, id eſt, de medullis Divinitatis ſuæ: & totum quod Pater eſt in Divinitate, dedit Filio.* Et ideò poſtquàm dixerat Joannes: *In principio erat Verbum*, immediatè ſubjungit: *Et Verbum erat apud Deum*, tamquam perſona à Patre diſtincta, ejuſdem tamen naturæ, unde ſubdit: *Et Deus erat Verbum: Sic enim*, Theophilacto interprete, (Theophilact.) *oſtendit unam naturam Patris & Filii: Eſt enim una Deitas, & ſic abſolutè pronunciat Verbum eſſe Deum.* Exclamo cum S. Anſelmo Lib. de Excell. Virg. Cap. 3. (S. Anſelmus.) *Hîc ſe ſuberigat humana mens, intendat, inquam, & contempletur, videat & admiretur.* Conſideret hodie quomodò Divinum hoc Verbum, æterni Patris Filius unicus, Deus & Dominus omnipotens, immenſus & infinitus ad ima noſtra deſcenderit factus homo, ut hominem captivum de carcere diaboli liberaret, idque tantâ amoris vehementiâ, ut hanc liberationem non tam noſtram quàm ſuam feſtivitatem habeat. Dignemini me hodie ſuper hac divinâ dignatione ſpeciali attentione.

II. Doctor Gentium Philipp. 2. (Philipp. 2. 6.) de Verbo Incarnato diſſerens, ejuſque circa captivum hominem miſericordiam

ſericordiam exponens, paucis totum compleƈtitur: *Cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Duas hîc abyſſos, ad quas peccatum Deum in ſua Incarnatione perduxit, ponit Apoſtolus: abyſſum ſupremæ Majeſtatis Dei quam numquam amiſit: *Cùm in forma Dei eſſet*, forma enim Dei eſt natura Dei, ſeu Divinitas, & Deus ipſe. Et abyſſum miſericordiarum & humiliationis: *Formam ſervi accipiens*: ſupprimens functiones, quas habebat in ſinu Patris in qualitate ſupremi & independentis, ut loquitur D. Hilarius in Pſal. 68. *In forma ſervi veniens evacuavit ſe à Dei forma*: dicens Patri cum Davide: *Ego ſervus tuus & filius ancillæ tuæ.* Hîc præ ſtupore exclamat Mellifluus in Allegoriis Tilmanni: *Filius Patris erat, & factus eſt tamquàm ſervus!* non ſervus tantùm, ſed filius ancillæ, & ſervus ſervorum. Porrò ſervitus hæc, ſecundùm Bernardum, conſiſtit in duobus: *Formam ſervi accepit, ut ſubeſſet, & ſervi peccati, ut peccatum ſolveret cùm culpam non haberet.* Hinc D. Athanaſius Serm. de Cruce & Paſſione: *Chriſtus pro nobis factus eſt piaculum, & ita humanitate noſtrâ indutus & circumveſtitus ſe obtulit Patri, ut ipſe pœnam ſuſtinens, hominem à pœna liberum faceret.* Sic *Adoptans ſervos, & liberos faciens*, inquit Auguſtinus Serm. 26. de Verbis Dom. Sic *Redimens captivos, & faciens cohæredes.* Ait Ugo: Verbo, ut de carcere diaboli captivum hominem liberaret, in ſimilitudinem hominum factus eſt Deus, & habitu inventus ut homo, formam ſervi accipiens. Hoc iterum teſtatur Apoſtolus.

Formâ ſervi accipiens, ut nos à ſervitute ſolveret.

S. Hilarius.

S. Bernardus.

S. Athanaſius.

S. Auguſtinus.

Ugo Card.

III. Ad Titum 2. 11. *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus.* Olim latebat hæc gratia. Erat quidem miſericordia (nam miſericordia Domini ab æterno eſt) ſed abſcondita erat, & ideò non agnoſcebatur. Promittebatur (multifariè enim multiſq; modis loquebatur Deus Patribus in Prophetis) ſed non ſentiebatur. Aſt ubi plenitudo temporis advenit, & Deus miſit Filium ſuum, gratia, quæ latebat, miſericordia, quæ abſcondita erat, apparuit. Apparuit gratia, quia ipſe apparuit nobis in humanitate, qui eſt plenus gratiâ, & de cujus plenitudine omnes accepimus gratiam, pro gratia. Si autem ſcire deſideras qualis gratia apparuerit: audi hunc ipſum omnis gratiæ fontem & largitorem Chriſtum in Evangelio Lucæ 4. 18. Iſaiæ Prophetæ vaticinium de ſeipſo legentem & interpretantem, & cognoſces quantam nobis gratiam in Incarnatione præſtiterit: *Spiritus Domini*, inquit, *ſuper me, eò quod unxerit me, ad annunciandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, ut prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem, & prædicarem annum placabilem Domino.* Quibus verbis multiplex gratia Salvatoris noſtri Dei declaratur, quam adventu ſuo nobis miſeris & immeritis gratìs conceſſit. Cùm enim ait ſe veniſſe, ut clauſis apertionem prædicaret, quid aliud

Tit. 2. 11.
Et ſic apparuit gratia Salvatoris, quæ antè latebat, quam in vacuum accipere non poſſumus.

Lucæ 4. 18.

Iſaiæ 61.

Epheſ. 2. 13. aliud ſignificat, quàm quod captivos detentoſque apud inferos electos ſuos liberaret? nec ſolùm electos ex inferno eriperet, ſed & captivos & reos per peccatum abſolveret, illis indulgentiam prædicans, & annum placabilem Domino? quia verè fuit annus placabilis Domino, in quo, qui aliquando erant longè, facti ſunt propè in ſanguine Chriſti. Jam impletum eſt, quod olim per Iſaiam (Iſaiæ 49. 8.) prædictum Cap. 49. & ab Apoſtolo repetitum & expoſitum fuit 2. Cor. 6. 2. (2. Cor. 6. 2.) *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Hortamur ergò ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Hanc gratiam in vacuum recipit, qui tam inæſtimabili divinæ dignationis beneficio ingratus, non exurgit à ſomno negligentiæ propriæ ſalutis, & torporis vitæ carnalis, & per Divini Verbi Incarnationem ſe factum Divinæ conſortem naturæ, & erutum de poteſtate tenebrarum, ac tranſlatum in Dei lumen & regnum (Joannis 1.) non agnoſcit: nec Deum pro ſe hominem factum ut Redemptorem & Liberatorem ſuum jugiter recognoſcit. Ne ergò gratiam Dei Salvatoris, quæ apparuit nobis hodie, in vacuum recipiamus, hanc Chriſti Nativitatem ſaltem in punctis aliquot ponderemus.

(Lucæ 2. 1. *Sed potius cum ea cenſum debitæ ſervitutis ſolvere per obſervantiã mandatorũ, & exhibitionẽ imaginis Dei in nobis.*)

IV. Lucas illam deſcribens Cap. 2. ſic exorditur: *Exiit edictum à Cæſare Auguſto ut deſcriberetur univerſus orbis. Hæc deſcriptio primò facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino. Et ibant omnes, ut profiterentur ſinguli in ſuam civitatem. Aſcendit autem & Joſeph à Galilæa, de civitate Nazareth, in Judeam civitatem David, quæ vocatur Bethleem, ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante. Factum eſt autem cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies ut pareret. Et peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio.* Omnia iſta magna nobis pandunt ſacramenta. In primis quæro cum D. Gregorio Magno Hom. 8. in Evang. (S. Gregorius.) *Quid eſt quod naſcituro Domino mundus deſcribitur, niſi hoc, quod apertè monſtratur, quod ille apparebat in carne, qui electos ſuos adſcriberet in æternitate?* Ubi econtra de reprobis per Prophetam dicitur: *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur* Pſalm. 68. 29. Juxta D. Thomam (Pſal. 68. 29. D. Thomas.) Doctorem Angelicum Lib. 3. de Regimine Principis Opuſc. 20. Cap. 3. *In hac deſcriptione ſolvebatur cenſus, ſeu tributum in recognitionem debitæ ſervitutis non ſine myſterio, quia ille natus erat mundi Dominus & Monarcha, cujus vices gerebat Auguſtus, licèt non intelligens, ſed nutu Dei, ſicut Caiphas Prophetavit.* Dabatur ergò in profeſſionem debitæ ſervitutis & cenſûs denarius, qui decem nummorum in ſe pondus habebat, Cæſaris imaginem continens & nomen. Hoc nos oportet ſpiritualiter imitari. Porrò Divino Regi noſtro denarium ſolvimus, cùm decem præcepta ejus implemus. In hoc denario nomen Regis noſtri conſcriptum geſtamus, dum in cunctis actibus noſtris oſtendimus, nos verè à Chriſto Chriſtianos vocari, ac digni-

tatem nominis in nobis intemeratam conſervamus, imaginem quoque ejus in eodem denario bonæ noſtræ converſationis exprimentes, illam utique, quam Dominus ipſe docuit Levitici 19. 2. dicens: *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.* Hæc eſt namque imago Dei, ad quam in primo homine conditi ſumus, ut videlicet participatione Divinæ Sanctitatis perpetuò ſancti eſſemus. Hinc etenim ait Pſalmiſta Pſalm. 4. 7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Domine.* Sed quia hoc lumen divini vultûs homo, diaboli captivus factus, amiſit, placuit Deo humani vultûs habitum in carne naſcendo aſſumere: placuit in ſimilitudine carnis peccati, ſine peccato apparere, ut nos emundaret ab omni peccato, & claritatem in nobis ſuæ reformaret imaginis. Ob hoc Chriſtus unà cum omnibus deſcribitur, ut aboleret ſervitutem, & libertatem reſtitueret: deſcriptio enim & profeſſio, ſervitutis indicia ſunt. Unde Theophilactus ait: *Oportebat eum, unà cum toto orbe cenſeri, ut ſanctificaret eos, qui cenſentur, & ſervitutem aboleret: quoniam ſicut circumciſus, circumciſionem abolevit, ita deſcriptus ſicut ſervus, ſervitutem noſtram abolevit. Non enim ultrà ſunt ſervi, qui Domino ſerviunt.* Jam pro me loquatur Magnus Eccleſiæ Leo Papa Serm. 1. de Nativit. Chriſti: *Dominus noſter peccati mortiſque deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit: Dei namque Filius ſecundùm plenitudinem temporis, quam divini conſilii inſcrutabilis altitudo diſpoſuit, reconciliandam authori ſuo naturam generis aſſumpſit humani, ut inventor mortis diabolus per ipſam, quam vicerat, vinceretur.*

Levitici 19. 2.

Pſalm. 4. 7. *Propterea enim formā hominis aſſumpſit.*

Theophilactus.

S. Leo.

V. Quæro ulteriùs, quare Bethleem eligatur ad Chriſti nativitatem? Notandum ex D. Bonaventura hîc: quod Chriſtus Dominus *Alibi eſt natus, alibi conceptus, alibi educatus, alibi paſſus. Bethleem*, inquit D. Leo Serm. 1. de Epiphania, *praelegit nativitati, & Hieroſolymam paſſioni.* Locus anguſtus deputatur nativitati, ubi gloria erat decantanda; Jeruſalem civitas magna paſſioni conſecratur, ubi ignominia manifeſtanda. In Nazareth conceptus, in Bethleem naſcitur, ut qui in Bethleem natus erat, tamquam fructus in flore (Nazareth enim flos interpretatur) in Nazareth etiam coaleſceret & nutriretur Deus infans, ut floris odor, fructûs ſaporem præcederet, inquit Bernardus, ac de naribus Prophetarum, faucibus ſe Apoſtolorum liquor ſanctus infunderet, Judæiſque tenui odore contentis, cibo ſolidiore reficeret Chriſtianos. In Bethleem naſci dignatus eſt, Bethleem quippe domus panis interpretatur, & bene: ipſe namque eſt, qui ait: *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi.* Quia ideò de cœlo in terram deſcenderat, ut nobis æternæ vitæ alimoniam daret, noſque æternæ dulcedinis munere ſatiaret: meritò in Bethleem, in domo panis naſcitur. In Bethleem naſcitur, non in Jeruſalem civitate Regia, ut ex hoc diſcamus,

S. Bonaventura.

S. Leo.

Et in domo panis natus eſt, ut nobis vitæ æternæ alimoniam daret.

Joan. 6. 52.

diſcamus, quomodò ſuſcipi velit, qui in Bethleem naſci voluit: ſi volumus ut Chriſtus naſcatur in nobis, hæc nobis neceſſaria ſunt, humilitas, paupertas, confeſſio & ſpiritualis refectio. De quibus D. Bernardus: *Erat qui fortè ei ſublimia quærenda arbitraretur eſſe palatia, ubi cum gloria Rex gloriæ ſuſciperetur, ſed non propter hoc à Regalibus illis ſedibus venit. In ſiniſtra ejus divitiæ & gloria, in dextera longiturnitas vitæ. Horum omnium æterna in cœlis affluentia ſuppetebat, ſed paupertas non inveniebatur in eis. Porrò in terris abundabat & ſuperabundabat hæc paupertas, & neſciebat homo pretium ejus.* Hanc itaque Dei Filius concupiſcens, *Deſcendit, ut eam eligat ſibi, & nobis quoque ſuâ æſtimatione faciat pretioſam. Adorna Thalamum tuum Sion, ſed humilitate, ſed paupertate, in his enim pannis complacet ſibi.* In Bethleem Judæ naſcitur, ut tu Bethleem Judæ inveniaris: Bethleem quippe domum panis, Juda ſonat confeſſionem. Tu ergò ſi divini verbi pabulo repleas animam tuam, & dignâ, quantâ potes, devotione ſuſcipias panem illum, qui de cœlo deſcendit, & vitam dat mundo, Bethleem factus es, dignus planè ſuſceptione Dominicâ, ſi tamen confeſſio non defuerit. In Bethleem naſcitur, ubi olim mortua & ſepulta eſt Rachel Jacobi dilecta uxor juxta illud Gen. 35. 19. *Mortua eſt ergò Rachel, & ſepulta eſt in via, quæ ducit Ephratam, quæ eſt Bethleem.* Ut & tu Bethleem ſancta eſſe velis, & in te moriatur omnis amor carnalis, & omnis affectus creaturarum in te extinguatur, ut naſcatur in te Chriſtus. Ita de Jacob. D. Hieronymus Lib. 1. contra Jovinian. *Illa quondam dilecta conjux, pro qua ſervierat juxta Bethleem, in qua erat Virginitatis præco Dominus naſciturus à filio doloris occiditur.* In Judæa naſcitur, à primordio nativitatis ſuæ immenſum erga nos amorem oſtenſurus. *Ideò Chriſtus in Judea naſcitur*, inquit D. Irenæus, *& non in Gentibus, quia Gentilitas carebat circumciſione, & ideò in Judæa oſtentat gloriam ſuam in primordio nativitatis ſuæ, in effuſione ſanguinis.* Ad exaggerandum amorem, quem erga aliquem gerimus, conſuevimus dicere, darem libram Sanguinis mei pro vita ejus, nec tamen ideò vena aperitur, at Chriſtus reipsâ talem amorem exhibuit, octavo die pro nobis Sanguinem fundens, unde D. Bernardus meritò te arguit, Liberate Captive: *Octavam diem à nativitate vix expectat, ut ſuum tibi Sanguinem impendere incipiat: Tu poſt, non dico octo dies, ſed nec poſt octoginta menſes, imò & octoginta annos, ſolam non rependis voluntatem.* Clamabant captivi: *Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant juſtum. Veni ad redimendum nos in brachio extento. Veni ad liberandum nos, jam noli tardare. Veni & educ vinctum de domo carceris, ſedentem in tenebris & umbra mortis. Veni, & illumina ſedentes in tenebris & umbra mortis. Veni ad ſalvandum nos Domine Deus noſter.* Deſcende de cœlo, ut liberes nos, & ecce *Deſcendit de cœlo, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto.*

Marginal notes: S. Bernardus. *Et ut in paupertate, humilitate & confeſſione ipſum ſuſciperemus, voluit in præſepio reclinari in Bethleem Juda.* — Gen. 35. 19. — S. Hieronymus. — S. Irenæus. — *In ſignum amoris immenſi, octavâ die fuſurus Sanguinem.* — S. Bernardus. — Iſaiæ 45. 8.

Matth. 27. 42. Matth. 27. 42. Clamant Principes Sacerdotum Scribæ, & Seniores populi ad Chriſtum pendentem in Cruce: *Si Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de Cruce & credimus ei.* Quid eſt quod ad clamorem captivorum de ſinu Patris *Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris*, in terram deſcendat, & ad preces converti ſe volentium de loco pœnarum non deſcendat? reſpondet pro me mellifluusBernardus: *Noluit deſcendere ſibi, ut moreretur mihi.* Exclames nunc cum D. Petro Damiani Serm. 62. *Scio quia dulce vobis eſt: In principio erat verbum: dulcius Verbum caro factum: dulciſſimum Verbum in Cruce ſuſpenſum.*

S. Bernardus. *Et de Cruce poſteà non deſcenſurus ſibi, ut moriatur nobis.*

VI. Quæro tertiò: cur in ſtabulo naſci voluit, & in præſepio reclinari? Quid ſtabulum nos docet aliud, quàm ut reprobemus gloriam mundi? Proptereà ille, qui dicit: *Meus eſt orbis terræ & plenitudo ejus*, ſtabulum elegit, ut reprobet gloriam mundi, & damnet ſeculi vanitatem, ac paupertate abjectionemq; doceat eſſe amplectendas; Audiendus hîc iterùm prælaudatus Bernardus, ſuper hoc ſtupore plenus: *Quæ neceſſitas fuit Fratres, ut ſic exinaniret ſe, ſic abbreviaret ſe Dominus Majeſtatis, niſi ut vos ſimiliter faciatis? jam clamat exemplo, quod poſtmodùm prædicaturus eſt verbo. Obſecro proinde & plurimùm rogo, Fratres, non patiamini ſine cauſa tam pretioſum vobis exemplar exhibitum eſſe. Quid enim magis indignum, quid deteſtandum amplius, quid gravius puniendum, quàm ut videns Deum cœli parvulum factum, & ultrà appo-nat homo magnificare ſe ſuper terram? intolerabilis impudentia, ut ubi ſeſe exinanivit Majeſtas, vermiculus infletur & intumeſcat.* Si tempus ſpectes, in hieme natus eſt Dominus. Sed numquid credimus caſu factum, inquit idem S. Pater, ut in tanta aëris inclementia naſceretur, cujus eſt hiems & æſtas? Non eligunt parvuli cæteri quando naſcuntur, quippe quibus adhuc vix incipientibus vivere, nullus ſubeſt rationis uſus, nulla eligendi libertas, facultas nulla deliberandi: ſed Chriſtus etſi homo erat parvulus, erat tamen in Principio apud Deum, & ſimul Deus erat, ejuſdem cujus nunc eſt ſapientiæ & poteſtatis, utpote Dei virtus & Dei ſapientia. Naſciturus itaque Dei Filius, cujus in arbitrio erat quodcumque eligere vellet tempus, elegit quod moleſtius erat, parvulo præſertim, & pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad involvendum, præſepe ad reclinandum. *Non eſt tale judicium mundi: aut iſte fallitur, aut mundus errat: ſed Divinam falli impoſſibile eſt Sapientiam. Chriſtus utique, qui non fallitur, elegit quod carni moleſtius eſt: id ergo melius, id utilius, id potius eligendum, & quiſquis aliud doceat vel ſuadeat, ab eo tamquam à ſeductore cavendum.* Ita ille, ſed utinam hæc caperes ut ille. Quis vel mente concipere, vel linguâ queat explicare, quanta ſenſerit in corde ſuo tripudia mentis Maria Virgo & Mater? dum obſtetricantibus Angelis, dulciſſimus infantulus de corporis ſui thalamo procederet? An non poſt adorationem credenda eſt piiſſima

Pſalm. 49. 12. *Vbi Majeſtas ſe in tantùm exinanivit, pudere debet hominem ſe velle ultrà magnificare ſuper terrâ.*

S. Bernardus Serm. 1. de Nat.

piiſſima mater algentem puerulum mox gremio confoviſſe, ſive ſuaviſſimis ulnis complexum ſinui ſuo virgineo appreſſiſſe, frontem fronti, os ori, vultum vultui, manuſculas manibus coaptâſſe & calefeciſſe? & lacrymantem puellum piis oſculis demulciſſe, & proſilientes lacrymarum guttulas materno pietatis affectu exorbuiſſe? negabit hæc, qui negare audebit genuinum illum matris affectum, quem Maria, ſupra matrum vulgus, erga dulciſſimum pignus ſuum, longè flagrantiſſimum habuit. Sed, ô altum myſterium!

VII. *Reclinavit eum in præſepio.* Si rationem inquiras, Magno P.

S. Auguſtinus.

Auguſtino ad manum eſt: *Nemo poteſt jacentem erigere, ſi ſe noluerit inclinare: potuit tamen Divinum Verbum, etſi ſe non inclinâſſet, jacentem hominem erigere, ſed modum hunc aptiorem, ut ſe proderet, invenit amor.* Ut magìs tibi pandat myſterium te alloquitur Magnus Doctor:

Sicut inclinat ſe, qui lapſum vult erigere, ita Jeſus in præſepio reclinatur, ut lapſos erigat.

Audi quomodò amatus es turpis & fœdus, antequam eſſet in te quod amari dignum eſſet. Etenim Chriſtus, ut ait Apoſtolus, pro impiis mortuus eſt; an fortè impius amari merebatur? damnari. Dilexit immundum, ut faceret mundum. Dilexit fœdum, ut faceret pulchrum. Dilexit impium, ut faceret pium. Dilexit captivum, ut liberaret. Dilexit perditum, ut reficeret. Dilexit ægrum, ut ſanaret. Dilexit mortuum, ut vitam ei donaret ſempiternam. Reclinavit eum in præſepio.

Iſaiæ 1. 3.

Ut compleretur vaticinium Iſaiæ 1. 3. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui:* & ſcriptum eſt] in alio loco: *Homines & jumenta ſalvabis Domine.* Pſalm. 35. 7. Pſalm 35. 7.

Ut, ſi homo es, panem commedas, ſi animal, ad præſepe accedas. Nullus locus melius vacabat ad Nativitatem Salvatoris, quàm præſepe, præſepe ad quod jumenta & aſini alligantur. Ille quem cœlum, & cœli cœlorum non capiunt, parvi præſepis anguſtiâ continetur, ut amplitudinem nobis ſupernarum ſedium retribuat. Reclinavit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio. Omnia enim judicia infidelitas repleverat. Non invenit locum in Sancto Sanctorum, quod auro, gemmis, ſerico, & argento fulgebat, quia non naſcitur inter aurum & divitias, qui venit ut ſuſcitaret de terra inopem, ſed in ſtercoris loco, hoc eſt, in ſtabulo, ubi beſtiarum ſtercus ordinariè abundat, in lucem editur, ut de ſtercore, de ſordibus, & ſpurcitiis peccatorum elevaret pauperem.

Et dum locus ei non erat in diverſorio, locum quæſivit in corde ſuo.

Non erat ei locus in diverſorio. Numquid tantæ erant illius anguſtiæ, cum D. Maximo loquor, S. Maximus.

ut nati ſub hora parvuli membra non caperent? ſed idcircò myſtico refertur ſermone, non invenire locum in diverſorio, quia ingreſſus mundum Chriſtus, fidem, in qua poſſet requieſcere, non invenit. Venerat propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, volebat ut locus magìs eſſet ſpiritualis quàm materialis, utpotè quærens ſolummodò animas noſtras. *Non erat illi niſi anguſtia in terris*, inquit Magnus Auguſtinus. Et quare, cùm *Domini ſit terra & plenitudo ejus*, & S. Auguſtinus.

infans licèt, infinitos potuerit creare

mundos?

Pſalm.23.1. mundos? Voluit ſic anguſtiari: *Ut*
tu ei locum cordis tui ſibi proprium
Joan.1.11. *dilatares*. Et, proh pudor! *In propria*
venit, & ſui eum non receperunt. Quot hodie ſunt, in quibus,
ob anguſtiam cordium, non naſcitur
Chriſtus? quot hodie ſunt, quibus
Divinus infans idipſum dicere
Matth.8.20. poſſet, quod Matth.8.20. Scribæ illi:
Vulpes foveas habent & volucres
cœli nidos, Filius autem hominis non
habet, ubi caput reclinet. Quaſi
S. Auguſtinus diceret, inquit Magnus Auguſti-
Sed proh do- nus: *Vulpes in te foveas habent,*
lor ibi volu- *volucres cœli in te nidos habent*:
cres cœli, id *Vulpes, dolus eſt: volucres cœli,*
eſt, ſuperbia, *ſuperbia eſt, ſicut enim volucris alta*
& vulpes, *petit, ſic ſuperbia, & ut vulpes ca-*
id eſt, dolus *vernas habent doloſas, ita omnes in-*
nidificârunt. *ſidiatores. Quid ergo reſpondit Do-*
minus? poteſt in te habitare ſuper-
bia & dolus, Chriſtus non habet in te
ubi habitet. Super iſta ingratitudine
non ſe continet D. Baſilius, quin
S. Baſilius. excandeſcat in te: *Quidnam tecum*
agendum eſt ô homo! in ſublimi
Deum agentem minimè quærebas, ad
te vero per carnem venientem, &
tecum converſantem non recipis? Sed
quomodò in præſepio jacebat infans
Jeſus? antequàm ad hoc reſpondeam,
peto ego quomodò ſederit
Chriſtus Samaritanam convertens?

Joannis 4.6 VIII. Joannis 4. 6. *Fatigatus*
Abjectio *Jeſus ex itinere ſedebat ſic ſupra fon-*
Chriſti in *tem*, id eſt, ita fatigatus, ut nul-
ſtabulo, in- lo modo exprimi valeat. Cogita
explicabilis. quidquid de aliqua fatigatione &
humili ſeſſione cogitari poteſt, *Sedebat*
ſic, nec habet Joannes verbum
aliud, quo utramque exprimat,
quàm verbum *Sic*. Scio Patres
laborare, ut ly *Sic* ſuo modo
explicent, ſed omnibus relictis ſolum
produco Os aureum. *Sedebat*,
inquit, *Sic*: Non ſub throno Regio,
holoſerico vel aurato: *Non in* S. Chryſoſt.
loco honeſtiori, ſed in terra, ut con-
tingit, donec veniret mulier. Sede-
bat ſic ille, cujus eſſentia incomprehenſibilis,
cujus magnitudo interminabilis,
cujus majeſtas infinita,
ſedebat ſupra palmum terræ,
Minoratus ab Angelis. Si jam Hebr.2.7.
quæras à me quomodò infans Jeſus
reclinatus in præſepio jacuerit?
reſpondeo, *Jacebat ſic*: Super fœ- *Hanc paſſus*
num & ſtramen? *Jacebat ſic*: In- *eſt ut dam-*
ter bovem & aſinum? *Jacebat ſic*: *naret mun-*
Algens & tremens præ frigore? *Ja-* *di gloriam,*
cebat ſic: In domicilio paleis & ani- *& nos ſubli-*
malium ſtercore ſordidato, vento & *maret in*
frigori pervio? *Jacebat ſic*: Sic exi- *cœlis.*
gebat miſer captivorum ſtatus; quia
venerat damnare ſuperbiam & avaritiam
noſtram, ideò oportebat
eum uſque ad ſtabulum & præſepe
humiliari, & ad extremam redigi
paupertatem. Qui ad dexteram Patris
ſedebat in cœlo, loco egebat
in diverſorio, ut nobis de carcere
diaboli liberatis copiam felicium
manſionum in domo Patris ſui donaret;
Amictus lumine ſicut veſtimento,
in aſſumptione noſtræ fragilitatis
exiguis contegitur pannis,
ut noſtri miſeratus, primam nobis
ſtolam reſtitueret, id eſt, ad gratiam
immortalitatis, quam in primo
parente amiſimus, nos reduceret.
Ille per quem omnia facta ſunt, manus
pedeſque ſuos pannis involvi
voluit, ut nos vinctos catenis duabus
ſolveret, manus in bono opere
promptas redderet, pedes noſtros
in viam pacis dirigeret, &
cuncta

cuncta corporis noſtri membra divinis manciparet obſequiis. Super his omnibus ſtupore plenus exclamat S. Laurentius Juſtin. de Nat. Dom. *Agnoſcimus in ſtabulo exinanitam majeſtatem, Verbum abbreviatum, ſapientiam amoris nimietate infatuatam.* Ne miremini, quia cum D. Chryſoſtomo loquor: *Quod ſæpe-numerò dixi, & in præſens repetam, Deum ſcilicet non adeò ſuam ſpectare dignitatem, ut noſtram ſalutem.* Et bene: quia *Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur majeſtas & amor.* Quærit Melliffuus cur Angelus nuntians Mariæ Verbum incarnandum, dixerit: *Hic erit magnus, & Filius altiſſimi vocabitur. Quare hic erit, inquit ſuper miſſus, & non potius eſt magnus, qui ſemper æqualiter magnus, non habet quo decreſcat, nec major poſt conceptum ſit, quàm ante vel fuit, vel erit? an fortè propterea dixerit erit, quia qui magnus Deus erat, magnus homo futurus ſit, bene ergò hic erit magnus, magnus Homo, magnus Doctor, magnus Propheta.* Ego addo magnus Amator animarum: qui amat, neſcit ſe magnum, ut acutè more ſuo notat D. Hieronymus in Salomone. Scripſerat hic tres libros: Proverbia, Eccleſiaſten, & Canticum Canticorum. Primi titulus eſt: *Parabolæ Salomonis filii David Regis Iſrael.* Secundi: *Verba Eccleſiaſtæ filii David Regis Iſraël.* Tertii: *Canticum Canticorum Salomonis.* Quid eſt, quod in tertio nec Principem, nec Regem ſe meminit, ſicut in primo & ſecundo? Duo priores de ſubditorum inſtructionibus tractabant, ideò authoritas & majeſtas ejus erat exponenda, in Canticis de ſolo agebat amore, amplexibus & affectuoſis colloquiis, & tunc *Neſcit ſe eſſe Regem.* Verbum Patris, ut captivum hominem de carcere diaboli liberet, *Neſcit ſe eſſe Regem*, ſed majeſtate depoſitâ ad terram deſcendit. *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis uterum.* 3. Reg. 14. 1. 4. Ægrotante Abiâ, filio Regis Jeroboam, dicit Rex uxori ſuæ: *Surge & commuta habitum, ne cognoſcaris quod ſis uxor Jeroboam, & vade in Silo, ubi eſt Abias Propheta, ipſe indicabit tibi quid venturum ſit puero huic.* At illa commutavit habitum, & ſecundùm Cornelium: *Depoſitâ Regali veſte plebeiam induit.* O rem grandem! Reginam, ob filii infirmitatem regali veſte depoſitâ, plebeiam induere! Seraphicus Bonaventura Serm. 13. altiori ſtupore correptus, omnes inclamat: *Vide clementiam Domini Salvatoris, quia potentiam occultavit in ſtabulo, ſapientiam occultavit in infantulo nobis dato, & ſuam militiam occultavit in bove & aſino:* Exclamo cum D. Bernardo Opuſc. de Chri. Cap. 8. *Triumphat de Deo amor.*

S. Laurentius Juſtin.

S. Chryſoſtomus.

S. Bernardus.

Propter amorem hominis, ſui quaſi oblitus.

S. Hieronymus.

Deitatem occultavit, ut appareret homo.

1. Reg. 14. 1. 4.

Corn. à Lap.

S. Bonaventura.

S. Bernardus.

IX. Ite Angeli veloces, & recantate quondam captivis diaboli canticum, quod ceciniſtis in Chriſti nativitate. *Evangelizo vobis gaudium magnum:* gaudium de quo Beda: *Verè gaudium magnum, quia gaudium cœleſte, gaudium æternum, gaudium, quod nullâ triſtitiâ interveniente turbatur. Quia natus eſt nobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus.* Bene dixit *Hodie* natus eſt, non hâc nocte, quia cum

Lucæ 2. 10.

S. Beda.

Gaudium magnum in hac Nativitate annuntiant Angeli, utique pacis æternæ.

cum luce cœleſti apparuit, qui ante omnia tempora lumen de lumine, Deus verus de Deo vero natus eſt. Quia habitantibus in carcere diaboli, in regione umbræ mortis lux orta eſt vitæ, rectè dicitur: *Quia natus eſt hodie Salvator*, ut hoc quoque verbo admoniti, ſemper recordemur, quia nox præceſſit antiquæ cæcitatis, dies autem appropinquavit æternæ ſalutis, & impoſterùm abjiciamus opera tenebrarum, & ut filii lucis ambulemus. Comple canticum tuum, Angele Dei: *Et hoc vobis ſignum: invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* Hoc ſignum univerſum genus humanum requirebat, & paſtoribus datum eſt. O *Radix Jeſſe, qui ſtas in ſignum populorum*: cùm multi Reges & Prophetæ voluerunt te videre, & non viderunt, ad paſtores ait Angelus: *Et hoc vobis ſignum*: Vobis humilibus, vobis obedientibus, vobis non alta ſapientibus, vobis vigilantibus, & in lege Domini die ac nocte meditantibus. *Hoc*, inquit, *vobis ſignum*. Quod? quod Angeli promittebant, quod populi requirebant, quod Prophetæ prædixerant, in quo recipiant increduli fidem, puſillanimes ſpem, captivi indulgentiam. Hoc ergò vobis ſignum. Cujus rei ſignum? indulgentiæ & gratiæ, pacis, & pacis cujus non erit finis. Hoc ſignum pacis Propheta quondam Regi Achaz proponebat petendum à Domino Deo ſuo: *Pete tibi ſignum, ſive in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra.* Sed Rex impius recuſavit, non credens miſer, quod in ſigno hoc ima ſummis in pace ſocianda eſſent. Sittite hic N. N. & audite altiſſimum Sacramentum: Erat Achaz incredulus æquè ac impius, duplici obſidione preſſus, diffidebat Prophetiæ Iſaiæ promittentis Dei auxilio hoſtes evertendos, & offerentis probationem per ſignum & miraculum, at impius idololatra à Deo averſus, eique diffidens, fidenſq; dæmonis, idola ſua ſtatuerat conſulere, unde ait: *Non petam.* Opibus ſuis & auxilio Aſſyriorum confiſus, ficte dicebat: *Non tentabo Dominum.* Hinc excandeſcens Propheta ait Regi ſuiſque: *Audite ergo domus David, numquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo?* Cum veſtra impietate irridetis Deum, & tam magna ultrò promittentem contemnitis, quin & falſitatis, vel impotentiæ accuſatis. *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Propter hoc*, propter incredulitatem & ingratitudinem *Dabit Dominus ipſe vobis ſignum.* Quod hîc exſpectatis N. N. exhorreſco vel ſolo cogitatu: Numquid aperiet terra os ſuum, ut deglutiat eos? Numquid icti fulmine interibunt, aut ignis conſumet eos? O inauditum Sacramentum! *Propter hoc, ecce Dominus dabit vobis ſignum.* Grande crimen commiſiſti domus David, *Propter hoc* facturus eſt Dominus prodigium grande: & quale obſecro? *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Mira ratiocinatio! Achaz in cœlum blaſphemat, & Dei miſericordiam irritat, & Deus fundum liberalitatis & bonitatis exhaurit: quæ conſequentia de blaſphemiis ad gratiam?

Verſ. 11.

Verſ. 12.

Iſaiæ 11. 10. *Et ſignū illius humilibus & vigilantibus paſtoribus datur,*

Iſaiæ 7. 11. *Quod Achaz noluit petere, cui multi impii in hoc ſimiles ſunt.*

Verſ. 12.

Verſ. 13. *Et quibus nihilominus divina Miſericordia ſumma clementia ſignū conceſſit.*

Verſ. 14. *Vincens inaudito miraculo in bono malū.*

tiam? de injuriis ad beneficia? de extremo impietatis ad excellentiſſimum opus charitatis Dei? Quis umquàm audivit argumentum ſimile? Nomen Dei blaſphematur, bonitas ejus irritatur, majeſtas Divina vilipenditur, & *Propter hoc* bonitas illa infinitè offenſa, deſcendit de cœlo, incarnatur, in ſtabulo naſcitur, & in præſepio reclinatur, ut hominem de diaboli carcere, cujus ſervituti ſe ſubjecerat, liberaret. Quis hìc cùm D. Dionyſio Areop. de Divin. Nom. Cap. 4. non dixerit de divino amore, *Amor extaſim fecit?*

S. Dionyſius Areop.

X. Doctor Seraphicus à ſcientia experimentali edoctus, definit extaſim Tract. 2. de 7. Gradib. contempl. *Extaſis eſt, deſerto exteriore homine ſui ipſius ſupra ſe voluptuoſa quædam elevatio ad ſuperintellectualem divini amoris fontem.* Variis circa extaſim relictis quæſtionibus theologicis, noto cum SS. Auguſtino, Gregorio, Bernardo, Angelico & Seraphico de 7. Itineribus æternit. non dari extaſim, quam non comitetur tranſmigratio amantis in amatum, quia *Anima magìs eſt ubi amat, quàm ubi animat.* Unde ordinariè ſequitur, quod extaſim patiens mutetur in facie. Venite & videte, num amor fecerit Deum verè extaticum: interrogemus eos, qui (quantùm homini fas eſt) viderunt eum in terris, an ex amoris extaſi non viderint immutatam faciem. Adam, cum D. Bernardo Serm. 2. de Nat. te alloquor: *Noli fugere Adam, noli timere, non venit cum armis, non puniendum ſed ſalvandum requirit: & ne fortè dicas etiam nunc: Vocem tuam Domine audivi & timui, ecce infans eſt, & ſine voce: nam vagientis vox magìs miſeranda, quàm timenda.* Veni ad ſtabulum Bethleemiticum, in præſepio reclinatum aſpice, & vide an ipſe ſit, quem in Paradiſo vidiſti: ibi ambulabat, hìc jacet pannis involutus: ibi minabatur, hìc gemit: ibi ad auram poſt meridiem ambulabat inter arbores veluti captandi frigoris causâ, hìc mediâ nocte quaſi congelatus duorum animalium halitu calefieri conſtringitur. Moyſes loquebaris cum Deo *Facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum*, veni & vide utrum adhuc ipſe ſit, quem vidiſti. Ardebat in monte Sinai in rubo, in Bethleem tremit præ frigore. Ibi populo ſuo legem dabat, hìc à ſubdito ſuo accipit. Ibi per tonitrua & fulgura ſibi reverentiam conciliabat, hìc vagitu ſuo corda rapit. Ibi nube denſiſſimâ operiebatur, hìc nudus totus jacet in præſepio. Ibi ob fulgura & clangorem buccinæ, montemque fumantem *Perterriti, ac pavore concuſſi ſteterunt omnes procul, dicentes Moyſi: Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*, hìc adeò blandulus eſt, ut omnes invitet ad oſculum. Salomon diceſne modò hunc, qui hìc in tenebris jacet, ipſum eſſe, de quo dicebas 2. Paral. 7. 1. *Majeſtas Domini implevit domum?* Ezechiel quando videbas eum, erat totus ex ſuccino, modò de ſuccino nil habet præter ſympatiam cum ſtramine; ſedebat tunc in ſede Majeſtatis, modò involutus faſciis jacet

S. Bonaventura.

Amor ejus immenſus extaſim cauſavit, & totam Dei faciem mutavit.

S. Bernardus.

Exod. 33. 11.

Exod. 20. 18.

2. Paral. 7. 1.

M m ſuper

ſuper fœnum animalium: ex animalibus quæ ibi videbas, non reperio hîc, niſi ſolum bovem. Iſaia vide & tu, vide hîc Deum, quem Cap.6. vidiſti ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, potiori jure dices modò, quod Cap.53. v.2. *Vidimus eum & non erat aſpectus*; quem video inter paſtores, nihil ſimile habet cum eo, quem vidi inter Cherubim. *Vidimus eum*, & quia *non erat aſpectus*, non cognoſco: *Unde nec reputavimus eum*. Ne miremini N. N. *Amor extaſim fecit*, quæ adeò Deum mutavit, ut etiam familiares ejus eum ultrà non cognoſcant. Si illi te non cognoſcant æterni Patris Verbum Incarnatum, nos cum S. Laurentio Juſtiniano *Agnoſcimus in ſtabulo exinanitam Majeſtatem*, *Verbum abbreviatum*, *ſapientiam amoris nimietate infatuatam*. Agnoſcimus præ amore Deum verè extaticum.

Iſaiæ 53. 2.

S. Laurentius Juſt. de Nat. Dom.

XI. Huc adeſte fideles, jubilate cum Angelis, adorate cum Maria, cum Joſeph & paſtoribus: Delectemini in Domino & exultate in Deo Jeſu veſtro. Venite & vos Chriſtiani & videte non diviſum mare, ut Exod. 14. 11. ſed immenſitatis oceanum intra corpuſculi tenerrimi anguſtias contentum. Non jam rubum in mediis flammis incombuſtum, ſed Virginem ſine operatione humana Paradiſi florem germinantem. Non virgam Aaron ſine ſucco floridam, ſed JeſſeamVirginem Spiritûs ſancti virtute fructum benedictum producentem. Non hîc Moyſes in fiſcella ſcirpea ſuper aquas exponitur, ſed Rex regum & Dominus dominantium vagiens in præſepio collocatur. Videte non columnam igne accenſam, ſed Deum amore æſtuantem. Videte non Prophetam ſe minorantem, & membra contrahentem, ut puerulo mortuo vitam & ſpiritum infundat, ſed Majeſtatem immenſam parvuli corporis membris circumſcriptam, ut vitam & gloriam donet nobis ſempiternam. Videte non ſolem ſtupente naturâ decem lineis retrogradum, ut tempore Ezechiæ 4. Reg. 20. 4. ſed ſolem juſtitiæ, æterni Patris Verbum, integris decem gradibus regreſſum, & infra novem choros Angelorum minoratum, in decimo gradû, in natura nempe humana, conſiſtentem. Miracula hæc ſunt numquam ante audita. Iſaia non ultrà vaticineris nobis: *Conſolamini*, *Conſolamini popule meus. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur.* Quia quemadmodùm promiſit Dominus, ita factum eſt. Nam: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. In terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Baruch. 3. 38. qui olim per te & alios præcones ſuos loquebatur, modò adeſt ipſe, & locutus eſt, ac loquitur adhuc nobis per ſemetipſum. Adeſt nobis per humanitatis aſſumptionem, & idcircò vocatum eſt *Nomen ejus Emanuel: quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus.* Utique nobiſcum ut Reconciliator, Redemptor, Paſtor & Vita noſtra. Adeſt nobis ut Reconciliator noſter, qui nos per Sanguinem ſuum Deo Patri reconciliavit, & per quem habemus acceſſum ad Patrem, quia inter nos

Cujus incarnatio omni prodigio præteriti temporis magis ſtupenda.

Exod. 14. 11.

Exod. 3.

Num 17.

Exod. 13.

4. Reg. 20. 4.

Iſaiæ 40. 1. Verſ. 10.

Joan. 1. 14.

Baruch. 3. 38.

Matth. 1. 20.

Non amplius dicant Propheta veniet, quia jam venit Reconciliator Redemptor Paſtor & Vita.

& Patrem Mediator eſt efficaciſſimus. Adeſt nobis ut Redemptor noſter, qui nos à morte perpetua, à diaboli captivitate & tyrannide, atque à peccatis noſtris redemit, & adhuc quotidie ſalvos facit. Adeſt nobis ut verus Paſtor animarum noſtrarum, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, qui eas paſcit verbo & opere, ſignanter ſacratiſſimo Corporis & Sanguinis ſui cibo potuque. Ad hujus ſacratiſſimi myſterii conſiderationem non ſe continet præ mentis lætitia S. P. Damian. Serm. 2. de Nat. *Non me capio præ lætitia, quod illa majeſtas naturam ſuam exinaniens, in naturam noſtræ carnis & ſanguinis ſupervenerit, ne miſerum divitiis gloriæ ſuæ non ad horam, ſed in ſempiternum excludat. Fit frater meus Deus meus, & timorem Domini fratris vincit affectus. Domine Jeſu libenter te audio regnantem in cœlis, libentiùs naſcentem in terris.* Quanta mihi lætandi ratio, quod Deus meus factus ſit frater meus; Dominus univerſi formam ſervi acceperit, & ne æternùm moriar, immortalis factus ſit mortalis: *Domine Jeſu libenter te audio regnantem in cœlis, libentiùs naſcentem in terris.* Hoc myſterium tanto jubilo implebat cor Magni P. Auguſtini, ut Lib. 9. Confeſſ. Cap. 6. teſtetur: *Conſolabar illis diebus dulcedine mirabili, conſideratione altitudinis conſilii tui, ô Deus ſuper ſalute generis humani.* Exclamet nunc D. Ambroſius pater ejus ſpiritualis Lib. 2. de Spiritu ſancto: *O divinum myſterium! ô evidens ſacramentum! evaſimus interemptorem, potentem vicimus. Ibi nunc cibus vitæ eſt, ubi erat anteà miſeræ mortis. In ſalutem pericula, in ſuavitatem amaritudo convertitur. Gratia ex offenſione proceſſit, patientia ex infirmitate, vita ex morte.* Et tamen neſcio, an hodiernum feſtum Dei potiùs dixerim, quàm noſtrum.

S. Damianus.

S. Auguſtinus.

S. Ambroſius.

Et gratia ſumma ex offenſione proceſſit.

XII. Quæres fortè cum Origene Hom. 23. in Num. *Habet ergò Deus dies feſtos ſuos? habet: Eſt enim ei magna feſtivitas humana ſalus.* Inter omnes dies feſtos Dei, præcipuus ille eſt, dum *Verbum caro factum eſt*: Pauli Epiſtolam lege 2. Cor. 8. 9. *Scitis gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Quam obſecro? *Illam*, inquit Angelicus Doctor, *quam humano generi contulit.* Textus græcus habet: *Scitis feſtivitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Feſtivitas ejus per antonomaſiam fuit, dum propter nos egenus factus eſt, cùm natus in ſtabulo pro throno Regali habuit præſepium; pro culcitris fœnum; pro igne halitum bovis & aſini; pro periſtromatis aranearum telas; pro odoramentis excrementa boum; pro purpura viles panniculos; pro procerum turba Joſeph & Mariam. Qui ideò pro nobis *Pauper factus eſt*, inquit D. Gregorius Nazianzenus Orat. 1. in Paſcha, *ut nos illius paupertate diteſcamus, & ſervi formam accepit, ut nos libertatem recipiamus; deſcendit ut evehamur.* Redemptio noſtra ipſius feſtivitas eſt. Hanc Dei feſtivitatem ſub duplici Metaphora ovis & dragmæ nobis ob oculos ponit Lucas Evangeliſta Cap. 15. Quis, inquit, ex vobis homo habens centum

Origenes.

2. Cor. 8. 9.

D. Thom.

Summâ dignatione hanc feſtivitatem non tam noſtram quàm ſuã reputat.

S. Greg. Naz.

Lucæ 15. 7.

centum oves, & ſi perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? & cùm invenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens, & veniens domum convocat amicos & vicinos dicens illis: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* Aut quæ mulier habens dragmas decem, ſi perdiderit dragmam unam, nonne accendit lucernam, & evertit domum, & quærit diligenter donec inveniat? & cùm invenerit, convocat amicas & vicinas dicens: *Congratulamini mihi, quia inveni dragmam, quam perdideram.* Quis neſcit per ovem perditam, hominem in carcere diaboli detentum, & per dragmam, animam ejus, ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatam, ideòque numiſma Divinitatis dictam, ſed diaboli malitiâ conſpurcatam, intelligi? Æterni Patris Verbum, relictis novem choris Angelicis, deſcendit de cœlo, ut de ſervitute diaboli hominem liberaret, & ut in eo imago & ſimilitudo ſui redintegraretur: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* O ineffabilem Dei clementiam! ô bonitatem infinitam, dum implacabiliter indignari debebat, videns in nobis adeò deturpatam imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad reſtaurandum damnum noſtrum, miſeratione ductus, aſſumere dignatus eſt imaginem & ſimilitudinem noſtram: Unde D. Gregorius Nazianz. Orat. de Nat. Dom. jubilo & ſtupore plenus exclamat: *Quænam hæ bonitatis divitiæ? quodnam me circumſtat myſterium? Divinam imaginem accepi, nec ſanam rectamque habui; ille meam carnem accepit, ut & imagini ſalutem, & carni immortalitatem afferat.* Et ecce, ſubjungit ille: *Secundum conſortium nobiſcum init, & quidem priori longè admirabilius; tum enim id, quod præſtantius erat, nobis impertiit; at nunc illius, quod deterius eſt, particeps ipſe ſit.* Ideòque *Hoc priori illo divinius, hoc apud cordatos & prudentes viros multò ſublimius.* Habebat Adam in ſe imaginem & ſimilitudinem Dei, nihilominùs illectus fraudulentis diaboli promiſſis, *Eritis ſicut Dii*, deſiit eſſe ſimilis, & factus eſt diſſimilis Deo, irriſoriè & ironicè illi dicenti: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt.* At modò, inquit Ugo Vict. dicere poſſumus in veritate: *Ecce Deus factus eſt quaſi unus ex nobis.* Et tamen convocat cœlum & terram, ut ſuper his congratulentur ei: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. Congratulamini mihi, quia inveni dragmam meam, quam perdideram.* Audiendus hîc D. Gregorius Hom. 34. in Evangelia: *Notandum quod non dicit: Congratulamini inventæ ovi, ſed mihi, quia videlicet ejus gaudium eſt vita noſtra, & cùm nos ad cœlum reducimur, ſolemnitatem lætitiæ ejus implemus.* In ſenſum Gregorii abit Angelicus Opuſc. 63. *Angelos convocat ad congratulandum non dragmæ, non homini, ſed ſibi; quaſi homo Dei Deus eſſet, & tota ſalus divina ab ejus inventione dependeret, & quaſi ſine ipſo beatus eſſe*

Idque quia hâc die, quæ nobis ad ſalutem eſt, ovem, quæ perierat gratiâ ſuâ requirit.

S. Greg. Naz.

Gen. 3. 5.

Verſ. 22.

Ugo Vict. *Factus verò quaſi unus ex nobis.*

S. Gregorius.

D. Thomas.

eſſe non poſſet. Liberate Captive putabam hodie gratulari tibi adeptam libertatem, ſed Verbum pro te incarnatum prohibet mihi, volens ſibi gratulationem fieri: *Congratulamini mihi, quia inveni dragmam, quam perdideram.* Gratulor ergò tibi, Chriſte Jeſu, inventam ovem & dragmam inventam, & dum gratulor, non poſſum non petere cum Propheta.

XIII. Job 7. 17. *Quideſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Quid eſt homo, niſi ſimulacrum vanitatis? *Homo vanitati ſimilis factus eſt*, ut inquit Pſaltes Regius Pſal. 143. 4. Non niſi ſomnium, & umbra, imò nihilum eſt, eodem ipſo tanto Monarchâ teſtante Pſalm. 72. 22. *Ad nihilum redactus ſum.* Quomodò ergò poſſibile, ut homo tam vilis, ſit objectum amoris, & deliciæ cordis tui, Deus meus, ut apponas erga eum cor tuum? Pande, pande Pater miſericordiarum arcana cordis tui, quid eſt in homine quod adeò rapit divinum cor tuum? Ad hoc reſpondet Mellifluus Bernardus Serm. 5. de Dedic. Eccl. *Scio, ſcio.* Memini te dicere Matth. 6. 21. *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Cor ſemper abit poſt theſaurum ſuum, nec poteſt elongari ab eo, dum ergò video quod non poſſis ſeparari ab homine, & quod apponas erga eum cor tuum, poſſum & debeo bonâ logicâ concludere, quod homo ſit theſaurus tuus. Quid theſaurum dico? ſi adeò apponat erga eum cor ſuum: *Quaſi homo Dei Deus eſſet, & tota ſalus divina ab ejus inventione dependeret, & quaſi ſine ipſo beatus eſſe non poſſet.* Imò volens ob ejus inventionem ſibi congratulationem fieri? Sit Joanni prodigium magnum, ſignum quod Apoc. 12. 1. apparuit ei in cœlo, dum Mariam ſole amictam vidit: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta ſole.* Majus mihi prodigium eſt, ſignum hodie ab Angelo datum paſtoribus: *Et hoc ſignum vobis: invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* Sit ſignum magnum, videre Mariam æterno ſole amictam & divinis ſplendoribus circumdatam: ſignum majus eſt, ſolem increatum vilibus pannis videre involutum, & æterni Patris Verbum amore noſtri ad ima, & ad ultimam lineam humiliationis abjectum, ut nos ad ſupremum gradum dignitatis elevet, vel ut cum Angelico loquar Opuſc. 57. *Ut homines Deos faceret, factus homo.* Magnus Auguſtinus hæc ponderans, te alloquitur, liberate Captive Serm. 62. *Pro te Deus factus eſt homo; in æternum mortuus eſſes, niſi in tempore natus eſſet; numquam liberatus à carne peccati, niſi ſuſcepiſſet ſimilitudinem carnis peccati. Perpetua te poſſideret miſeria, niſi fieret hæc miſericordia. Agnoſce, agnoſce ergò, Chriſtiane* (cum Magno Eccleſiæ Leone Papa loquor Serm. 1. de Nat. Dom.) *dignitatem tuam, & divinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire.* Fierine poterit, ut ad Divinæ naturæ participationem ſublimatus ultrà tibi dominari ſinas ſæviſſimum tyrannum diabolum, ejuſque te iterum ſubjicias ſervituti? *Agnoſce, agnoſce*

Job 7. 17. *Qui, utpote vaniſſimi, nil ſimile merebamur.* Pſalm. 143. 4. Pſal. 72. 22. S. Bernardus. Matth. 6. 21. D. Thomas.

Apoc. 12. 1. *Magnũ fuit ſignum videre mulierẽ amictã ſole, ſed adhuc majus ſolem æternũ non nubibus ſed pannis videre involutũ.* Lucæ 2. D. Thom. S. Auguſtinus. S. Leo. *Certè hoc nobilem à te vitã poſtulat, quod naturam tuam jam ad Divinitatem ſublimârit.*

agnoſce, Chriſtiani dignitatem tuam, & Divinæ conſors factus Naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire. Et quis, ut verum fatear, videns naturam ſuam fragilem, Divinitati inſertam, in veterem poſſet vilitatem degenerare, & Dei imaginem deſideriis pravis, aliiſque vitiis denuò contaminare? quis videns mentis oculis Filium Dei amore noſtri in viliſſimo præſepio reclinari, non exuat amorem inordinatum erga corpus ſuum? *Quid ergò*, exclamat Eucherius Hom. 2. de Symb. *Quid ergò te, ô homo, erubeſcendis cupiditatibus exhonoras? nobilem vult vitam tuam, qui tibi commiſit imaginem ſuam, ut videas quàm pretioſus ſis, ſi factorem fortè non credis, interroga Redemptorem.* Ille Deus, qui tibi confidit imaginem ſuam, & à te conſpurcatam aſſumpſit, ut eam priſtino ſtatui reſtitueret: *Nobilem vult vitam tuam, qui tibi commiſit imaginem ſuam.* Et ſi ad imaginem te creâſſe non ſufficiat, ut erubeſcendis cupiditatibus non indulgeas, vide quanta pro te faciat & patiatur Redemptor tuus; hic dicet tibi, quod in oculis ejus adeò pretioſus ſis, quod, ut te de carcere diaboli liberaret, ipſemet in utero Virginis tamquàm captivus novem menſium ſpatio delituerit; & licèt Dominus univerſi eſſet, naſci voluerit, non in aula Regia, aut ſuperbo palatio; nequidem in pauperrima domo matris ſuæ, ſed in ſtabulo, nec in cunabulis auratis, ſed in animalium præſepio elegerit reclinari, aëris inclementiæ, frigoris rigori & extremæ paupertati expoſitus.

Eucherius.

Et talem à te vult qui Imaginẽ ſui tibi credidit & tuam ſimilitudinẽ pro te aſſumpſit.

Non hæc ſufficiunt, ut videas *Quàm pretioſus ſis; ſi factorem fortè non credis, interroga Redemptorem. Quid ergò te, ô homo, erubeſcendis cupiditatibus exhonoras? nobilem vult vitam tuam, qui tibi commiſit imaginem ſuam.* Quidni exceſſiva Filii Dei humiliatio, inauditâ antiperiſtaſi ſanctam in te excitet ſuperbiam nulli impoſterum ſerviendi turpitudini, de qua Euſebius Emiſſ. Exord. Cont. Div. vitia: *In hoc ſolo videatur eſſe elatio, ut dedignetur ſubjacere peccato: in hoc ſolo ſe erigat, ut paſſiones velut blandimenta calcet & conterat, & delectationes concupiſcentiæ carnalis exhorreat, & contra laſcivam mollitiem malè ſuadentis carnis toto affectu conſcientiæ generoſitas aſſurgat. Hæc ſuperbia ſola decet eos*, inquit Os Aureum, *qui Chriſtum venerantur, nulli ſervire turpitudini, ſed mentem ſervare in libertate, morumque pietate.* Hæc eſt ſuperbia omni laude, applauſu, & cœleſtibus encomiis digniſſima, de qua D. Petrus Damianus Lib. 7. Ep. 5. ad Med. *O beata iſta ſuperbia, ô beata mentis elatio, & omnibus digna præconiis, quæ dum carnalis thalami jura contempſit, in dotalium Regis æterni glorioſa tranſivit.* Superbia, ad quam ſolo terrenæ Philoſophiæ radio, ſeipſum excitabat Seneca Philoſophus Gentilis: *Major ſum, & ad majora genitus, quàm ut mancipium ſim mei corporis.* Si Gentiles pudeat mancipia eſſe corporis ſui: *O homo quare ſic honoratus à Deo*, quærit D. Chryſologus Serm. 148. *Teipſum taliter inhonoras? homo, quare tibi*

tam

Si tamẽ adhuc ultrà ſuperbire velis, hæc ſit ſuperbia tua per Chriſti humilitatem altiorem te reputare omni peccato.

Euſebius Emiſſ.

S. Chryſoſt.

S. P. Damianus.

Seneca Ep. 65

S. Chryſologus.

tam vilis es, qui tam pretioſus es Deo? Major es & ad majora genitus, quàm ut iterum mancipium fias diaboli, & novæ te iterum ſubdas ſervituti: Audi Originem Hom. 3. in Gen. de ſe & te loquentem: *Quid prodeſt ſi in illa tantùm carne, quam de Maria ſuſcepit, dicam veniſſe Chriſtum, & non oſtendam etiam in hac carne mea quod venerit? oſtendo autem, ſi quemadmodùm priùs exhibui membra mea ſervire iniquitati ad iniquitatem, nunc ea convertam & exhibeam ſervire juſtitiæ ad ſanctificationem.* Hoc in prima hujus ſacratiſſimi myſterii figura Deus oſtenſum voluit.

Origenes.

Sic in carne tua oſtendes Chriſtum aſſumpſiſſe carnem.

XIV. Exodi 3. 5. Moyſi paſcenti gregem Jethro ſoceri ſui, apparet Dominus in flamma ignis de medio rubi, qui ardebat & non comburebatur. Cùm pergeret Moyſes ad videndam viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus, clamat Dominus: *Ne appropinques huc, ſolve calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* S. Thomas Villa-novanus Eccleſiæ & Auguſtinianæ familiæ præclariſſimum jubar ſuper his Deum interrogat: Concione 2. de Nat. *Quid ad locum ſanctum calceamenti ſolutio? Quid ſanctitatis cum calceo? Locus ſpinoſus eſt, Domine, & calceamentum deponere jubes?* Si hoc mandes, ut majorem tibi reverentiam exhibeat, jube ut genua flectat, detecto ſit capite, teque adoret: *Non ait, tolle pileum, genua flecte, proſterne te coram Domino, quæ inſignia ſolent eſſe cultûs & reverentiæ, ſed calceamentum ſolve.* Quare? *O magnum latens ſacramentum!* Maria rubus. *Tu Virgo beata es ille rubus ardens & inconbuſtus. O igitur quiſquis non jam ad umbram, ſed ad ipſam veritatem paſſibus cordis accedis, accede reverenter: & ſi vis intelligere myſterium, ſolve calceamenta, calceatis pedibus non acceditur ad ſacra. Calceus eſt animæ affectus & cogitatus; horum calceamenta pedum carnis paſſiones, appetitus, cupiditates & illecebræ. Hæc ergò calceamenta de pedibus tuis ſolve.* Mellifluus Bernardus jungit preces ſuas Serm. 3. ſuper Miſſus: *Studeamus effici ſicut parvulus iſte, ne magnus Deus ſine cauſa factus ſit homo parvus.* Non enim terræ Regibus, non divitibus habentibus hic ſuam conſolationem, ſed paſtoribus, ſed pauperibus & humilibus hodie gaudium magnum Evangelizant Angeli. Non conſolatur Chriſti infantia garrulos, non conſolantur lacrymæ Chriſti cachinnantes, non conſolantur panni ejus ambulantes in ſtolis, non conſolantur præſepe & ſtabulum amantes primas cathedras in Synagogis, ſed æquanimiter expectantes in ſilentio Dominum, lugentes, pannoſos & pauperes ſpiritu.

Exod 3. 5.

S. Thomas à Villa-nova.

Calceamenta etiam de pedibus ſolvenda ſunt, ut dignè accedamus, & terreni affectus exuendi.

S. Bernardus.

XV. Eia ergò, Liberate Captive, ſi Majeſtas Divina exinanivit ſe: *Formam ſervi accipiens*, ut te de carcere diaboli liberaret: *Noli iterum jugo ſervitutis contineri.* Gal. 5. 1. Noli, noli iterum tanto tyranno te ſubdere. Nôſti ex D. Bernardo, quod quatuor ſollicitent & clament animam tuam. Caro, mundus, diabolus & Chriſtus. *Clamat caro:*

Philip. 2. 7.

Galat. 5. 1.

Nec ultrà ad carcerē diaboli redeundum.

S. Bernardus.

Sed in Chriſto manendũ, qui ſolus reficiat nos.

caro: ſervi mihi, & ego te inficiam. Clamat mundus: ſervi mihi, & ego te deficiam, dum in neceſſitatibus tuis deſeram te. *Clamat diabolus: ſervi mihi & ego te decipiam. Clamat Chriſtus: ſervi mihi, & ego te reficiam.* mundabo te ab impuritatibus carnis, conſolabor te à mundo derelictum, contra malitiam diaboli protegam te & ſalvabo te. Vide quem elegeris, & cui te ſubjeceris; ſi ſapis, dices cum Davide Pſalm. 118. *Tuus ſum ego Domine.* Cum D. Thoma à Villa-nova ad nati Salvatoris præſepe provolutus exclamabis: *O quomodo me amas amor meus, quomodo me amas! & quantum tibi debeo gloria mea? Meus es ô bone Jeſu, & undequaque meus es; mihi natus à Matre, mihi donatus à Patre: duplici te jure poſſideo: Meus es totus, & in meos uſus expenſus: quocumque te verteris, totus meus es, mihi natus à Matre, mihi datus à Patre: ideò huic juri meo in æternum non renuncio.* Et rurſus: *Quod ſi tu noſter es, omnia quòque tua noſtra ſunt, cujus enim perſona, ejus quoque omnia ſunt bona perſonæ noſtra igitur ſunt merita tua, noſtra ſunt vulnera tua, noſtri vagitus infantis, noſtri labores docentis, noſtri dolores morientis; quidquid in mundo egiſti, quidquid laboraſti, quidquid ſuſtinuiſti, quidquid meruiſti, optimo jure noſtrum eſt, quia tu noſter es. O me divitem tantis meritis! exaggera jam crimina, aggrava peccata, repete ad integrum debita, majora ſunt merita mea, major eſt ſatisfactio mea, majora ſunt ſervitia mea. Mea, inquam, mea; non mea, quæ ego feci, ſed mea, quæ à te ſuſcepi: mea, quia mei, audebo dicere, ſervi, quem mihi hodie Virgo emit. Domine ſtemus ſimul, judicemur ſimul, nolo me Domine ſeorſim judices à te., ſic enim verè damnatus ſum. Si debita computas mea, meam quòque recipe ſolutionem. Non me ſepares Domine à te in judicio, & ſcio quia ad victoriam perveniet judicium meum, quia etſi gravia ſunt criminum onera, hæc tamen ſatisfactio quaſi arena maris gravior apparebit.* Fiat, fiat.

Pſalm. 118.

S. Thomas à Villa-nova.

Et ſua merita communicabit nobis non minus quam perſonam, ſecundùm quam datus eſt nobis.

IN

IN FESTO IMMACULATÆ

CONCEPTIONIS B. M. V.

De Captivitate Petri.

Cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem. Act. 12.

I. QUiſquis ex muliere natus eſt, natus eſt filius iræ: ita teſtatur Apoſtolus Eph. 2. 3. *Eramus naturâ filii iræ, ſicut & cæteri.* Item Rom. 3. *Omnes peccaverunt.* Nullus tamen audeat ſub ly *omnes* comprehendere Immaculatam Virginem ab æterno in Dei Matrem electam. Si quis auderet, darem ipſi illicò in manus Epiſtolam D. Hieronymi ad Damaſum, imò ipſius ſacræ Scripturæ textus, docentes: Propoſitiones omnes univerſales S. Scripturæ, non ſemper univerſaliter eſſe exponendas, ut patet Jeremiæ 8. 10. *A minimo uſque ad maximum omnes avaritiam ſequuntur.* Pſal. 115. 11. *Omnis homo mendax.* Pſal. 13. *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt*, & ad Philip. 2. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti*: Quæ omnia, & ſexcenta alia, quantumvis univerſalia, Virginem Matrem non comprehendunt: quia de lege communi loquuntur non de privilegio: non enim B.ma V. avaritiæ ſtuduit, mendax fuit, inutilis facta eſt, aut ſua quæſivit &c. Undè ly, *omnes*, intelligendum eſt de iis, qui non ſunt ſecundùm ordinem decretorum Dei prævifi & præordinati ante Adamum, prout fuit B. Virgo, quæ erat ab æterno prior in intentione, licèt eſſet tempore poſterior futura in executione, vel certè de iis, qui non ſunt per divinam gratiam, & ex privilegio præſervati, vel de iis, qui fuêre incluſi in pacto, in quo Dei Mater numquam fuit comprehenſa, ſed ſingulari privilegio excepta. Hoc privilegium in ſpiritu prophetico præcognoſcens Propheta Regius, SS. Trinitati gratias habet Pſalm. 84. *Benedixiſti Domine terram tuam, avertiſti captivitatem Jacob. Pauca certè verba*, inquit Lezana noſter, *ſed amplioribus myſteriis, quàm litteris referta.* De terra namque illa loquitur, de qua alibi dixerat: *Veritas de terra orta eſt*, id eſt, Chriſtus, qui dixit: *Ego ſum via, veritas & vita.* Et quâ veritate diceret Pſaltes Deo: *Benedixiſti Domine terram tuam*, ſi fuiſſet maledicta? verè dixit Propheta: *Benedixiſti Domine terram tuam*, ſubjungens: *Avertiſti captivitatem Jacob*, id eſt, peccati ſervitutem, ut explicat Incognitus noſter Michaël à Bononia: ubi etiam advertit, Pſalmiſtam non dicere Deo: *abſtuliſti* captivitatem Jacob, ſed *avertiſti*, quaſi diceret, obviâſti ei, ne tyrannus infernalis eam, ut cæteros Adæ poſteros, cap-

Epheſ. 2. 3.

Rom. 3. 23.

Propoſitiones univerſales non ſemper univerſaliter accipiendæ in Scriptura:

Jer. 8. 10.

Pſ. 115. 11.

Pſal. 13. 3.

Philip. 2. 21.

Unde quod omnes in Adam peccâvint intelligendum de poſteris in decretis Dei, de concluſis in pacto, vel certè de non præſervatis per privilegium ſingulare.

Pſal. 84. 2.

Lezana.

Pſal. 84. 12.

Joan. 14. 6

Michaël à Bononia.

tivam duceret. Quod ipſa Virgo apud eundem Prophetam aſſerere videtur Pſ. 140. *Cadent in retiaculo ejus peccatores: ſingulariter ſum ego donec tranſeam*, id eſt, inquit Michaël à Paolaccio: *Captivabuntur in retiaculo diaboli peccatores, ſed ego Virgo ſingularis ſingulariter ſum à Deo præſervata, ut liberè tranſeam:* Hoc hodie venio demonſtratum, dum probo tres Perſonas Divinas fuiſſe *Mariæ cuſtodes, qui ante oſtium cuſtodiebant carcerem*, ne per originale incideret in diaboli captivitatem. Dum veſtram requiro attentionem incipio à Patre.

Pſal. 140. 10.

Michaël à Paolaccio.

II. Non poſſum mirari ſatis, quod Eccleſia Immaculatæ Virgini attribuat verba Eccleſiaſtici 24. 5. *Ego ex ore Altiſſimi prodivi*, quaſi diceret; ne quæras originem meam in terra, de cœlo eſt *Ex ore Altiſſimi prodivi*. Ut hæc verba clareſcant, duæ in ſacratiſſima Virgine conſiderandæ ſunt Conceptiones, corporalis una, altera intentionalis; Quoad corporalem non eſt qui ambigat, quin B.ma Virgo originem duxerit à Joachim & Anna, parentibus ejus in terra. Sed intentionalis Conceptionis ejus ſolus auctor eſt Deus, ipsâ aſſerenre: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi*. In mea Conceptione prodivi de ore Dei: Quid eſt, obſecro, os Dei? os Dei eſt Divinus intellectus: quod enim eſt os in homine, in Deo intellectus eſt. Dicere ergò, quod Virgo ſacratiſſima prodîerit de ore Dei, eſt dicere quod prodîerit de intellectu Dei. Partus Divini intellectûs eſt Verbum, Verbum eſt ſapientia & imago Patris, in qua imagine intellectus Divinus exprimit omnem perfectionem Patris. Ergone Maria in ſua Conceptione, cùm partus ſit intellectûs Divini, cum tanta prodivit ſapientia & perfectione, cum quanta prodîit Verbum? abſit vel cogitare, non enim eſt creatura, quæ comparetur Verbo. De ore Altiſſimi prodire dicitur, ut ſciat univerſum, quod Immaculata Virgo tantâ plenitudine gratiarum, tantâ perfectione in intellectu Divino ante omnes alios præconcepta ſit, ut major ſub Deo intelligi nequeat, nec ſit inter creaturas, cui comparetur, ad ipſum proximè accedens Verbum. *Ego ex ore Altiſſimi prodivi*. Quando Pater genuit Verbum, & illud conſtituit incarnandum, tunc ego prima omnium concepta, ordinata, & electa ſum in Matrem Verbi incarnandi. Sic innuunt ſequentia in textu, nempè: *Primogenita ante omnem creaturam*. Et ſic pro ipſa teſtatur increata Sapientia.

E. 24. 5.

Duplex B. V. Conceptio, corporalis una, intentionalis altera; & hæc ex ore Altiſſimi prodivit, & quid hoc ſit.

Proximè ad Verbum accedit Deipara.

III. Prov. 8. 22. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio ab æterno ordinata ſum.* Hæc verba intelliguntur de æterna prædeſtinatione, ſecundùm quam Maria electa fuit, & clementer prælecta ad gloriam, ad Dei maternitatem & plenitudinem gratiarum: & quia prædeſtinatio eſt quædam ordinatio ad finem ſupernaturalem, ſubjungit: *Ab æterno ordinata ſum.* Unde prædeſtinatam ſe dicit & poſſeſſam. *Dominus poſſedit me.* Multi prædeſtinantur ad gloriam, non ſemper à Deo poſſeſſi, ut-potè ſecundùm Bernardum: *In utero damnati antequam nati.* Quia in Conceptione per peccatum originale poſſidentur à diabolo, unde dicti *veſtigium*

Proverb. 8.

Quæ ſemper à Deo fuit poſſeſſa.

S. Bernard.

veſtigium peccatoris, id eſt, diaboli: poſſeſſio enim à pedum poſitione. Sola Maria à Deo prædeſtinata & poſſeſſa ſemper: *Dominus poſſedit me*, & quidem *in initio viarum ſuarum*. Viæ Dei, Divinæ proceſſiones ſunt; quaſi diceret Virgo, dum ab æterno Pater genuit Filium, Pater & Filius ſpirârunt SpiritumS. & ſimul conſtituerunt quod Filius incarnaretur, tunc ego *ordinata ſum* & prædeſtinata in Dei Matrem, ac Spiritûs S. ſponſam, & *poſſedit me*. Sicut ergo Pater ab æterno Filium non produxit niſi per intellectionem perfectiſſimam, quæ ſuam eminentiam, & quidquid cognoſcibile eſt, adæquatè comprehenderet, ut ſic Filius eſſet ipſi æqualis; ſic & in tempore eum generari de Spiritu ſancto non voluit, niſi per Matrem ſanctiſſimam, & quæ in Conceptione prorsùs fuiſſet Immaculata, ut ſic illa quoad fieri poſſet ſuæ Proli valeret aſſimilari. Et quis credet aliter? quis credet, quod Deus voluiſſet prædeſtinare, & in Genitricem ſuam ordinare illam, in qua eſſet diaboli veſtigium? loquatur pro me D. Anſelmus: *In æternitate conſilii ſui, fixim ſtatuit eam Reginam fore Angelorum, & nunc inferiorem Angelis natam, in conſortium acceptam eſſe credemus omnium peccatorum? exiſtimet hoc & argumentis ſuis probet, qui voluerit; ego donec oſtendat mihi Deus aliquod dignius excellentiâ Dominæ meæ poſſe dici, quæ dixi dico, quæ ſcripſi non muto.* S. Anſelmus.

IV. Altera Mariæ Conceptio eſt corporalis, quæ facta eſt non ex carnali concupiſcentia Joachim & Annæ, ſed juxta D. Hieronymum *de Nat. Mariæ* & alios ex Dei mandato: cùm enim veteli, & in ſenecta ætate eſſent, tunc Joachimo apparuit Angelus, ex Dei juſſu præcipiens caſtum congreſſum cum Anna, denuntians filiam naſcituram Mariam, quæ deſtinabatur ut eſſet Salvatoris Jeſu Mater, ita ut nihil libidinis ſit, quod Maria concipiatur, ſed altiſſimæ providentiæ Dei, ſic ut ejus Conceptio opus ſit Gratiæ potius quàm naturæ, ut bene DD. Joannes Damaſc. & Hieronymus. Hoc poſtulabat eximia Mariæ puritas, ut non ex concupiſcentia carnis, ſed ex gratiæ privilegio conciperetur; ſicut enim auctrix naturæ Eva ex dormientis Adami ac in contemplatione elevati coſta fuit procreata: ita conveniens erat, ut auctrix gratiæ Maria conciperetur à parentibus in oratione & contemplatione totis intentis, Deo illam præſervante & ante oſtium cuſtodiente communem carcerem, ne incideret in illum; & hinc hora Conceptionis ejus dicitur *hora aurea*, & bene aurea, quia tunc incepit lux omnium, & tenebræ quaſi feſtinabant ad lucem; ab illa enim tamquam à radice ac fundamento emanârunt omnes feſtivitates omnium myſteriorum fidei noſtræ: ideoque juxta Vincentium Ferrer. *Serm. de Nativ. Statim Angeli in cælo fecerunt feſtum Conceptionis*: Videntes Dominam & Reginam à communi carcere per Deum præſervatam contra ordinem naturæ & legis, quod eſt omnium mirabilium mirabiliſſimum.

D. Hieron. *& ex gratia in gratia concepta potius quàm ex natura.* D. Damaſcen. D. Hieron. S. Vinc. Ferr.

V. Exod. 14. Extendens Moyſes manum ſuam ſuper mare, ut graderentur filii Iſraël in medio Exod. 14. 13.

Mare communis vita, in quo omnes turbidis peccati originalis aquis merguntur, tranſiit immunis.

mari per ſiccum, ait ad populum: *Videte magnalia Domini, quæ facturus eſt hodie.* Sed quodnam putatis fuiſſe prodigium omnium maximum? quod contra naturam, & legem mari impoſitam, aqua, quæ ſecundùm ſuam exigentiam fluctibus ſuis involverat Ægyptios, filiis Iſraël fuerit *quaſi murus à dextra eorum & læva, ita ut tranſierint per medium ſicci maris.* Porrò Maria per medium ſicci maris Ægypti & communis mortalis vitæ, quod omnes in ipſo primo ingreſſu ſub turbidis ſuis peccati originalis undis ſtatim ſolet demergere, ita transiit immunis. Melius, quàm ego dicere poſſem, hoc de Maria ſcripſit calamus Melliflui: *Maria à natura eſt reverenter conſervata, à lege diligenter venerata, & à gratia clementer præelecta.* Quid in Mariæ Conceptione dici poſſet ſubtilius? natura, quæ illam præcipitare debebat, conſervat: *A natura conſervata.* Lex, quæ alios damnat, eam protinùs veneratur: *A lege venerata.* Sicque natura & lex in primo inſtanti Conceptionis Mariæ locum ceſſerunt gratiæ, à qua erat præelecta: *Præelecta à gratia.* Ne miremini NN. gratiam matrem dici Mariæ ipſa Virgo, per Sponſam figurata, tali eam inſignit Nomine Cant. 3. dicens: *Introducam illam in domum Matris meæ:* Duo enim Gregorii, Magnus, & Nyſſenus legunt: *In domum gratiæ.* Sed hæc ergo eſt Mater tua, ô Virgo? Ita prorſus: quia *Introducam eum in domum Matris meæ,* id eſt, *gratiæ,* quam Joanne Damaſceno teſte *lib.* 4. *de Orthodoxa fide cap.* 15. Anna ſignificabat. Do verba ejus: *Parit ergo gratia* (*Anna enim hoc interpretatur*) *Dominam.* Sic ut intuitu Mariæ, & natura, & lex gratiæ omninò ceſſerint, & Maternitatis honorem conceſſerint. Confirmat hæc omnia Deus ipſe Mariam alloquens.

S. Bernard.

Probatur ulterius, quod Maria ſit partus gratiæ.

VI. Cant. 8. 5. *Sub arbore malo ſuſcitavi te.* 70.ta legunt: *Excongregavi, diviſi, ſeparavi te* à cæteris creaturis. Ubi, obſecro? *Sub arbore malo. Ubi corrupta eſt mater tua, ubi violata eſt genitrix tua.* Ubi mater tua Eva à ſerpente infernali ſe decipi, corrumpi, ſeduci permiſit, ſub illa arbore vitæ, de qua, in ſua origine, ſub pæna mortis præceperat Deus, ne comederent. Ibi, ibi, *ſub arbore malo ſuſcitavi, excongregavi, diviſi, ſeparavi te.* Clarius pro me loquatur D. Anſelmus: *Sub arbore malo ſuſcitavi te,* id eſt, *ſub peccato facto per arborem malum,* id eſt, *in peccato primi parentis.* Sed quid refert quod Maria ſub umbra illius dormire dicatur? multùm: quia ibi ſerpens totam arborem infecit. Scitis, ut benè notat doctus Sanchez, quod: *Si quis ſub arbore dormientem excitet, cui jam ſerpens imminens tabifico morſu venenum eſſet infuſurus, ille ſub arbore malo à veneno & morſu ſuſcitatus & ſervatus diceretur.* Benè ergò dicit Pater cæleſtis Immaculatæ ſemper Virgini: *Sub arbore malo ſuſcitavi te.* Excitavi te, præſervavi te, ne ſerpens tabifico morſu venenum in te effunderet; & quidni præſervâſſet æterni Verbi ſui futuram Matrem?

Cant. 8. 5. Septuag.

Et verbis Dei confirmatur.

S. Anſelmus.

Sanchez.

VII. Job 1. 10. Deprædicante Deo laudes Prophetæ ſui, ſatan illas ſuſpectas habet, dicens, obſervantiam Job politiam potius quàm virtutem eſſe. *Numquid Job fruſtra timet Deum? . . . . Extende paululum manum.* Job 1. 10. 11.

Et certè ſi labia Prophetæ Iob manſerint integra, quia promebant verbum Dei ſcriptum, magis ea debebat manere Immaculata, de qua Verbum proceſſit conſubſtantiale Patri.

num tuam, & tange cuncta quæ poſſidet niſi in faciem benedixerit tibi. Acceptâ à Deo poteſtate probandi illum, dæmon, ita eum percutit, ut ex omnibus membris tantummodò labia manſerint vivida & libera, ipſo fatente: *Pelli meæ, conſumptis carnibus, adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodò labia circa dentes meos.* Non obſtupeſco dæmonis inhumanitatem, omnia membra Jobi tam ſævè tractantis, ſed admiror quod ſola labia vivida reliquerit & intacta. Quare labia potiùs privilegiata ſunt, quàm reliqua membra? ad hoc reſpondet D. Gregor. Magnus: *Labia circa dentes ejus remanſerant.... quia ſola de illo* (Deo) *confabulationis verba retinebant.* Labia continuò promebant divinam doctrinam, continuò loquebantur de Deo, de Deo continuò verba retinebant: ſi autem de labiis naſcatur verbum Dei, quomodò tunc ſubjicerentur erucis & vermibus? Jam argumentor: Si à corruptione & vermibus Prophetæ labia præſerventur, quia de illis naſcebatur verbum Dei ſcriptum, oreve prolatū; quomodò ergo non præſervâſſet Pater à morſu venenoſi ſerpentis illam, de qua naſci debebat Verbum Dei vivum & Patri conſubſtantiale? Verbum, non quale Job pronuntiabat, ſed illud ipſum, quod Pater in candore puriſſimæ lucis ſuæ æternaliter generavit. Sancta erant omnia membra Job, non tamen propterea à poteſtate diaboli exempta, quamquam ejuſdem eſſent naturæ: verùm quia de labiis ejus naſcebatur verbum Dei, illa per ſingulare privilegium manent vivida, & vivunt incorrupta. Maria non eſt alterius naturæ, quàm cæteri omnes; verùm ubi reliqui naſcuntur maculati & captivi diaboli, quia Mater eſt Verbi, cuſtodivit Pater carcerem, & præſervavit eam, ne incideret in illum. Idipſum confirmat corona, quâ coronavit eam Pater.

VIII. Hic Cant. 4. 7. Immaculatæ Virgini loquens, ait: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* His pauca verba addit Idiota: *Et macula ſive mortalis, ſive venialis, ſive originalis non eſt in te. Veni* ergo *de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon.* Quid *Amana*? quid *Sanir*? quid *Hermon*? Amana *credulitas*, Sanir *dormiens lucerna*, *Novale*. Hermon *Anathema*. *Veni* Maria, *Veni*, *Veni coronaberis* coronâ triplici ob triplicem victoriam, de mortali, de veniali, de originali peccato. Dicam melius de prima credulitate, de primo fœdere, & de Anathemate. Tres coronæ, tres ſunt exemptiones, quas à SS. Triade habuit Immaculata Virgo; primò quod exempta fuerit à prima credulitate Evæ. 2. à pacto inter Deum & Adamum. 3. ab excommunicatione, quam Adam & filii ejus tamquam à Deo excommunicati, & de Paradiſo expulſi incurrerunt. Habes Mariam à Patre præſervatam, & ab illo coronatam. A Patre ad Filium procedo.

Cant. 4. 7.

Idiota.

Verſ. 8.

Et hoc ipſe Pater ſignificavit, per coronam capiti illius imponendam.

IX. Eccli. 32. *Præcurre prior in domum tuam .... & age conceptiones tuas.* Date mihi ut piè credam, quod illo inſtanti, quo anima Mariæ in manu Dei erat jamjam infundenda in corpus, ipſa dixerit verba Davidis Pſal. 16. *Præveni eam & ſupplanta eam, & eripe animam meam ab impio,*

Eccli. 32. 15.

Et eò reducitur verſus Pſalmi 45.

impio, quæ exaudita eſt pro ſua reverentia. *Adjuvavit* enim *eam Deus mane diluculo* Pſ. 45. in crepuſculo Conceptionis ejus. Quomodò autem Verbum prævenerit inimicum: & ſupplantârit, ne futura Mater ejus caderet in carcerem diaboli, oſtendo. Duo ſunt genera redimendi, unum quando jam factum mancipium redimitur, & alterum quando à ſervitute præſervatur, ne in illam incidat. Si medicus videat imminentem tibi infirmitatem, eamque cognoſcat ex facie vel arteria, & medicinis ſuis præveniat, ne in illam incidas, cum omni veritate dices, quod ab illa infirmitate te liberaverit. Similiter ergo ne Maria caderet in communem infirmitatem mortalem, medicinâ gratiæ præſervativæ præventa eſt, ne incideret in illam. Porrò majus ſignum dilectionis eſt efficere, ne quis cadat in lutum, qui tamen caſurus erat, niſi præſervaretur, quàm poſt caſum de luto eum extrahere. Hinc ait Magnus Auguſt. excellentius beneficium eſt præſervare à malo, quàm permittere incidere in malum, & poſtea ab illo liberare, ita habet apud Cluniac. Serm. 4. de Concept. Exemplifico.

Ac pro majori intelligentia duplex redimendi genus adfertur, antecedens & ſubſequens captivitatem.

S. Auguſtinus.

apud Cluniac.

Judicum 14. 5

Probaturq; antecedens liberatio in facto Sampſonis.

X. Judicum 14. Deſcendit Sampſon cum parentibus in Thamnata: *Cùmque veniſſet ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis ſæviens, & occurrit ei: Irruit autem ſpiritus Domini in Sampſon, & dilaceravit leonem quaſi hedum in fruſta decerpens, & hoc patri & matri noluit indicare.* Ultima verba non modicam mihi cauſant difficultatem: ſi patre & matre comitatus incedebat, quomodò poterat eos tam grande facinus latere? Pandit myſterium Cajetanus: *præceſſerat Sampſon parentes, ita ut nequiverint actiones ejus videre.* Quæro modò cur antecedat parentes, & non potiùs comitetur, aut ſequatur illos? Quare? quia non benè ab incurſu leonis defenderet, ſi ſequeretur, & non præiret: ſi Sampſon parentes ſequeretur, appareret interim catulus leonis ſævus & rugiens, & irrueret in parentes; eripere quidem poſtea potuiſſet de ore leonis & morſibus ejus, ſed antecedere voluit, & avertere periculum, ne illud paterentur parentes; dilacerat leonem, ne eos leo dilaceret: non eſt enim boni filii eripere matrem de periculo, quod jam ſubiit, ſed præveniendo avertere, dum poteſt. An putas Mariæ Filium non tam matris amantem, quàm Sampſon? pudeat vel cogitare. Si jam à me quæras, quomodò Filius matrem à carcere cuſtodierit & præſervârit? Dico, quod ſacratiſſimâ Paſſione ſuâ. Sicut enim æternus Pater Mariam, ut Filium ſuum primogenitum mundo ederet Salvatorem, in creatione gratiâ ſuâ prævenit, & à communi carcere præſervavit: ita Filius matri ſuæ amantiſſimæ in redemptione optimam partem dedit, ita ut ab Ugone Card. *de mirab. B. V.* meritò intituletur: *Redemptionis Chriſti primiceria* & à D. Bernardino *Serm. de Aſſump. Primogenita Redemptoris Filii ſui!* Undè ſicut Eva omnium prima educta eſt ex Adami dormientis coſta, ita Maria è latere Chriſti morientis in Cruce prodivit prima redempta; rationem dat Mediolanenſis Antiſtes D. Amb apud D. Bernardinum *tom.* 3. *Serm.* 3. *cap.* 3.

Et velut excellentior, intuitu Virginis adſtruitur.

Ugo Card.

S. Bernardinus Sen.

S. Ambr.

cap. 3. *Nec mirum ſi Dominus redempturus mundum, operationem ſuam inchoavit à Matre, ut per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima fructum ſalutis hauriret in pignore.* Et quidni prima fructum ſalutis hauriret, cum ipſa plantatrix exſtiterit iſtius fructûs ventris ſui? An fortè protoparentes noſtri fructus originalis juſtitiæ ſuaviſſimos comedent, piâ & ſedulâ plantatrice jejunante? hoc crediderit, qui Deum ſibi ipſi in decretis ſuis contrarium exiſtimârit. Dico ego cum Bernardino Senenſi *Serm. de Aſſump. Plus pro Virgine redimenda venit, quàm pro omni alia creatura.* Et ex his verbis formo argumentum: plus pro Virgine redimenda venit, quàm pro omni alia creatura: atqui illam redemptionis excellentiam maximè præſtat redemptio præſervativa, id eſt, non quia cecidit, ſed ne caderet: ergò puriſſima Virgo Maria redempta fuit redemptione præſervativâ. Et certè, qui Angelis gratiam præſtitit, ne caderent, illene credetur manum ſuam noluiſſe ad Matrem extendere, ut eam ab omni caſu potentiſſimè præmuniret? Potuit indubiè, & dices, quod non voluit? Eſtne negandum Reginæ, quod conceſſum eſt Aulicis? Ipſa Immaculata Virgo melius nos videtur inſtruere ſuo in *Cantico* Magnificat: *Fecit mihi magna qui potens eſt & ſanctum nomen ejus.* Puta nomen Jesu, quod denotat, Salvatorem, quia ſcilicet perfectiſſimo ſalvationis modò Iesus ſive Salvator illius fuit & Redemptor, non eam lapſam elevando, ſed præſervando, ne laberetur. In confirmationem prædictorum de Maria loquitur Pſalmiſta.

S. Bernardinus Sen.

Angelo data gratia eſt ne caderet, & Angelorum Regina negabitur?

Lucæ 1.49. Ex Cantico Magnificat Immaculata Conceptio cum redemptione ſtabilitur.

XI. Pſ. 86. 5. *Et i ſe fundavit eam Altiſſimus.* Notate *fundavit*: Quando? dum in primo inſtanti Conceptionis gratiam originalem tamquam fundamentum jecit, meritis Chriſti redemptione præſervativâ eam redimendo, alioquin hæc verba forent falſa, & Eccleſia malè applicaret Immaculatæ Virgini, ut benè Auctor hiſtoriæ Eccleſ. *Ipſe, non alius, id eſt, non vetus Adam, ſed novus novum jecit fundamentum, ſuper quod tam præclarum, tam inſigne ſurgeret ædificium, alioqui ſi veteris ruinæ manſere veſtigia, ſi veteri fundamento ſuperædificatum eſt, vetus Adam fundavit, & non ipſe fundavit Altiſſimus.* Quale autem hoc fundamentum fuerit, dicet pro me Zacharias 4.7. loquens de lapide fundamentali, quem poſuit Zorobabel in templo Ieroſolymitano: *Et educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ ejus.* Textus Hebræus habet: *Educet lapidem primarium cum clamoribus gratia, gratia,* id eſt, quod cum poneretur primus lapis, omnis populus præ gaudio clamaverit *gratia, gratia* Quando Deus in primo Conceptionis inſtanti, poſuit primum lapidem ſacratiſſimi templi ſui; *Exæquavit gratiam gratiæ ejus.* Ut fundamentum eſſet proportionatum tantæ fabricæ, dedit Virgini, futuræ Matri ſuæ, gratiam fundamentalem adæquatam & proportionatam tantæ fabricæ.

Pſal. 86. 5. Et adhuc magis ex Pſal. 86. probatur.

Auctor hiſt. Eccleſ.

Zach. 4. 7.

Verèque dignum erat, ut fundamentum tantæ fabricæ congrueret:

XII. Novit unuſquiſque veſtrûm, & fortè vidit non ſemel, ceremonias fieri ſolitas, quando Epiſcopus mittit primum lapidem novi templi: inter alias benedictiones ponitur in illo crux, Epiſcopo hæc verba proferente: *Signum ſalutis pone*

*Domine Ieſu Chriſte in loco iſto, & non permittas introire Angelum percutien*tem. Si pro templo materiali & lapideo, licèt Deo dedicato, Eccleſia ſit adeò ſollicita, ut non permittat Deus introire Angelum percutientem: ponens primum lapidem fundamentalem templi Dei vivi, ſacrarii Spiritûs ſancti, non laboràſſet Filius Dei, ne introiret Angelus percutiens? Tunc poſuit Sacerdos ille magnus, *Signum ſalutis in loco iſto* fructum redemptionis, & futuræ paſſionis ſuæ. *Non propter peccatum, quod infuit*, inquit D. Anſelmus, *ſed propter peccatum, quod infuiſſet, niſi ipſe ex ſpeciali privilegio eam præſervâſſet.* Niſi Filius Dei lapidem fundamentalem templi ſui vivi ita ſignâſſet, auſim dicere, quod Chriſti honor fuiſſet labefactatus, verba ſunt, quæ non de meo, ſed de ore procedunt SS. Hieronymi & Auguſtini, ita aſſerit D. Hieronymus Epiſt. ad Euſtochium. *Nulli dubium eſt de Matre Domini, quin talis debuerit eſſe, quæ non poſſet argui de peccato, quia fuiſſet ad improperium Filii.* Et illi ſic concinit Magnus Auguſtinus de Nat. & gratia Cap. 36. *Cùm de peccatis agimus, nullam de Virgine Matre habere volo quæſtionem, propter honorem Domini.* Hinc concludit Eccleſiæ apis mellea, & ſuum pandit aculeum in *Salve Regina: Factor hominum, ut homo fieret, naſciturus de homine, talem ſibi ex omnibus debuit eligere Matrem, qualem & ſe decere ſciebat, & ſibi noverat placituram.* Premo illud: *debuit eligere*: quia alioqui fuiſſet ſibi ignominioſum, ſi aliquo peccati dedecore notatam elegiſſet, ubi omninò poterat mundiſſimam eligere.

Si enim Epiſcopus primum templi lapidē mittens, regit ut ſatan illud non permittatur introire, magis decebat Filium, illum arcere ab ingreſſu ſuæ Matris per peccatū.

S. Hieron.

Et ideò SS. PP., cùm de peccato agitur nolunt de Maria habere Sermonem.

S. Auguſt.

S. Bernard.

Dices Mariam tantùm ad momentum fuiſſe in carcere, & illicò liberatam. Tantane habenda ratio unius momenti, quod non eſt tempus, cùm ſucceſſionem non admittat, nec menſurari poſſit, cùm partes non habeat? quid ergò inde, ſi ſecundo inſtanti fuiſſet liberata, & omni gratiâ repleta? ut ad hoc reſpondeam.

Nec juvat quod ſtatim poſt ab originali fuiſſet mundata.

XIII. 1. Mach. 4. Poſt partam de Liſia victoriam, juſſit Judas Machabæus templum profanatum & altare funditùs deſtrui; Reparare quidem intenderat: *Sed incidit illis conſilium bonum, ut deſtruerent illud. Acceperunt ergò lapides integros ſecundum legem, & ædificaverunt altare novum ſecundùm illud quod fuit prius.* Cur novum, cùm reparari potuerit? *Ne fortè*, inquiunt, *nobis eſſet in opprobriū. Quia contaminaverunt illud Gentes.* Hoc Gentes, inquiunt, ad perpetuam rei memoriam Annalibus ſuis mandarent, in perpetuum Dei noſtrumq; opprobrium: dicere enim potuiſſent Gentes, quod in ipſo altari, in quo diabolo ſacrificaverant, licèt reparato, vero Deo ſacrificia offerrent, quod ipſis fuiſſet in opprobrium, *Quia contaminaverunt illud Gentes*; Minùs ergò decens, quinimò Chriſto eſſet in opprobrium, ſi *Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*, in altari à dæmone profanato æterno Patri ſacrificium obtuliſſet, licèt prævie fuiſſet mundatum: ſic ut cum magno Eccleſiæ Leone de Maria dicam, quod ille de Roma, à Romulo fraterno ſanguine fœdata: *Hoc dedecus*, inquit *Serm. de S. Petro*, *Nulla poſtera ſequentes victoria delere potuerunt.* Si diabolus vel ullo inſtanti,

1 Mach 4. 45.

Quia illud opprobrium equidem manſiſſet ſemper, quod fuiſſet diaboli mancipium, quod debebat abſolutè vitari, ut probatur ex facto & verbis Iudæ Machabæi in ſimili.

Hebr. 5. 6.

S. Leo.

ſtanti, Mariæ animam fœdâſſet: *Hoc dedecus nulla poſteræ ſequentes victoriæ delere potuiſſent* nec maternitas Dei, nec quod Patris Filia, nec quod Spiritûs S. Sponſa ſit, *tantum dedecus delere potuiſſent*, illa macula totam obfuſcâſſet Mariæ gloriã ſubſequentẽ. Fingamus ex ſuppoſito falſo, quod Conceptio ejus fuiſſet maculata: ſi dicas quod ſit Regina cœlorum, dico quod priùs fuerit ſubdita inferni. Si Matrem gratiæ deprædices, fatebor, ſed aſſerã quod priùs filia fuerit iræ. Si Advocatam peccatorum dicas, admittam, ſed ſimul cum ipſis ſociam in peccato fuiſſe affirmabo. Si Verbi Genitricem, ut talem ſuſpiciam, ſed dicam priùs inimicam Verbi. Si Spiritûs S. Sponſam, applaudam, ſed priùs agnoſcam ſubjectam tyranno infernali. Si æterni Patris Filiam, annuam, dum priùs illam dixero prædam cacodæmonis. Dic quidquid poteſt, ſi Mariam originaliter illâ maculâ infectam teneas, ſufficiet ad omnes obfuſcandas prærogativas ejus. *Hoc dedecus nulla poſteræ ſequentes victoriæ delere potuiſſent.* Non horret animus talia vel cogitare de Maria? Audi diſcurſum Joan. Gerſonis *Part. 4. Serm. de Concept. Virg. Mariæ ante med. fol. 110. & 111.* Iuſtum eſt, inquit, quod Regina cœli & Magiſtra Angelorum contriverit caput ſerpentis, id eſt, infernalis inimici, ut non ſit ullo tempore membrum ejus: alioquin poſſet ei diabolus ſemper improperare, & per irriſionem dicere: Ecce mulierem, quæ contrivit (ut inquit) caput meum, ſed priùs calcavi caput ejus per peccatum originale. Ecce Dominam, quæ tota pulchra dicitur, ſed ſub me maculata, contaminata & proſtituta fuit per peccatum originale. Ecce amicam Regis veſtri, ſed ipſius primus ego rex fui, & dominus per peccatum originale. O Deus optime & potentiſſime, abſit ut eo modo ridere poſſit tuus & noſter inimicus de Immaculata Filii tui Matre ac Spiritûs S. Sponſa. Abſit, abſit.

[Margin: Joan. Gerſon. — *Exprobratio ſatana adducitur, quã facere potuiſſet in caſu Maculata Conceptionis.*]

XIV. Exod. 3. *Apparuit* Moyſi *Dominus in flamma ignis de medio Rubi*. Quare in flamma? quia, inquit Auguſtinus: *Vidit Deus quod eſſet bona*, ab ipſis ſuis principiis, ab omni fætore ſeparata, *diviſit lucem à tenebris: & ideo ſola placuit Conditori*. Et quare in Rubo apparet Dominus? Deut. 7. mandat Deus populo ſuo, ut nullam cum Gentibus ſocietatem contrahat, inter alia dicens: *Sculptilia eorum igne combures: Non concupiſces argentum & aurum, de quibus facta ſunt, neque aſſumes ex eis quidquam, quia abominatio eſt Domini Dei tui, neque inferes quidquam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, ſicut & illud eſt.* Cur, obſecro, Dominus ex auro, igne purgato, fieri prohibet vaſa aurea ad ornatum & miniſterium templi, vel ad manuum lotionem, aut ad colligendum ſanguinem animalium, & reliquias ſacrificiorum? & cur ea dicit alioquin futura ſibi abominationis inſtar, & tamquam Anathema? dicam: Licèt ignis deſtrueret figuram idoli, & aurum purificaret, ſemper equidem diceretur, quod ſemel fuiſſet idolum, & ſemel ſerviiſſet Baal, unde voluit, ut Iſraëlitæ illud quaſi ſpurcitiam deteſtarentur, & velut inquinamentum & ſordes, & abominationi haberent,

[Margin: Exod. 3. 2. — S. Auguſtin. Lib 11 de Civit. Dei C 30. — Deut. 7. 25. *Deus Rubũ ardentem elegit, ut ad modicum appareret in illo, quia ignis puriſſimus eſt; Item vaſa templi fieri noluit ex auro idolorum, licèt purgato.*]

Quid non ergo feciſſe credendus eſt, intuitu Matris?

berent, quia Anathema eſt. NN. tanta Deo cura pro vaſe aureo ad uſum populi ſui, ad ablutionem manuum Sacerdotum, ad colligendum ſanguinem animalium reſiduum ſacrificii, & cineres victimarum; & ſacratiſſimum illud vas, in cujus utero debebat per novem menſes contineri Unigenitus Dei, *non ſanguis hircorum aut vitulorum*, ſinet Deus priùs abuſu ſacrilego & veneno peſtilentiali peccati à ſerpente infernali profanari? Tantam munditiem, ſanctitatem & perfectionem requiret Deus in elementis, ad habitandum in eis, ad medium horæ quadrantem, & B. Virginem, de cujus puriſſimo ſanguine Verbum Patris erat incarnandum, permittet tam deteſtabiliter conſpurcari? Quomodò Pater æternus elegiſſet in Filiam, quæ, ut ita dicam, priùs à Lucifero fuiſſet deflorata? Quomodò unigenitus Filius Dei, conſubſtantialis Patri, elegiſſet in Matrem, quæ priùs fuiſſet mancipium diaboli? Quomodò Spiritus S. elegiſſet in ſacrarium ſuum animam, antè fundatam ſuper diabolum? Non, non, non: *Cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem.*

S. Hiero. Lib. 1. Comm. in Cap. 1. Matt.

XV. S. Hieronymus Eccleſiæ Doctor, inquirens: Quare non de ſimplici Virgine, ſed de deſponſata conceptus ſit Chriſtus? inter varias rationes, adfert illam, quam dat S.

S. Ignatius Martyr.

Certè ſi non potuit diabolus Virgini approximare, ut agnoſceret Incarnationis ipſa myſterium, quantò minùs ut illi daret originalis peccati letbiferum morſum.

Ignatius Martyr: *Ut partus ejus celaretur diabolo.* Hanc rationem maturè perpendens S. Antoninus movet ſibi quæſtionem P. 3. T. 1. C. 18. Si, inquit, diabolus poſſit diſtinctè videre, cognoſcere, & penetrare omnes actiones humanas, cogitationibus cordis exceptis, quomodò potuit non cognoſcere Virginitatem Mariæ, licèt deſponſata eſſet Joſeph, & partum, quem geſtabat in utero, non eſſe naturalem & humanum, ſed cœleſtem & divinum? Quæſtioni à ſe objectæ reſpondet: *Quia propter nimiam ſanctitatem ejus, non permittebatur approximare ei, ut hoc cognoſceret.* Sanctitas & altiſſima perfectio Mariæ non permittebat diabolo accedere ad tam altum, ſupernaturale, & divinum myſterium: *Propter nimiam ſanctitatem ejus, non permittebatur approximare ei, ut hoc cognoſceret.* Liceat modò exclamare altâ voce: Si propter nimiam ſanctitatem & perfectionem Mariæ non potuerit diabolus approximare, *ut hoc cognoſceret*, quantò minùs approximare potuit ut morſu venenoſo & ſerpentino eam inficeret?

S. Antoninus.

XVI. Marci 15. Joſeph ab Arimathæa cùm ex donatione Pilati accepiſſet ſacrum Chriſti Corpus ad deponendum ac ſepeliendum: *Mercatus Sindonem deponens eum, involvit Sindone.* Obſervat Origenes apud D. Th: quod ly mercatus denotet Sindonem fuiſſe novam, & numquam alicui uſui inſerviiſſe: *Non* inquit, *fortuitò ſcriptum eſt, quoniam involvit corpus in Sindone munda, & poſuit in monumento novo: quoniam omnia, quæ ſunt circa corpus Jeſu munda ſunt, & nova & omnia magna valde.* Non ſolùm Joſeph adhibuit linteum mundatum, aquâ ſcilicet ablutum, & à ſordibus reparatum, ſed recenter emptum, quod aquam non vidit, & ſuum ſemper retinuit ſplendorem. Si Deus altâ ſuâ providentiâ tantam munditiam requiſivit in Sindone, in qua

Marci 15, 46.

Origenes.

Non Sindonē mundatam, ſed novam voluit, ut involveretur corpus ſuum, & monumentum, in quo nullus fuiſſet poſitus, & interim deſcendiſſet in uterum, in quo dominatus fuiſſet ſatan per originalem maculam?

qua per triginta ſex horas ſolummodò involvendum erat Corpus Chriſti, ut non ſolùm caudida eſſet & alba, ſed etiam nullâ umquam maculâ fœdata, qualem providentiam habuerit, ut Marianus uterus expers eſſet ab omni inquinamento, in quo novem menſibus continendus erat Dei Filius? & ſi Deus tam altè providit, ut Sindon, in qua extrinſecè involvendum erat Corpus Chriſti, nullâ umquam maculâ fuerit deturpata, quàm alta & ſublimis eſſe debuit providentia ejus, ut ſanguis Mariæ ab omni inquinamento immunis exiſteret, cùm ex illo realiter, ſubſtantialiter ac intrinſecè componendum ac conſtituendum eſſet Corpus Chriſti? Hinc etiam voluit Deus, ut Joſeph ſacro-ſanctum illud Corpus ſepeliret, non ſolùm *in monumento ſuo novo, quod exciderat in petra,* (*Lucæ 23.53.*) ſed, ut Lucas ait Cap. 23. *In monumento exciſo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat.* Quia non decebat, ut ſanctiſſimum Corpus ejus, utpotè Perſonalitati Divinæ unitum, corruptionem ſubiret, & putridis peccatorum cadaveribus miſceretur, ſed in monumento poneretur, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Et deſcendiſſet interim æterni Patris Verbum in uterum, in quo per originale peccatum dominatus fuiſſet diabolus, ſerpens infernalis? Ne quis ultra mihi loquatur talia. A Patre & Filio deſcendo ad Spiritum ſanctum à quo, ut ſub initium notavit melliflué Melleus Bernardus, per gratiam præelecta fuit & præſervata. Antequam monſtruoſus draco caudâ ſuâ traxerat tertiam partem ſtellarum, & ſerpens factus Adamum & Evam

(*Non creditur, quia ab æterno fuit præelecta.*)

totamque poſteritatem ejus ſtellas fecerat errantes, rapta fuit Maria à Spiritu S. teſte S. Bernardino Senenſi: quia *Ab æterno electam & praelectam totam, ſibi rapuit Spiritus ſanctus.* (*S. Bernardinus Sen.*)

XVII. Gen. 1. 2. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Theodoretus, & Tertullianus dicunt, quod hic Spiritus Domini, fuerit ventus à Deo excitatus: ſed SS. Baſilius, Hieronymus, & Athanaſius volunt, quod fuerit ipſe Spiritus S. à Patre Filioq; procedens, emittens ſpiritum calidum ſuper aquas. Hinc ſuboritur quæſtio, cur Spiritus Domini, aut ventus, ab eo emiſſus, non ferebatur, ſedebat ſeu incumbebat ſuper alia elementa, Verbi Gratia ſuper cœlum, ignem, aërem & terram? ad quod eruditè Tertull. Lib. de Baptiſmo: *Habes homo inprimis ætatem venerari aquarum, quod Divini Spiritûs ſedes gratior ſcilicet tunc elementis fuerit, nam & tenebræ tota adhuc ſine cultu ſyderum informes, & triſtis abyſſus, & terra imparata, & cœlum rude: ſolus liquor ſemper materia perfecta de ſuo puro dignum vectaculum Deo ſubjiciebat.* Illud diſcrimen eſt inter aquam & cetera elementa, quod cœlum, & ignis in ſua origine imperfecta fuerint, caret cœlum ſtellarum luce & radiis: terra adhuc informis non vernat florum nec arborum pulchritudine, nec viridi veſtita pallio: aër tenebrarum denſitate triſtitiam oſtendit; aqua autem *ſemper materia perfecta de ſuo puro:* & ideò nec cœlum, nec ignis, nec aër, nec terra aſſumitur in Dei ſedem aut vehiculum, quia ſemel imperfecta fuêre: ſoli aquæ tribuitur honor, quia ſemper pura & ſine macula. *Solus*

(*Gen. 1. 2.*)

(*Tertullianus. Quia aqua ab initio erat perfecta, Spiritus Domini ferebatur ſuper illam præ reliquis elementis.*)

(*Sic & ſuper Mariam.*)

liquor ſemper materia perfecta de ſuo puro: Ideòque nec per momentum Dei caret præſentiâ: ſi ergò Maria per aliquod inſtans maculâ originali infecta fuiſſet, quamvis poſtea gratiis innumeris condecorata, improportionata inveniretur ut Verbi Divini ſedes eſſet. Clariùs ad rem noſtrâ

S. Leo.

S. Leo Papa *Serm. 5. de Nativit*: *Originem, quam ſumpſit in utero Virginis, poſuit in fonte Baptiſmatis, dedit aquæ quod dedit Matri: virtus enim Altiſſimi & obumbratio Spiritûs ſancti, quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem fecit ut regeneret unda credentem.* Huic conſonat S. Cæſarius Arel. Hom. 5. *Gaudeat Chriſti Eccleſia, quæ ad ſimilitudinem B. Mariæ, S. Spiritu operante, ditatur, & Mater Divinæ prolis efficitur.* Aqua effecta eſt mater Divinæ prolis per gratiam, ut ipſe aſſerit Chriſtus Joan. 3. *Amen, amen dico vobis, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei.* Ex Baptiſmo prægnante, fœcunditate Spiritûs ſancti, naſcuntur filii Dei non naturâ, ſed gratiâ. Ex Maria & Spiritu S. natus eſt Filius Dei naturalis. Si ergò aquæ nec ſolùm inſtans permittitur, quo Spiritûs S. careat præſentiâ, & ſi primo inſtanti Divini Spiritûs gaudeat favore, quia filios adoptivos Dei paritura erat, quantò magìs Maria, quæ Dei Filium genuit naturalem, debebat primo inſtanti à Spiritu S. poſſideri? Nôſtis Spiritum S. in ſpecie columbæ apparuiſſe, aliam columbam videamus.

S. Cæſarius Arel.

Et ſi illa ſemper perfecta eſſe debuit, quia in Baptiſmo regeneratura erat filios Dei adoptivos,

Joan. 3. 3.

quantò magis hæc, quæ paritura erat Dei Filium naturalem?

Gen. 8.

XVIII. Gen. 8. 11. Volat columba ex arca Noë, emiſerat enim illam, ut videret ſi jam ceſſâſſent aquæ ſuper faciem terræ: *At illa venit ad eum portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo.* Quis non miretur? Quærit D. Ambroſius unde potuerit columba viridem ramum habere, cum aquæ nedum ſuper arborem omnem, ſed & montes excreviſſent? Antequam Eccleſiæ Doctor reſpondeat: ſupponit Abulenſ. Q. 15. in Cap. 7. Gen: quod Paradiſus (figura Mariæ, quæ à S. Ephrem *Paradiſus voluptatis* dicitur) immunis fuerit à communi diluvio: *Locus*, inquit, *Paradiſi non debuit lædi, non debuit illuc intrare diluvium, licèt aſcenderet ad majorem altitudinem, maneret tamen aqua in modum muri, ſicut fuit aqua maris rubri tranſeuntibus Judæis*: & rationem adfert Abulenſis: *eò quod eſſet habitatio Sanctorum*, ſcilicet Henoch & Eliæ. Itane? & Mariæ, quæ à S. Ephrem dicitur: *Paradiſus voluptatis*, & eſt vera habitatio æterni Patris Filii, nocuiſſet diluvium, de quo Exod. 15. 10. *Submerſi ſunt in aquis vehementibus?* Non ſolùm communis plebs, ſed & montes omnes, & quotquot fuerint Sancti, qui montes Dei dicuntur, ſubmerſi ſint in aquis vehementibus, *Locus Paradiſi non debuit lædi, non debuit illuc intrare diluvium.* Loquatur jam D. Ambroſius: *Gaviſus eſt vir juſtus* (de Noë loquitur) *videns fructum de veteri ſemine aliquem reſervatum, & inde collegit miſericordiæ Divinæ inſigne, quæ fructum demonſtraret, cui non poſſent nocere diluvia.* Gaudebat in generali diluvio, in exterminio omnium arborum, unam præſervatam, ſcilicet olivam, *cui non poterant nocere diluvia.* Pater æternus de cœlo miſit columbam, Spiritum ſanctum, quando

Paradiſus in communi diluvio ſubmerſus non eſt, quia erat deſtinata Sanctorum habitatio.

Abulenſis.

Et ſubmerſa fuerit Maria in aquis vehementibus originalis peccati, in qua Sanctus Sanctorum tot menſibus requievit?

S. Ephrem.

Exod. 15. 10.

S. Ambroſ.

Certè olivâ præſervatâ fuiſſe ſentiunt, cujus ramum ad Noë columba attulit.

Ecclef.24. 19. do omnes *ſubmerſi ſunt ſub aquis vehementibus*, ad Mariam, quæ *Quaſi oliva ſpecioſa in campis*, meliùs dixero: *Sicut oliva fructifera in domo Dei*, in generali diluvio generis humani, una manſit oliva reſervata, cui non potuerunt nocere diluvia, de qua Spiritus S. Columba Divina tulit Ramum Patri, benedictum fructum ventris ejus, veræ pacis hominibus bonæ voluntatis annuntiativum. Dum Divina columba cum ramo olivæ ad cœlum volat, dico quod tres Perſonæ Divinæ cuſtodes fuerint Mariæ, præſervantes eam à communi carcere: *Cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerē*: & finio cum Cantico Debboræ ſuper victoria Jahelis.

Pſal. 51. 10. *Et ipſum ego de Maria, oliva fructifera in domo Dei, teneo.*

Jud.4. 21. XIX. Judicum 4. Siſara à Debbora, & Barac in fugam datus, & pedibus fugiens, pervenit ad tentorium Jahel, quæ dedit illi lac bibere, & operuit illum, *Tollenſque clavum tabernaculi & malleum ingreſſa abſcondité, & cum ſilentio, poſuit ſupra tempus capitis ejus clavum, percuſſumq; malleo defixit in cerebrum uſque ad terram, qui, ſoporem morti ſocians, defecit & mortuus eſt*. Quod, ut innotuit, cecinerunt poſt victoriam Canticum gratiarū actionis Debbora & Barac: *Nova bella elegit Deus, portas hoſtium ipſe ſubvertit*: *Benedicta inter mulieres Jahel & benedicatur in tabernaculo ſuo*. Maria, vera Jahel, Siſaram infernalem, antequam ipſa lac maternum ſuxit, contrivit, contrivit, inquam, caput ſerpentis, id eſt originale peccatum, caput omnium peccatorum: *Nova bella elegit Deus*. Hactenùs impenderat Deus opem virorum, Patriarcharum, Prophetarum &c. at in Mariæ Conceptione *Nova bella elegit Deus*. In manu mulieris facta eſt victoria. *Portas hoſtium ipſe confregit*. Duas portas cognoſcit natura humana; portam introitûs ad vitam, & exitûs ad alteram, in his duabus portis ſubvertit inimicum ingrediendo & egrediendo: *Portas hoſtium ipſe ſubvertit*, ſubvertit SS. Trinitas portam introitûs, eam præſervando, & exitûs, quando Maria de diabolo, de morte triumphavit: *Benedicta inter mulieres Jahel, & benedicatur in tabernaculo ſuo*, benedicatur in ſecula ſeculorū. Judic. 5. 24.

Vt Iabel Siſara caput clavo in terram defixit;

Verſ. 8. *Ita caput ſerpentis, originale peccatum nempe, quod eſt caput omniū peccatorum, contrivit Maria.*

XX. 2. Reg. 3. 27. Cùm Abner congregaret Iſraëlitas ad David, ut transferret regnum de domo Saul, & elevaretur thronus David ſuper Iſraël, *Joab ad medium portæ percuſſit eum in inguine & mortuus eſt*. Quotquot vivimus *ad medium portæ*, in ipſo conceptu percuſſi ſumus à diabolo per peccatum originale, mortui in ingreſſu vitæ. Si tam infelix fuerit ingreſſus noſter ad vitam, ſatagamus, ut ſaltem exitus vitæ ſit felix & immaculoſus. Idipſum zelo Apoſtolico rogat Petrus Apoſtolus 2. Petri 3. *Satagite immaculati inveniri coram eo*, ſcilicet dum ſtabitis coram judice, ut de nobis judex noſter tunc dicere poſſit quod dixit de Sponſa ſua Cant. 4. 8. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. Ut hoc ita ſit, in manu noſtra eſt. Petitis quomodò? D. Gregorius aſſignat: dum anima à peccatis quotidianis ſe quotidie per pœnitentiam mundat, dum quotidie peccata minima cum lacrymis abluit, & à majoribus ſe obſervat, quamvis frequenter peccet, per aſſiduam tamen pœnitentiam munditiam ſuam aſſiduè ſervat, 2. Pet. 3. 14.

Nos interim, qui in ingreſſu immaculati non fuimus, ſatagamus ſaltem inveniri tales in egreſſu.

quamvis enim, mox ut peccat, à juſtitia deviet, tamen dum ſemper credit in eum, qui juſtificat impium, & aſſiduè ſub ejus fide peccata ſua deflet, per aſſiduas abſolutiones juſtitiam ſuam retinet, ita ille. Audite
Pſal 17. 24. David. Pſ. 17. *Et ero Immaculatus cum eo, & obſervabo me ab iniquitate mea.* Quis inde fructus? *Poſuit immaculatam viam meam.* Pſ. 17. 33. Virgo Immaculata ad te me converto: ſentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam S. Conceptionem.

FERIA IV.

MISSUS EST.

De Captivitate Petri.

Ceciderunt catenæ de manibus ejus. Act. 12.

I. DEus miſeratione ductus ſuper dura ſervitute populi ſui ingemiſcentis in Ægypto apparet Moyſi in flamma ignis de medio Rubi, & ait: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi, ſciens dolorem ejus, deſcendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, in terram, quæ fluit lacte & melle.* Quid eſt quod Dominus liberaturus populum ſuum in medio Rubi appareat? Loquatur pro me purpuratus Ugo Card. *In Rubo ignis, Divinitas in humanitate, Filius Dei in utero Virginis.* Hodie umbram fugat veritas. Liberaturus Deus hominem de tyrannica ſervitute & carcere diaboli (audiverat enim Deus captivum hominem ingemiſcentem: *O clavis David, qui aperis & nemo claudit, claudis & nemo aperit, veni & educ vinctum de domo carceris ſedentem in tenebris & umbra mortis*) mittit Angelum ſuum ad Virginem Mariam, ut nuntiet ei: *Ave gratiâ plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus: Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum, hic enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum:* cui illa: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Et Verbum caro factum eſt.* Cur ſine Mariæ conſenſu Incarnationis myſterium non perficitur? quia *Redempturus humanum genus, univerſum pretium contulit in Mariam*, inquit Mellifluus *Serm.* 8. panditque iterum aculeum ſuum Apis Eccleſiæ in Cant. Cap. 18. *Ab uno per unam ruina, ab uno per unam reſtauratio.* Si non fuiſſet Eva, non fuiſſet ruina; ſi Maria non fuiſſet, reſtauratio non fuiſſet: *Nec Deus quidem factus eſt homo, niſi diceret: Fiat*, inquit idem. Ita ut meritò de Maria dicat S. Irenæus: *Univerſo generi humano cauſa ſalutis effecta eſt*, illa enim electa ad miniſterium

Exod. 3. 7. *Deus populum ſuum liberaturus de Ægypto apparet in Rubo ardente. Et Chriſtus liberaturus hominem deſcendit in Virginem,* Ugo Card.

Lucæ 1. 28. Verſ. 31. ✝. 38. Joan. 1. D. Bernar. *nolens ſine ipſius conſenſu pravio incarnari.* S. Irenæus.

Tertullian. ſterium redemptionis, ut Tertull. loquitur *Lib.2.contra Marcionem C.2. Meruit de congruo*, ut operi redemptionis noſtræ apponeretur ultima manus. Hinc doctus Idiota *in Contemp.... B.V.*Cap. 4. Virginem alloquitur: *Ad hoc te fecit æternus Opifex, ô B.V. Maria, ut quod de primo opificio fuerat deformatum per te reformaretur .... ut ex tuo ſuperbenedicto fructu, Angelica natura redintegraretur, humana repararetur, inferior à ſervitute liberaretur*, & ſolveretur de carcere. Eodem animi ſenſu gratulatur ei D. Anſelmus: *Per te, ô Virgo ſanctiſſima! cæli reformantur, homines ſalvantur, & Angeli redintegrantur.* Hinc alibi aſſerit: *Verè & audacter auſim affirmare de Virgine, quod Joannes de Verbo: & ſine ipſo factum eſt nihil, ita ſine Virgine nihil eſt refectum.* His omnibus jungit ſe Richardus à S Laur ad Angeli verba: *Dominus tecum. Fuit*, inquit, *Dominus cum ea, & ipſa cum Domino in eodem labore, in eodem opere noſtræ redemptionis .... Mater miſericordiæ Patrem miſericordiarum adjuvit in opere redemptionis noſtræ.* Agmẽ claudit D. Bernardinus *P.2. Serm.51. A.2. Cap.1.* Sicut ſerpens proſtravit humanum genus mediante peccato Evæ, Adamum ad vetitum cibum inclinantis, & conſummatio fuit in eſu Adæ: ſic inclinante Virgine per meritum ad ſe Deum, ut aſſumeret carnem noſtram, conculcatio ſatanæ, & reparatio noſtra inchoata eſt, ac per Deum Incarnatum extitit conſummata. *Qui contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit*, ita Bernardinus. A Maria ergò conculcatio ſatanæ & carceris apertio inchoata eſt, & per Deum Incarnatum exiſtit conſummata. Extollat nunc vocem ſuam D. Baſilius Seleuc: & iterum gratuletur Mariæ: *Tu captivorum redemptio & omnium ſalus.* Hoc hodie venio oſtenſurus, dum ipſam habeo orantem Eccleſiam: *Solve vincla reis, profer lumen cæcis, mala noſtra pelle, bona cuncta poſce.* Et iterum: *Tu nos in hoc carcere ſolare propitia, Dei plena gratiâ.* NN. Cùm in qualitate Matris Dei certo modo dicere poſſit: *Habeo claves mortis & inferni*, ut educat captivos de iſto carcere, videte ne illas recuſetis, ne alioquin veſtro in carcere moriamini. Audite me hodie loquentem, ſed attentè. Incipio.

Idiota.

S. Anſelmus. *Vt ſicut Eva ad peccatum conſulit, ſic ipſa conferat ad reparationem.*

Richard. à S. Laur.

S Bernardin. Senenſis.

Pſal. 106.

S. Baſ. Seleuc.

Apoc. 1. 18.

II. Eccl. Cap. 24.7. De ſe affirmat æterna Sapientia: *Ego in Altiſſimis habitavi, & thronus meus in columna nubis.* Thronus Dei eſt ſanctiſſima Virgo, in qua Deus tamquam in regali ſolio requieſcit Pſal. 88. *Thronus ejus ſicut dies cæli.* Sed quid Deiparæ cum columna nubis? Recole quomodò Exod. 13. dum educeret Dominus populum ſuum de Pharaonis ſervitute: *Præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut Dux eſſet itineris utroque tempore.* Sic ut etiam ab ipſo peccante non recederet de nocte, illuminans in tenebris, de die verò viam oſtendens in terram promiſſionis, & ſpatio quidem annorum quadraginta. Prodigioſa ſanè columna! Quidni inter omnia prodigia palmam tulerit? Prodigium fuerit, quod inter tot centena hominum millia ne vel unus fuerit infirmus. *Non erat in tribubus eorum infirmus.* Pſal. 104. Sit miraculum quod Moyſes virgâ ſuâ eduxerit

Eccl. 24 7.

Pſal. 88. 30. *Maria columnæ nubis comparatur, mediante quâ Iſraël eductus eſt de Ægypto.*

Exod. 13. 21.

Pſal. 104. 37.

eduxerit aquam de petra. Ex ſuperet naturam, quod pluerit illis quadraginta annis manna ad manducandum, quæ fateor prodigia eſſe non parva, ſed majus horum hanc ego columnam dixerim. Erat hęc columna turris inſtar immenſæ, tegens populum innumerabilem, à virtute motrice quaſi animata, ab Angelo juxta Dei beneplacitum modò retenta, modò promota, modò lucida, modò opaca, modò radios effundens, modò abſcondens juxta populi exigentiam; columna ſanè mirabilis, ex qua loquebatur Dominus & ſua dabat oracula, populum ſuum modò reprehendens, modò animans, modò mandans & docens. Quis cum D. Amb. in Pſal. 118. hanc columnam, in qua Deus captivum populum ſuum de ſervitute eduxit, niſi Mariam dixerit? Si Joannes in ſua Apocalypſi viros Apoſtolicos columnas

[Apoc. 3. 12.] appellet: *Qui vicerit faciam illum columnam in regno Dei mei.* Cur potiori jure non dicemus de Virgine

[Guerricus.] ſanctiſſima, quod Guerricus Abbas ſcribit de Præcurſore *Serm.* 4. *Columna cœli, gloria generis humani, miraculum mundi*? Dicite ergò mecum, & bene dicetis: *Per diem in columna nubis, per noctem in columna ignis.* Maria juſtos in juſtitiæ claritate degentes benignè protegit, ut ad cœleſtem patriam eos perducat, & peccatores in tenebris peccatorum ſedentes illuminat, ut ad gratiæ ſplendorem aſſurgant, educatque eos de carcere diaboli, de tenebris & umbra mortis. Edicat nunc Cardinalis Ugo

[Ugo Card.] ſenſa cordis ſui: *Hæc*, inquit, *eſt columna nubis, quæ præceſſit & protexit filios Iſraël per deſertum, ita ſtabilis, ut nec ab ipſis peccatoribus receſſerit.* Hæc columna ignis omni captivo dux eſt itineris. Omni? omni.

III. Luc. 2. Homo erat in Jeruſalem, cui nomen S.meon, & homo iſte erat juſtus & timoratus, *Expectans conſolationem Iſrael, & Spiritus ſanctus erat in eo*: hic ut in Matris ulnis puerum vidit, exclamat: *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſe.un-dùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paráſti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem Gentium.* [Lucæ 2. 25.] [*Nec Iſraël tantùm, ſed omnes Gentes, opitulante Mariâ, illuminantur,*] Jam illum non unius populi Iſraël, ſed omnium populorum, omnium Gentium ſalutem ac lumen æſtimat: à Marianis enim manibus fluunt gratiæ in totum orbem terrarum. Audiendus hîc D. Gregorius in Cat. [S. Gregor.] Græca: *Antequam Simeon dignus videretur beatæ viſionis, præſtolabatur ſolatium Iſraël, ut autem, quod ſperabat, obtinuit, exclamat, ſe vidiſſe ſalutem omnium populorum.* Antequam videret, ſperabat unius populi ſalutem, at ubi puerum vidit in manibus Mariæ, ſic incrementum concipit, ut omnium mortalium ſalutem dicat. Exclamet modò cum Simeone Bernardus Mellifluus, ſuoque ex alveari mel nobis effundat Serm. 98. *Maria copioſiſſimâ charitate debitricem ſe fecit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi, captivus redemptionem, peccator veniam.* [S. Bern.] Cui concinit S. Baſilius Seleuc. [S. Baſilius.] *Tu captivorum redemptio & omnium ſalus.*

IV. Gen. 48. Moriturus Jacob [Gen. 48. 7.] aſtanti ſibi filio Joſeph ait: *Mihi, quando veniebam de Meſopotamia, mortua eſt Rachel in terra Chanaan in ipſo itinere, eratque vernum tempus, & ingrediebar*

Quæ plus orat pro nobis captivis, magiſque exauditur, quàm Rachel pro Hebræis.

grediebar Ephratam, & ſepelivi eam juxta viam Ephratæ. Recordare fili, recordentur & tui, quod veniendo de Meſopotamia mortua ſit Rachel mater tua, eamq; ſepeliverim in Ephrata. Cur, obſecro, Jacob filio ſuo Joſeph narrat mortem, & locum ſepulturæ ejus? Dicunt Hebræi, quod Jacob hoc fecerit divinitùs edoctus, quod Nabuchodonoſor poſteros ejus captivos duceret in Babyloniam, viam tranſituros, in qua ſepulta erat Rachel, & illa, licèt mortua, pro liberatione eorum oratura eſſet Deum. Putatis N. N. Mariæ preces minùs efficaces eſſe in cœlo, quàm preces Rachelis pro Hebræis orantis? *Magna fuit erga miſeros* captivos *Mariæ miſericordia*, inquit Bonaventura, *adhuc exulantis in mundo, ſed multò major erga miſeros* captivos *jam regnantis in cœlo. Majorem per beneficia innumerabilia nunc ſuam oſtendit hominibus miſericordiam, quia magìs nunc videt hominum* (captivorum) *miſeriam.* Loquatur iterum Mariæ Benjaminus Bernardus Serm. 2. de Aſſumpt. *Quis Miſericordiæ tuæ, ô benedicta! longitudinem, & latitudinem, ſublimitatem, & profundum queat inveſtigare? nam longitudo ejus uſque in diem noviſſimum invocantibus eam ſubvenit univerſis; latitudo ejus replet orbem terrarum; ut tuâ quoque miſericordiâ plena ſit omnis terra, ſic & ſublimitas civitatis ſupernæ invenit reſtaurationem, & profundum ejus ſedentibus in tenebris & umbra mortis obtinuit redemptionem.* Auditis hæc, Captivi? aures arrigite: *Profundum ejus ſedentibus in tenebris & umbra mortis obtinuit redemptionem.* Quidni Mater

S. Bonav. in Spec. Cap. 8.

S. Bernardus.

imitetur Filium. Si lumen oculorum adhuc vobiſcum eſt, legite Epiſtolam, quam Apoſtolus ſcripſit.

Epheſ. 4. 8.

V. Epheſ. 4. de Chriſti Aſcenſione ſic ſcribit: *Aſcendens Chriſtus in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Quæ dona dedit Chriſtus in ſua Aſcenſione? tacentibus cæteris Evangeliſtis, ſolus Lucas Cap. 24. dicit: *Elevatis manibus benedixit eis, & factum eſt dum benediceret illis, ferebatur in cœlum. Benedicere Dei, eſt benefacere*, inquit Abul. benefacere Dei eſt captivos redimere, captivam ſecum ducere captivitatem, ut æterni gaudeant benedictione, juxta illud Iſaiæ 42. 6. *Dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium, ut educeres de concluſione vinctum*; & Iſaiæ 49. 25. *Captivitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerit à robuſto, ſalvabitur: tolletur à forti præda.* Captivam duxit captivitatem, dum Patres eduxit de lymbo, & infinitam tulit à forti prædam, de diaboli carcere redemptam. Mellifluus Bernardus à Chriſto, captivorum Redemptore, ad Mariam captivorum Redemptricem deſcendit, & de Chriſti Aſcenſione ad Mariæ Aſſumptionem: *Aſcendens in altum dabit ipſa quoque dona hominibus, quidni daret? quia nec facultas illi deeſſe poterit, nec voluntas.* Probat, *quia*, inquit, *Regina cœlorum eſt, miſericors eſt, denique Mater eſt unigeniti Filii Dei.* Per illam maternitatem Mariæ viſcera transformata ſunt in affectum charitatis: quia Deus, qui charitas eſt, in illa novem menſibus requievit. Magìs ad rem noſtram Richardus

Lucæ 24. 5.

Abul.

Iſaiæ 42. 6.

Iſaiæ 49. 25.

Et ideò S. Bernardus teſtatur, quod ſicut Filius aſcendens, ſic & Maria aſſumpta dederit dona hominibus, quibus à captivitate ſolverentur.

Richard. à S. Laurentio.

à ſancto Laurentio Lib.4. *De Virgin. Maria eſt vera & unica imitatrix Filii: ex quo aſcendit in cœlum, dedit dona hominibus*, & captivam duxit captivitatem. Notate verba: *Unica imitatrix Filii.* In quo, obſecro, dicitur *Unica imitatrix Filii?* Quia pro hominibus intercedit? hoc omnibus Sanctis commune eſt. In quo ergò illa ſingularitas Mariæ conſiſtit? in eo, quod idipſum faciat poſt Aſſumptionem, quod Chriſtus poſt Aſcenſionem, captivam ducens captivitatem, & dans dona hominibus, infinitas captivas animas precibus ſuis redimendo: & ſicut Chriſtus poſt Aſcenſionem dedit donum, Spiritum ſanctum, qui ab illo procedit, ita Maria mittit ad pauperes captivos de plenitudine gratiæ Filii, qui ex ea natus eſt, & ab illa proceſſit: *Et plenitudinem totius boni poſuit in Maria*, tamdiu pro illis intercedendo, donec cadant catenæ de manibus eorum. Tam ſollicita eſt hæc captivarum animarum Redemptrix, ut ſolvantur à peccatorum vinculis. Videte quàm illi cordi fuerint materialibus vincti catenis. Non recedo à S. Ordine meo Carmelitico.

Probatur q; hoc ex factis, & quidem à fortiori.

VI. Venerabilis noſter P. Hieronymus Gratianus, Seraphicæ noſtræ Thereſiæ à confeſſionibus, à barbaris vinculis ferreis conſtringitur, vivus pro fide comburendus, dum cœli Reginam, cui ſe in ſervum fidelem mancipaverat, exoraret, dicendo: *Solve vincla reis*, illicò catenis diſruptis liber evaſit. Ordinis noſtri Alumni Tholoſæ graviter afflicti, & in ſuo domicilio (vectibus ferreis ad portam admotis) incluſi, ut ſic fame necarentur, dum Patronæ ſuæ laudibus concinendis vacant, & ejus implorant opem cantando: *Tu nos in hoc carcere ſolare propitia*, derepentè omne quod exire prohibuerat, corruit, ſicut olim muri Jericho ad Arcæ præſentiam. Oculi autem ejus, qui eos incluſerat, è locis ſuis decidentes, per nervos in maxillis pendebant. Cùm autem facti pœnitens, ſupplex veniam à Religioſis depoſceret, illi pro ſalute ejus *Salve Regina* intonuerunt, & ad hæc verba: *Illos tuos miſericordes oculos ad nos converte*, oculi ejus loca priſtina, cunctis qui aderant, ſpectantibus, reintraverunt. Si Maria ſit adeò ſollicita ut ſolvat corporaliter vinctos, quantò magis, ut ſolvat irretitos ſecundùm animam, ut infernale evadant incendium, ſignanter Mariam invocantes: *Tu nos in hoc carcere ſolare propitia Dei plena gratiâ?* Cùm ſit unica imitatrix Filii, captivam ducens captivitatem, & poſt Filium ſit captivorum Redemptrix ad hoc electa, ut, ipſo præſtante, innumeras captivas animas precibus ſuis redimat? Quis hoc Dei Matri negabit, in qua Deus poſuit plenitudinem totius boni, cui nec voluntas deeſt nec poteſtas? Quis, inquam, negabit Reginæ, quod conceſſum eſt Ancillæ?

Et certè ſi S. Genovefa preces ad ſimiles effectus efficaces fuerunt apud Reges Franciæ, quare non eſſent Mariæ preces apud Regem æternum?

VII. S. Genovefa Pariſiorum protectrix tam potentis erat interceſſionis apud Galliæ Reges Chilpericum & Clodovæum, ut clavem habere videretur non ſolùm gratiarum & favorum, ſed utriuſq; cordis Regii. Hic *Ob ejus amorem in carcere retruſis ſæpe veniam dederat, & ob diverſa crimina, animadverſione digniſſima, capite plectendos, in ipſo penè carnificis ictu, ſupplicante pro eis Genovefâ, abſolverat.*

rat. Hoc Clodovei factum non adeò miror, erat enim baptizatus à ſancto Remigio, & primus Regum Chriſtianiſſimorum cœleſti unctus oleo, aureiſque liliis donatus deſuper, at in ſtuporem me dat, quod preces Genovefæ fuerint, non dico potentes, ſed quaſi omnipotentes apud Regem Chilpericum, tametſi non eſſet Chriſtianus. Do verba Surii hiſtorici. Chilpericus Rex Francorum, tametſi non eſſet Chriſtianâ religione initiatus, Virginem hanc ſanctiſſimam ſingulari veneratione proſecutus eſt: nam cùm aliquando quoſdam reos capitis pertinaci animi ſententiâ decreviſſet occidere, ne S. Genovefæ precibus poſſet flecti ad miſericordiam, ex urbe egreſſus, juſſit portas recludi. At ubi S. Genovefæ nuntiatum eſt, Regem negandi gratiâ ex oppido proceſſiſſe, mox illius veniam precatura, feſtina abiit, atque adveniente illâ ad portas obſeratas, confeſtim ei, ſtupefactis cuſtodibus, quaſi ad quoddam jubentis imperium, reſeratæ ſunt, ſicque Genovefa Virgo, ubi ad Regem pervenit, ne miſeri illi capite plecterentur, obtinuit. Ita illi, jamjam perituri, per eam à præſentiſſimo mortis diſcrimine ſunt liberati. Audebit aliquis, niſi injurius amori Dei infinito erga Matrem, comparare Deum cum Chilperico, & cum Genovefa Mariam? minùs efficaces dicere Mariæ preces apud Deum, quàm Genovefæ apud Regem Franciæ? Non nego dari peccatores, diaboli captivos, ſuo in carcere fœtentes, ob enormitatem criminum æterno dignos ſupplicio: ſcio omnes portas obſeratas, omnem aditum occluſum, omnem recurſum impeditum, ſummatim in omnibus & per omnia veniam deſperatam; Si tamen Maria, captivorum Redemptrix, pro illis intercedat, illicò ſubmittuntur pontes, reſerantur portæ, & obtinetur reſcriptum abſolutionis, cadunt catenæ de manibus eorum, & mediante ſacrâ Exomologeſi, liberantur è carcere. Non poteſt Filius Dei, qui in redemptionẽ captivorũ de illa factus eſt homo, ad reiteratas Matris preces non ſe dedere. Hinc D. Methodius: *Per Mariã innumera converſiones fiunt.* Et de ſe ac ſexcentis aliis ſcribit Mellifluus. *Lib. de Dulc. Animæ: Neſcirem quònam refugerem, quanam ſperarem, quomodò me ſalvarem, niſi me totum Mariæ gratiæ commendarem.* Quot captivæ Animæ ſuo in carcere obiiſſent, niſi captivorum Redemptrix pro illis interceſſiſſet, eoſque à vinculis ſolviſſet ad Eccleſiæ preces: *Solve vincla reis?* Quotquot peccatores cum Prodigo recurrunt ad patrem, aut cum Ezechia in ſtrato lacrymas fundunt, aut cum Davide cilicio ſe veſtiunt, maxima ex parte, Mariâ mediante, liberantur è carcere, quæ, ut benigna Eſther, non patitur ſuos ſub tyrannica ſervitute Amani, morti illorũ inhiantis, neque, ut ſtrenua Judith, ſub jugo infernalis Holofernis perire: imò ipſa prædam facit ipſum prædatorem. *Qui in captivitatem duxerat, in captivitatem vadet.* Apoc. 13. Teſtimonium perhibet de ſe ille, de quo Carthagena & Pelbartus *in Stellario* Lib. 12. P. ultimâ Cap. 12. Mirac. 2.

Surius. D. Method. *Maria Bernardi refugiũ & ſpes, majorque pars pœnitentium ipſi procuratam à Filio converſionis gratiam debet.* Apoc. 13. 10.

VIII. Adoleſcens, filius unicus matris ſuæ, in Dei timore & Mariana devotione educatus, à quodam

Principe ad aulam evocatur. Satagebat mater ut in pietate & cultu Mariano radices ageret, Deiq; Matrem in omni periculo & neceſſitate invocaret, utque indies cum devotione Salutationem Angelicam recitaret, addendo in fine hanc clauſulam: *Virgo benedicta, eſto mihi adjutrix in hora mortis meæ.* Ut aulam intravit, illicò pietatis habitu exuto, ita peſſimos Aulicorum mores induit, ut ob vitam improbam ab aulâ ejectus, non habens unde viveret, factus ſit dux latronum. Ob multa patrata ſcelera in carcerem conjectus, & morti ignominioſæ adjudicatus, dedit ſe in prædam dolorum, & in mare lacrymarum. Inimicus infernalis hanc captans occaſionem, & prædæ, in Mariana devotione educatæ inhians, apparet illi in forma pulcherrimi juvenis, promittens quod liberaturus eſſet eum de carcere, modò abjuraret Chriſtum, Sacramenta, & Eccleſiam; annuit ille cauſâ liberationis. Addebat diabolus requiri inſuper, ut renuntiaret omnibus auxiliis, quæ à Dei Matre ſperare poſſet; his auditis reminiſcens ille Marianæ ſuæ devotionis, matriſq; conſilii, toto cordis affectu recurrens ad captivorum Redemptricem ejuſque protectionem, ſolita verba proferens: *Virgo benedicta eſto mihi adjutrix in hora mortis meæ*, dæmonio in fugam dato, jubet vocari Sacerdotem, compunctus confitetur culpas ſuas. & ductus ad ſupplicium, ſemper in via replicat eandem ſolitam orationem, offenditq; imaginem Matris Dei, dum in illam oculos figit, exclamat: *O ſpes unica peccatorum adjuva me!* Res mira, imago caput inclinat, quaſi ſalutans deſolatum, unde confortatus miſer petit permitti ſibi imaginis pedes oſculari, permittitur, & ecce dum genua flectit, Dei Mater manum extendit, & ita apprehendit ligatas manus ejus, ut miniſtri juſtitiæ nullâ vi potuerint eum de manu ejus eripere, quo miraculo agnito clamantibus cunctis: Gratia, Gratia, data eſt gratia, & à corporis & animæ vinculis ſolutum dimiſit eum Virgo Sanctiſſima.

Probatur hoc illuſtri exemplo perditiſſimi juvenis, ejus interceſſione ab utraque morte liberati.

Dicā modò cum Auguſtino *Ser. 35. de Sanctis. Hæc homini perdito redemptionem adduxit.* Sed quid de uno perdito loquor? *Per Mariam ferè innumeræ converſiones fiunt*, innumeri captivi liberantur: ita ut auſim dicere cum D. Petro Damiano *Serm. 2. de Nativit. Virg. Data eſt tibi omnis poteſtas in cœlo & in terra, & nihil tibi impoſſibile, cui poſſibile eſt deſperatos in ſpem ſalutis relevare.* Quænam illi poteſtas data eſt in cœlo & in terra? dicat pro me ipſe prædator animarū. Nolo ab eo aliud teſtimonium, quàm olim datum PP. Prædicatorum Patriarchæ ſanctiſſimo, dæmoniacum exorcizanti: *Fatemur neminem nobiſcum damnari, qui in Mariæ cultu perſeverat & obſequio, nam unicum ſuſpirium ab ea & per eam SS. Trinitati oblatum, ſuperat & excedit omnium Sanctorum preces, & magis eam formidamus, quàm omnes Sanctos Paradiſi.* Quid nobis cum teſtimonio diaboli, dum habemus S. Anſelmum hæc ſenſa pandentem? *Qui ad Mariam acceſſerit, impoſſibile eſt ut pereat*: imò impoſſibile quodammodò eſt, ut ſuo moriatur in carcere.

S. Auguſtin.

S. Damianus.

Et corroboratur ipſius ſatanæ teſtimonio, & famoſis verbis D. Anſelmi.

IX. Gen. 40. in aula Pharaonis duo erant, qui ob æquale delictum

carceri

carceri mancipantur, unus pincernis præerat, alter piſtoribus. Contigit utrumque in carcere mirabile habere
Gen 40. 8. ſomnium, quod narrant concaptivo
Verſ. 10. Joſeph: *Somnium*, inquiunt, *vidimus.* Quibus ille: *Referte quid videritis.* Tunc pincerna: *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, creſcere paulatim in gemmas*; His auditis, ait Joſeph: Amice mi, bonum
℣. 12. tibi ſignum eſt: hæc eſt interpretatio ſomnii: *Tres propagines, tres adhuc dies ſunt, poſt quos recordabitur miniſterii tui*, Pharâo, *& reſtituet in gradum priſtinum.* Piſtorum magi-
℣. 17. ſter videns quod prudenter ſomnium diſſolviſſet, ait: *Ego vidi ſomnium, quod tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum.* Tunc Joſeph:
℣. 18. hæc tibi mala præſagia, Amice mi: hæc eſt interpretatio ſomnii: *Tria caniſtra adhuc tres dies ſunt, poſt quos auferet Pharao caput tuum, ac ſuſpendet te in cruce*, quæ omnia rei eventus poſtea comprobavit. Quæro: Cùm utriuſque ſine diſcrimine referatur peccatum, cur alter periculo exemptus, alter verò ſupplicio infami punitus ſit? Ea ſe mihi offert ratio; alterum videlicet vitem in ſomnio ſpectâſſe, alterum non vidiſſe; ſed quid vitis viſio alterum liberare potuit? Quid? eſt enim vitis Mariæ ſacratiſſimæ ænigma: ubi ergò Virginis umbra, ibi vera fuit ſalutis tutela: ubi nullum Mariæ Symbolum, ibi certiſſimum fuit tormentum. Vis ſcire, Captive, an æternæ mortis periculum ſis evaſurus, & an non moriturus ſis in carcere? ſi cum pincerna videris in ſomnio tuo, id eſt, ſi in vita tua, quæ tranſit velut ſomnium, videris & colueris vitem fructiferam Mariam, quæ de ſe ipſa dicit: *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris.* Eccli. 24. 23. *bene erit* Eccli. 24. 23.
in extremis, & in die defunctionis ſuæ Eccli. 1. 13.
benedicetur. Eccli. 1. Licèt ob delicta, tamquam reus mortis, miſſus eſſes in carcerem: recordabitur miniſterii tui, recordabitur devotionis tuæ, quam erga eam habuiſti, jejunii, quod in honorem ejus ſervâſti &c. ac ipſa efficiet, quod non morieris in carcere. *Qui enim ad Mariam acceſſerit, impoſſibile eſt ut* S. Anſelmus.
pereat, ut inquit Anſelmus. Eſt enim, S. Ephrem.
ut loquitur S. Ephrem *in Threno ſeu Lamentat. Virg. Deſperatorum ſpes, damnatorum patrocinatrix*, & captivorum redemptrix; unde ut tanti beneficii jugis in nobis maneret memoria, & memores eſſemus hodiernæ diei, in qua facta eſt Maria Mater Dei, & ſimul mater rei

Ex duobus captivis Pharaonis vitem, Maria figurã, videns, ſalvus evadit: quid non erit ad aſpectum veritatis?

X. Ordinat Eccleſia, ut tertiò in die ad campanæ ſignum à Chriſti fidelibus recitaretur *Ave Maria*, cum tribus verſiculis, quibus in compendio renovatur & recolitur memoria ineffabilis myſterii Incarnationis Verbi in puriſſimo utero Virginis celebrati. Primus verſiculus eſt: *Angelus Domini nuntiavit Mariæ, & concepit de Spiritu ſancto.* 2.us *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* 3.us *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Quam ob cauſam ordinat Eccleſia hos verſiculos ter dici in die?
S. Hieronymus in Cap. 49. Iſaiæ dicit, quod perfidi Judæi habeant S. Hieron.
legem hanc peſſimam, aut conſuetudinem diabolicam, tertiò in die maledicendi Jeſum & Mariam Matrem ejus:

Hinc Eccleſia tertiò de die per Angelicæ ſalutationis ſignum fideles ad illius recordationem & cultum excitat.

Ter per ſingulos dies Chriſtum & Mariam maledicunt Judæi in Synagogis ſuis. Ut ergò Eccleſia opponat ſe extremæ horum perfidorum malitiæ, ordinavit, ut tertiò in die à Chriſtianis Jeſus & Maria laudarentur, per quos habetur redemptio captivorum. Alii credunt, quod, cùm ex S. Evangelio non habeatur, quâ horâ diei apparuerit Angelus Mariæ, & Incarnatus ſit Filius Dei, & hac in parte in varias opiniones abeant SS. Patres, hinc ordinaverit Eccleſia, ut in tribus diei temporibus tanti myſterii haberetur memoria, ut vel ſic incideret in horam illam. Imò exindè, ut confirmaretur magìs, aliquibus in locis ſingulis horis pulſatur: *Ave Maria.* Dici etiam poteſt, quod Eccleſia hanc orandi conſuetudinem hauſerit ex Davide, Patre *Mariæ.* Hic enim, poſtquam in ſpiritu Prophetico prçviderat & cognoverat tam ineffabile myſterium, ſtatuit illud in memoriam reducere, & tertiò in die devotè deſuper glorificare Deum, juxta illud Pſalm. 54. 18. *Veſpere, & mane, & meridie narrabo & annuntiabo;* quia ſcilicet ſalvavit *me*, inquit Gloſſa, & adjungit David, quod ſic faciendo exauditæ fuerint preces ejus: *Et exaudivit me.* Idque, ut opinor, per merita & interceſſionem Mariæ. Hinc quotquot hîc eſtis juſti & peccatores, liberi & captivi, vos omnes interpello, ſignanter tamen vos, Captivi, ut hodie & deinceps idipſum faciatis, quod Petrus de carcere ſuo liberatus.

Alia cauſa hujus Eccleſiaſtici inſtituti adferuntur, & à Davide videri poteſt hauſtum.

Pſalm. 54. 18.

XI. Act. 12. 12. Poſtquam Angelus, qui eduxerat Petrum de carcere, ab eo diſceſſerat: *Conſiderans venit ad domum Mariæ.* Lyranus, quaſi Petro aſtitiſſet, ejuſque cordis anguſtias cognoviſſet, ait: *Conſiderans ubi eſſet, & quò divertere poſſet, ne à cuſtodibus inveniretur, ivit ad domum Mariæ;* ubi erant congregati, qui pro ejus liberatione preces fuderant, tum ut eis exponeret ea, quæ in carcere paſſus fuerat, tum ut pro fuſis precibus gratias haberet, qui inde egreſſus conſolatione plenus, abiit in alium locum. N. N. mei, dum hodie videtis æternum Patris Verbum, ut captivos redimeret, veniſſe in domum Mariæ: *Venit in domum Mariæ*, in uterum Mariæ, venite & vos *in domum Mariæ;* in memoriam reducite, quod ideò hodie facta ſit Mater Dei, ut eſſet mater rei, *in redemptionem captivorum.* Si necdum ceciderint catenæ de manibus veſtris, venite in domum Mariæ, & dicite illi: *Solve vincla reis*, ſi autem ceciderint, & anxietas quædam premat animas veſtras, venite cum Petro *in domum Mariæ*, indicate illi, quod triſtis ſit anima veſtra, promitto, quod non diſcedetis ab ea, niſi divinâ conſolatione pleni. Si mihi non vultis, Bernardo credite, *Hom. 2. de Laud. Virg. in fine. Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, judicis horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo, Mariam cogita, Mariam invoca.* Ne recuſetis Redemptricem veſtram ſecundariam, ſi adhuc indigentibus claves inferni offerat, ut educat vos de carcere, accipite & oſculemini eas, ne diſcedatis à domo ejus, à devo-

Act. 12. 12.

Lyranus.

Petrus è carcere eductus ivit ad domũ Mariæ & in ſuc ſimiliter, ne denuò comprehendaris, & ut in cordis afflictione ſolatium invenias.

D. Bernardus.

devotione ejus: in hoc enim collimat inimicus veſter, prædator animarum, ut occludat aditum Mariæ,& impediat acceſſum ad Deum, ne pro captivis intercedat.

Sicut Aman impediebat acceſſum ad Aſſuerum, ne intercederet Eſther pro populo ſuo.

XII. Eſther 4. 16. Aman ab Aſſuero omnium Judæorum interitu impetrato, miſſiſque ad univerſas provincias litteris, Regis annulo ſignatis, ut univerſi ubique Judæi occiderentur, adeò aditum ad Regem intercluſerat, ut nemini liceret ad Regem ingredi ſub pœna capitis: Mardochæus Eſtherem urget, ut intret ad Regem, & deprecetur eum pro populo ſuo. Tunc illa: *Ego cum ancillis meis jejunabo, & tunc ingrediar ad Regem, contra legem faciens, non vocata, tradenſque me morti & periculo.* Et cur etiam dilectiſſimæ conjugi adeò obſtruſus erat aditus? trigeſima enim dies eſt, à qua non intraverat ad Regem, poſt tam impiam ſententiam. Hoc Aman braxaverat, qui erat omnibus perniciem machinatus. Loquatur jam ad rem noſtram Rupertus Abbas: *Eâ lege diabolus per Aman abuti voluit, ut dum ille accuſator tam familiaris Regi immineret, & ad excuſandum nulli aditus pateret, ad exorandum nullus acceſſus fieret, cuncta Regis ſententia curreret inexorabilis, atque ita draconi liceat devorare.* Omni molimine ſtudet diabolus impedire, ne poſt latam in captivos ſuos mortis ſententiam, Mariæ ullus ad exorandum acceſſus fiat ad Filium, *Atque ita draconi liceat devorare:* Juxta Richardum à ſancto Laurentio *de Laud. Virg. Cap.2.* ſecurus, quod *deſtitutus tantæ Matris auxilio, per conſequens deſtituatur auxilio Filii*: & ideò veluti Chriſti ſimia, ſtudet ſeparare Matrem à Filio, & Filium à Matre.

Eſther 4. 16.

Rupertus.

Ita Satan nititur impedire acceſſum Mariæ ad Filium, peſſimam agens ſimiā Salvatoris:

Richard. à S. Laurentio.

XIII. Matth. 10. 34. Chriſtus, datâ Apoſtolis poteſtate ad Evangelizandum, & dæmoniacos infirmoſque curandos, de ſe ait: *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere ſed gladium, veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſùs matrem ſuam.* Quomodò venit ſeparare filium à patre, & filiam à matre; ſi patrem & matrem jubemur diligere? Reſpondebit pro me D. Gregor. *Homil. 37. in Evang. An ſimul & odiſſe poſſumus & diligere?* Venit ſeparare filium à patre, & filiam à matre, *Dum illos adverſarios in via Dei patimur.* Maledicta ſimia conatur idipſum imitari, ſed ſenſu contrario, venit mittere gladium, ſeparare Matrem à Filio, Filium à Patre, peccatorem à Patre miſericordiarum, Matrem à Filio, matrem rei à Filio Dei, animam captivam à Matre miſericordiæ, à devotione Mariæ, ab honore & cultu ejus; quâ factâ ſeparatione, ſecurus eſt, & quaſi certus de animæ ruina. Eccleſia (ut ſcitis) Mariam lunæ comparat: *Pulchra ut luna*, eamque laudat: *Ex te ortus eſt ſol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.* Dum, interpoſitâ terrâ, luna ab aſpectu ſolis ſeparatur, oritur Eclypſis, dum ſeparatur Mater à Filio, fit Eclypſis in anima; & iſti ſeparationi ſtudet ſatan. Niſi ſol & luna ſimul moveantur, & ſimul quieſcant, naturæ ordo perturbatur; hinc Joſue 10, 13. habetur

Matth. 10. 34.

Hic enim matrem à filio ſeparandam ſtatuit, dum ſibi invicē adverſarentur in via Dei:

Ille verò nequam hoc etiam vult, dum Mater ad Deum conducit.

Cant. 6. 9.

Idque ut, Matre à Filio ſeparatâ, oriatur Eclypſis in animâ.

Joſue 10. 13.

betur: *Steterunt ſol & luna*, & poſtmodùm cœperunt moveri pariter. Hunc ordinem ſtudet ſatan invertere, dum ſeparat Lunam à Sole, Mariam à Jeſu, Matrem à Filio, Ancillam Domini à Domino. An putatis vacare myſterio, quod Sara adeò ſollicita fuit, ut Agar domo expelleretur cum Iſmaële, mater cum filio?

Agit inſuper cùm hominibus, ſicut Sara egit: Gen. 21. 10. *& timens ne Mater iterū introduceret Filium, etiā illam expulſam vult.*

XIV. Gen. 21. 10. Viderat Sara Iſmaëlem nequiculum cum filio ſuo Iſaac ludentem, alius textus habet, idololatrantem: hinc timéns ne inficeretur filius, urget maritum, ut matrem expellat cum filio: *Ejice ancillam hanc & filium ejus.* Laudo Saram, quod procul ab ædibus Iſmaëlem velit, qui Iſaacum prava docere nitebatur (præclara enim ſedulitas parentum, ut nullus domi maneat, qui proles corrumpat) ſed cur etiam Agar abigitur? Non ſat erat filium abigere? non erat: ſciebat enim, quod ſi ejiceretur filius, matre remanente, facilè ad matris inſtantiam rediiſſet filius; ideò ejectam voluit matrem cum filio. Stridet diabolus dum Jeſum videt in ædibus, id eſt, in animabus noſtris, ideò laborat ut per peccatum mortale ejiciatur, & ſervituti ejus ſubdamur. Nec tamen hìc ſiſtit, ſed unicuique ſatellitum ſuorum jubet: *Ejice ancillam hanc & filium ejus.* Illam Ancillam, quæ in exterminium ipſius facta Redemptrix captivorum, dixit Angelo: *Ecce ancilla Domini.* Novit enim, quod ſi addicti fuerimus Matri, licèt modò in carcere ſedeamus privati Filio, quod facilè rediturus ſit Filius: quia non diu futurus eſt ſine Filio, qui devotè Matrem colit. Audite Bonaventuram, paucis omnia complectentem: *Simus cum Matre, qui volumus Filium cum Matre lucrari.* Auditis hæc, Captivi, & non recurritis ad Redemptricem veſtram, ut vos iterum ad Filium ſuum reducat? O tortores animarum veſtrarum! ô injurii Redemptrici veſtræ! Audite ex ore ejus, quod vobis exprobro.

Lucæ 1. 38.

S. Bonaventura.

XV. Prov. 8. 36. *Qui in me peccaverit, lædet animam ſuam.* Textus Heb. legit: *Qui in me peccaverit injurius eſt animæ ſuæ.* Pagninus: *Spoliat animam ſuam.* Cajet. *Torquebit animam ſuam.* 70ta. *Impiè agunt in ſuas ipſorum animas.* Ne putetis per tales intelligi tantùm hæreſiarchas, blaſphemos, & perjuros, Neſtorios, Elvidios, &c. non, inquit D. Bonaventura *in Spec. Non ſolùm in te peccant, ô Domina, qui ſibi injuriam inferunt, ſed etiam qui te non rogant:* quia, cùm tantam Protectricem, & captivorum Redemptricem pro ſua liberatione non rogant: *Impiè agunt in animas ſuas*, & manifeſtiſſimo periculo ſe exponunt moriendi in carcere, ut Seraphicè ait Seraphicus Bonaventura: *Qui dignè coluerit eam, juſtificabitur, & qui neglexerit eam, morietur in peccatis ſuis:* morietur in ſuo carcere, de carcere iturus in carcerem, de temporali in ſempiternum. Quid Jerechuntinis evenerit probè nôſtis.

Prov. 8. 36.

Hebraicus. Pagninus. Cajet. Septuag.

S. Bonaventura.

Porrò animabus ſuis injurii ſunt, qui illum Mariam à ſe abigere ſinunt.

XVI. Inter omnes civitates terræ promiſſionis ſola Jericho adeò deſtructa fuit, & tam execrandâ icta excommunicatione, ut Deus maledixerit virum, qui vel cogitaret reædificare

Et ſicut Ierichuntini peribunt, qui eam non reverentur.

Joſue 6, 26. reædificare eam. *Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitaverit & ædificaverit civitatem Jericho.* Quomodò Jerichuntinis factus eſt Deus adeò rigoroſus & inexorabilis? Quomodò? Attendite: mandaverat Deus Joſue, ut ſacerdotes tollerent Arcam fœderis, ut diebus ſeptem circuirent urbem: & *Sic* Verſ. 14. *fecerunt ſex diebus*, Jerechuntinis perſeverantibus in ſua perfida obſtinatione? *Die ſeptimo muri il-* Verſ. 15. *licò corruerunt*: ita ut die Sabbati & urbs, & infelices cives fuerint deſtructi, & quaſi à Deo maledicti. Quid per impios Jerechuntinos niſi captivos diaboli intelligimus? Per Arcam, quæ *Circuivit civitatem*, S. Ambroſius S. Ambroſius. intelligit Mariam: *Arcam, quid niſi S. Mariam dixerimus? ſiquidem Arca intrinſecùs portabat Teſtamenti tabulas, Maria autem ipſius Teſtamenti portabat hæredem.* Si hæc Arca ſacratiſſimæ Virginis, ſpatio ſex dierum ſeptimanæ, buccinantibus tubis, *Quarum uſus eſt in jubileo*, id eſt, tertio in die tintinnando *Ave Maria*, feratur circum circa carcerem peccatorum, qui non emendant ſe, & non ſe reconciliant cum filio ejus, ſed in malo perſeverant: væ illis! in die enim ſeptimo, qui Sabbatinus eſt, & honori & gloriæ ſacratiſſimæ Virginis Mariæ conſecratus, tamquàm reprobi derelinquentur, & murus defenſionis ejus (de quo Cant. 8. Cant. 8. *Ego murus*) illicò corruet: licèt enim illa ſit verum refugium peccatorum, & redemptrix captivorum: hoc tamen intelligendum eſt de iis, qui ſe convertere volunt, ipſâmet Virgine dicente S. Birgittæ Lib. 4. Revel. Cap. 138. *Ego* S. Birgitta. *ſum quaſi mater omnium peccatorum ſe emendare volentium, habentiumque voluntatem in Deum ampliùs non peccandi.* Hoc eſt punctum veræ devotionis peccatorum erga Dei Matrem. Verè conteri de peccatis ſuis cum firmo propoſito emendandæ vitæ, *Et idem fit pax & Sabbatum.* Dum Mariam prædico captivorum redemptricem: Vos qui liberi eſtis, nec in carcerem, nec in vincula diaboli incidiſtis, habetis & vos quod redemptricem veſtram agnoſcatis, illique gratias agatis ſuper redemptione veſtra.

XVII. Pſal. 85. Miſericordiám conſecutus Rex David, effundit ſe in Dei laudes: *Confitebor tibi Domine* Pſalm. 85. *in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum: quia miſericordia tua magna eſt ſuper me: & eruiſti animam meam ab inferno inferiori.* Infernus inferior eſt locus damnatorum, quomodò ergò David ſe inde erutum dicit, ſi numquam ibi fuerit? Reſpondet Magnus Auguſtinus in ſimilitudine medicamenti præſervantis, quo liberamur à mortali infirmitate peritiâ medici: *Eruiſti, dixit, quia liberavit à talibus peccatis, per quæ poſſet deduci ad tormenta inferni inferioris, quemadmodum ſi medicus videat tibi imminentem infirmitatem*, &c. Quomodò ergò David fuit liberatus? miſericordiâ præſervativâ: *Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me.* Sunt hîc fortè præſentes, qui dicere poſſunt & debent Mariæ Matri Dei, quod David Deo. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo & glorificabo nomen tuum in æternum: quia miſericordia*

Qq tua

tua magna eſt ſuper me: eruiſti animam meam ab inferno inferiori. Eruiſti animam meam: *Quia à talibus peccatis liberâſti, per quæ poſſem deduci ad tormenta inferni inferioris*: quod genus redimendi nobiliſſimum eſt. Liberi, Captivi, Juſti, Peccatores, Eccleſiaſticus vos alloquitur, & rogat, ut ad Mariam recurratis, ei adhæreatis, nec umquam illam deſeratis.

Eccli 6. 29. XVIII. Eccli. 6. *Ne derelinquas eam, in noviſſimis enim invenies requiem in ea. Et erunt tibi compedes e-*
Verſ. 30. *jus in poteſtatem fortitudinis & baſes virtutis.* Scio quòd directè loquatur de Sapientia divina: in ſenſu tamen myſtico, Eccleſia applicat Mariæ, Sedi Sapientiæ incarnatæ. Quaſi diceret unicuiq; noſtrûm: Vis certam facere ſpem ſalutis tuæ? *Ne derelinquas eam*: quia eſt decretum Dei, ut ſic faciendo ſalvus fias. *Ecce mater tua.* Non eſt parvulus, qui derelinquat matrẽ, & non recurrat ad eam in neceſſitate. Totâ vitâ noſtrâ ſemper ſumus parvuli, donec veniamus ad menſuram plenitudinis Chriſti, quod in hac vita non conceditur. Quis parvulus ita indiget matris auxilio, ſicut nos Matris Dei? utpote debiles, infirmi, in medio inimicorum poſiti, qui inceſſanter laborant noſtram in ruinam; imò licèt eſſemus virtutibus pleni, & confirmati in gratia, ſicut ſancti in cœlo, Dei voluntas eſt, ut honoremus eam
Joan. 19. 27. ut matrem chariſſimam: *Ecce mater tua.* Et quidem ſub pœna vitæ: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terrā.* Exod. 20. 12. Eodem præcepto honorandi & adorandi Mariā, conſtringuntur Beati in cœlo, in tantùm, ut, ſi per impoſſibile contemnerent illam honorare, illicò inſtar Luciferi præcipitarentur de cœlo. *Ne ergò derelinquas eam*: Quia, *In noviſſimis invenies requiem in ea*: illam nempe *Requiem æternam*: quia, ut benè Richardus à S Laurentio Lib. 8. de Laud. *Subtracto nobis adjutorio Mariæ, ſtatim labimur in peccatum, indeque in infernum.* Richardus à S. Laurentio. Si ergò velis requiem in noviſſimis, *Ne derelinquas eam. In noviſſimis invenies requiem in ea*: adducit rationes: *Quia erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, & baſes virtutis. Quare autem compedes* quærit Richardus? *Niſi quia tenent* Richardus. *ſervos illius in ſtatu juſtitiæ, ne currant ad illicita*, ſtabiles & conſtantes in bono. Adeò enim efficax eſt ſanctæ Dominæ patrocinium ad vincenda peccata, ut, qui eo utuntur, ſint quaſi à peccatis invincibiles. Teſtatur id ipſa Virgo, per illa Eccleſiaſtici verba, quæ à Matre Eccleſia ipſi attribuuntur, nempe: *Qui operantur in me*, id eſt, qui meo ſervitio mancipati, opera faciunt ad cultum & gloriam meam, *Non peccabunt*: quia inter alia bona acquirent præſervationem à peccatis, ne in ea labantur, Amen, Amen.

INDEX

INDEX

LOCORUM S. SCRIPTURÆ.

In quo prima cyfra, ante quamlibet ſententiam poſita, caput Scripturæ, ſecunda verò capitis verſum indigitat; ubi tamen unica tantùm ante ſententiam occurrit, illa capitis immediatè ante citati verſum demonſtrat. Cyfræ verò poſt ſententias poſitæ, hoc modo ſe habent, ut prima hujus Adventûs paginam, ſecunda verò cujuſque ſermonis numerum marginalem inſinuet.

Geneſis.

CAp. 1. ℣. 2. Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. 291. 17.

Cap. 3. 1. Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradiſi? 34. 10.

℣. 3. Præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud. 176. 14.

℣. 5. In quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii. 34. 10.

℣. 7. Conſuerunt folia ficûs, & fecerunt ſibi perizomata. 190. 16.

℣. 8. Abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie Domini Dei. 35. 10

℣. 10 Serpens decepit me 34. 10.

℣. 14. Terra es, & in terram ibis. 67. 17.

℣. 19. In ſudore vultûs tui veſceris pane tuo, & maledicta erit terra in opere tuo. 191. 17.

℣. 21. Fecit Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas. *ibid.*

Cap. 4. 8. Egrediamur foras, cùmque eſſent in agro, conſurrexit Cain adversùs fratrem ſuum Abel, & interfecit eum. 63. 8.

℣. 9. Cain ubi eſt Abel frater tuus? 124. 3.

℣. 9. Neſcio: num cuſtos fratris mei ſum ego? 163. 14.

℣. 10. Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. 123. 3.

℣. 11. Maledictus eris ſuper terram: vagus & profugus eris ſuper terram. *ibid.*

℣. 14. Omnis qui invenerit me, occidet me. 124. 3.

℣. 15. Nequaquam ita fiet; ſed omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur. *ibid.*

Cap. 6. 5. Videns Deus quòd multa malitia eſſet hominum in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit, &c. 51. 8.

Cap. 7. 16. Incluſit enim Dominus deforis. 142. 14.

Cap. 8. 11. At illa venit ad eum portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo. 292. 18.

Cap. 12. 1. Egredere de domo tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. 173. 8.

℣. 7. Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi altare Domino. *ibid.*

Cap. 13. 18. Faciamque ſemen tuum ſicut pulverem terræ. *ibid.*

Cap. 19. 11. Ita ut oſtium invenire non poſſent. 54. 9.

℣. 17. Ne ſtes in omni circa regione, ſed in montem ſalvum te fac. 172. 6.

Cap. 21. 10. Ejice ancillam hanc, & filium ejus. 59. 19. & 304. 14.

Cap. 25. 26. Plantam fratris tenebat manu. 60. 3.

Cap. 27. 4. Fac mihi inde pulmentum, & affer, ut comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar. 166. 18.

℣. 15. Paravit illa cibos, ſicut velle noverat patrem ipſius. *ibid.*

℣. 27. Ecce odor Filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. 202. 14.

Cap. 28. 13. Vidit ..... Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ. 214. 15.

℣. 29. Illo retrahente manum, egreſſus eſt alter. 165. 17.

Cap. 35. 4. At ille infodit ea ſubter terebinthum, quæ eſt poſt urbem Sichem. 173. 9

℣. 19. Mortua eſt ergò Rachel, & ſepulta eſt in via, quæ ducit Ephratam, quæ eſt Bethlehem. 267. 5.

Cap. 37. 3. Fecitque ei ſibi tunicam polymitam. 201. 12.

℣. 26. Quid nobis prodeſt ſi occiderimus fratrem noſtrum, & celaverimus ſanguinem ipſius. 133. 17.

℣. 32. Vide utrum tunica filii tui ſit. 182. 4.

Cap. 38. 24. Producite eam ut comburatur. 110. 16.

℣. 27. Inſtante partu apparuerunt gemini in utero, videns obſtetrix quod unus infantium protulit manum, ligavit coccinum dicens: Iſte egredietur prior. 10. 3.

Cap. 39. 20. Tradiditque Joſeph in carcerem, ubi vincti Regis cuſtodiebantur, & erat ibi clauſus. 9. 14.

Cap. 40. 10. Videbam coram me vitem in qua erant tres propagines, creſcere paulatim in gemmas. 301. 9.

℣. 12. Tres propagines, tres adhuc dies ſunt, poſt quos recordabitur Pharao miniſterii tui, & reſtituet in gradum priſtinum. *Ibid.*

℣. 14. Memento mei cum bene tibi fuerit, & facias mecum miſericordiam ut ſuggeras Pharaoni, ut educat me de iſto carcere. 9. 14.

℣. 17. Vidi ſomnium, quod tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum. 301. 9.

℣. 18. Hæc eſt interpretatio ſomnii: Tria caniſtra adhuc tres anni ſunt, poſt quos auferet Pharao caput tuum. *ibid.*

Cap. 41. 25. Somnium Regis unum eſt. 75. 14.

℣. 32. Quod vidiſti ſecundò ad eandem rem pertinens ſomnium: firmitatis indicium eſt. 76. 14.

Cap. 42. 21. Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum ..... idcircò venit ſuper nos iſta tribulatio. 133. 17.

Cap. 43. 11. Sumite, inquit, de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera. &c. 10. 16.

Cap. 48. 7. Mihi, quando veniebam de Meſopotamia, mortua eſt Rachel in terra Chanaan. 296. 4.

Exodi.

Cap. 3. ℣. 2. Apparuit Dominus in flamma ignis de medio Rubi. 289. 14.

℣. 5. Ne appropinques huc, ſolve calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt. 279. 14.

℣. 7. Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi, ſciens dolorem ejus, deſcendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum. 294. 1.

Cap. 4. 2. Quid eſt quod tenes in manu tua? 220. 6.

℣. 3. Projice in terram, & projecit, & verſa eſt in colubrum. *ibid.*

℣. 4. Extende manum tuam & apprehende caudam ejus, extendit, & tenuit, verſaque eſt in virgam. *ibid.*

Cap. 5. 1. Dimitte populum meum ut ſacrificet mihi in deſerto. 127. 7.

℣. 2. Quis eſt Dominus ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſraël? *ibid.*

℣. 2. Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam. *ibid.*

℣. 7. Tolle virgam tuam & projice eam coram Pharaône, & vertetur in colubrum. *ibid.*

℣. 14. Flagellatique ſunt qui præerant operibus filiorum Iſraël ab exactoribus Pharaonis, &c. 6. 10.

Cap. 7. 3. Multiplicabo ſigna & oſtenta mea in terra Ægypti. 44. 13.

Cap. 8. 5. Dixit Dominus ad Moyſen: Dic ad Aaron, extende manum tuam ſuper fluvios & rivos, & paludes, & educ ranas ſuper terram Ægypti. 127. 7.

℣. 17. Et facti ſunt ſciniphes in hominibus & jumentis. *ibid.*

Cap. 10. 8. Ite, ſacrificate Domino Deo veſtro. 170. 3.

℣. 26. Cuncti greges pergent nobiſcum, non remanebit ex eis ungula. *Ibid.*

℣. 28. Recede à me, & cave ne ultra videas faciem meam: quocumque die apparueris mihi, morieris. 40. 2.

Cap. 13. 3. Mementote diei hujus, in qua egreſſi eſtis de Ægypto. 253. 5.

℣. 21. Præcedebat eos ad oſtendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis. 295. 2.

Cap. 14. 13. Videte magnalia Domini, quæ facturus eſt hodie. 284. 5.

℣. 21. Flante vento vehementi & urente, totâ nocte vertit in ſiccum. 174. 21.

Cap. 15. 1. Sumpſit Maria propheteſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua: &c. 205. 2.

℣. 9. Perſequar & comprehendam, dividam ſpolia, evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. 45. 13.

Cap. 20. 12. Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram. 306. 18.

℣. 19. Non loquatur Dominus nobis ne fortè moriamur. 273. 10.

Cap. 21. 2. Si emeris ſervum Hebræum, ſex annis ſerviet tibi: in ſeptimo egredietur liber & gratis. 14. 10. *Item* 141. 13. *&* 241. 3.

℣. 4. Sin autem Dominus dederit illi uxorem, & pepererit filios & filias: Mulier & liberi eſſunt Domini ſui, ipſe verò exibit cum veſtitu ſuo. *ibid.*

℣. 5. Quod ſi dixerit ſervus: diligo Dominum meum & uxorem ac liberos, non egrediar liber: &c. 141. 13.

℣. 9. Cum quali veſte intraverit, cum tali exeat. 14. 10.

Cap. 25. 17. Facies propitiatorium de auro mundiſſimo. 238. 18.

℣. 20. Utramque latus propitiatorii tegant expandentes alas, & operientes oraculum. *ibidem.*

Cap. 31. 18. Dedit Dominus duas tabulas Teſtimonii lapideas ſcriptas digito Dei. 44. 12.

Cap. 32. 1. Fac nobis Deos, qui nos præcedant. 92. 8.

℣. 24. Dederunt mihi aurum, & projeci illud in ignem, egreſſuſque eſt hic vitulus. 165. 16.

Cap. 33. 11. Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum. 273. 10.

Levitici.

Cap. 19. ℣. 2. Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum, Dominus Deus veſter. 266. 4.

Cap. 26. 13. Ego Dominus Deus veſter, qui confregi catenas cervicum veſtrarum, ut incederetis erecti. 8. 12.

Numerorum.

CAp. 11. ℣. 6. Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man. 175. 12.

℣. 5. Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto: in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porrique & cepæ, & allia. *ibid.*

Cap. 13. 32. Nequaquam ad hunc populum poſſumus aſcendere, quia fortior nobis eſt. 217. 3.

Cap. 14. 4. Conſtituamus nobis Ducem & revertamur in Ægyptum. 175. 12. & 251. 3.

℣. 4. Melius eſt reverti in Ægyptum. 218. 3.

℣. 11. Uſquequò detrahet mihi populus iſte? feriam igitur eos peſtilentiâ, atque conſumam. 260. 16.

℣. 22. Tentaverunt me jam per decem vices. 260. 16.

Cap. 20. 11. Percutiens Moyſes bis ſilicem: egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ. 44. 11.

Cap. 22. 32. Ego veni ut adverſarer tibi, quia perverſa eſt via tua, mihique contraria. 131. 14.

Deuteronomii.

CAp. 7. ℣. 25. Sculptilia eorum igne combures: non concupiſces argentum & aurum de quibus facta ſunt; &c. 289. 14.

Cap. 9. 7. Memento, & ne obliviſcaris quomodò ad iracundiam provocaveris Deum tuum. 187. 12.

Cap. 16. 3. Memineris diei egreſſionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ. 253. 5.

Cap. 21. 11. Si videris in numero captivorum mulierem pulchram, & adamaveris eam, volueriſque habere uxorem, introduces in domum tuam, &c. 181. 4.

Cap. 25. 2. Pro menſura peccati, erit plagarum modus. 236. 13.

Cap. 28. 15. Si audire nolueris vocem Domini Dei tui .... ſervies Diis alienis, qui non dabunt tibi requiem, neque die, neque nocte. 22. 6.

℣. 28. Percutiet te Dominus amentiâ & cæcitate, ut palpes in meridie ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris. 38. 16. & 118. 9.

℣. 48. Servies inimico tuo in fame & ſiti & nuditate, & omni penuria. 6. 10.

Ibid. Et ponet jugum ferreum ſuper cervicem tuam donec te conterat. *ibid.*

Cap. 33. 19. Inundationem maris quaſi lac ſugent. 236. 14.

Joſue.

CAp. 6. ℣. 3. Circuite urbem cuncti bellatores ſemel per diem: ſic facietis ſex diebus, &c. 161. 9.

℣. 14. Sic fecerunt ſex diebus. 305. 16.

℣. 20. Clangentibus tubis muri illicò corruerunt, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea; &c. 95. 12.

℣. 26. Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitaverit & ædificaverit civitatem Jericho. 305. 16.

Cap. 7. 19. Fili mi da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere, atque indica mihi quid feceris. 106. 10.

℣. 25. Lapidavitque eum omnis Iſraël, & cuncta, quæ illius erant, igne conſumpta ſunt. 149. 10.

Cap. 10. 13. Steterunt, ſol & luna. 303. 13.

Judicum.

CAp. 4. ℣. 19. Aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit eum. 62. 6.

℣. 21. Tulit itaque Jahel clavum tabernaculi, aſſumens pariter & malleum, & ingreſſa abſconditè & cum ſilentio, poſuit ſuper tempus capitis ejus clavum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum uſque ad terram. 293. 19.

Cap. 5. 8. Nova bella elegit Deus, portas hoſtium ipſe ſubvertit. *ibid.*

℣. 24. Benedicta inter mulieres Jahel, & benedicatur in tabernaculo ſuo. *ibid.*

Cap. 7. 13. Cùm veniſſet Gedeon, narrabat aliquis ſomnium proximo ſuo, & in hunc modum referebat quod viderat. 206. 3.

Cap. 9. 5. Occidit Fratres ſuos filios Jerobaal 70. viros. 26. 12.

Cap. 14. 5. Cùmque veniſſet ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis ſæviens, & occurrit ei. 286. 10.

Cap. 15. 12. Ligare te venimus, & tradere in manus Philiſthinorum. 9. 13.

Cap. 16. 16. Cùmque moleſta eſſet ei, & per multos dies jugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus. 24. 9.

℣. 17. Si raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea. 139. 9.

℣. 20. Philiſthiim ſuper te Sampſon. *ibid.*

Ibid. Egrediar ſicut antè feci, & me excutiam. 71. 8. & 139. 9. & 257. 12.

℣. 21. Quem cùm apprehendiſſent Philiſthiim; ſtatim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt. 30. 4.

Cap. 18. 27. Venerunt in Lais ad populum quieſcentem atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladii. 77. 16.

Cap. 19. 6. Quæſo te ut hodie hîc maneas, pariterque lætemur. 121. 16.

℣. 7. 8. 9. Mane apud me etiam hodie, & duc lætum diem. *ibid.*

℣. 14. Occubuit eis ſol juxta Gabaa. 122. 16.

℣. 29. Arripuit gladium & cadaver uxoris cum oſſibus ſuis in duodecim partes ac fruſta concidens, miſit in omnes terminos Iſraël. *ibidem.*

Primi Regum.

CAp. 2. ℣. 9. Impii in tenebris conticeſcent. 37. 14.
Cap. 3. 3. Nec poterat videre, lucernam Dei antequàm extingueretur. 38. 15.
Cap. 4. 19 Incurvavit ſe, & peperit. 14. 9.
℣. 21. Et vocavit puerum Ichabod. *ibid.*
Cap. 5. 3 Cùmque ſurrexiſſent diluculò Azotii, alterâ die ecce Dagon jacebat pronus in terra ante Arcam Domini, & tulerunt Dagon, & reſtituerunt eum in loco ſuo. 64. 11.
Cap. 11. 2. Habeto nos fœderatos, & ſerviemus tibi. 31. 5.
Ibid. In hoc feriam vobiſcum fœdus, ut eruam omnium oculos dextros. *ibid.*
Cap. 13. 19. Faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Iſraël, &c. 12. 4
℣. 22. Cùmque veniſſet dies prælii non eſt inventus enſis & lancea in manu totius populi qui erat cum Saule & Jonatha. *ibid.*
Cap. 15. 3. Vade & percute Amalec, & demolire univerſa ejus. 215. 16.
℣. 23. Pro eo quòd abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus, ne ſis Rex ſuper Iſraël. *ibid.*
Cap. 16. 1. Uſquequò tu luges Saul, cùm ego projecerim eum, ne regnet ſuper Iſraël. 208. 5.
Cap. 17. 7. Percuſſit Saul mille, & David decem millia. 27. 15.
℣. 33. Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare adversùs eum, quia puer es, hic autem vir bellator ab adoleſcentia ſua. 153. 15. *Item* 214. 14.
℣. 34. & 35. Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, &c. 214. 14
℣. 36. Leonem & urſum interfeci. *ibid.*
℣. 36. Erit igitur & Philiſthæus hic incircumciſus quaſi unus ex eis. *ibid.*
Cap. 17. 36. Nunc vadam & auferam opprobrium populi. *ibid.*
℣. 39. Cœpit tentare ſi armatus poſſet incedere. 228. 16.
℣. 43. Numquid ego canis ſum, quod tu venis ad me cum baculo? 129 10.
℣. 50. Prævaluit David adversùs Philiſthæum in funda & lapide, percuſſumque Philiſthæum interfecit. 218. 4
Cap. 18 10. Invaſit ſpiritus Dei malus Saul. 25. 11.
Cap. 19. 9 Porrò David pſallebat manu ſuâ 252 5.
℣. 10. Niſus eſt Saul configere David lanceâ in pariete. *ibid.*
Cap. 23. 26. Deſperabat ſe poſſe evadere à facie Saul. 20. 3
Cap. 24. 17. Levavit vocem ſuam & flevit. 44. 13.
Cap. 26. 12. Sopor Domini irruerat ſuper eos. 72. 9.
℣. 21. Numquid vox hæc tua fili mi David? peccavi, revertere fili mi David. 232. 7.

Secundi Regum.

CAp. 1. ℣. 6. Caſu veni in montem Gelboë, & Saul incumbebat ſuper haſtam ſuam, &c. 215. 16.
Cap. 3. 27. Joab ad medium portæ ..... percuſſit illum in inguine & mortuus eſt. 293. 20.
℣. 35. Hæc faciat mihi Deus & hæc addat, ſi ante occaſum ſolis guſtavero panem, vel aliud quidquam. 187. 13.
Cap. 11. 8. Secutuſque eſt eum cibus regius. 62. 7.
℣. 16. Ponite Uriam ex adverſo belli, ubi fortiſſimum eſt prælium, & relinquite ut percuſſus intereat. *Ibid.*
Cap. 12. 5. Vivit Dominus quoniam filius mortis eſt vir, qui fecit hoc. 35. 11.
℣. 6. Ovem reddet in quadruplum, eò quòd fecerit verbum iſtud, & non pepercerit. 109. 15.
℣. 7. Tu es ille vir. 35. 11. & 109. 15.
℣. 13. Peccavi Domino. *ibid.*
℣. 13 Tranſtulit Dominus peccatum tuum à te, & non morieris. 93. 9. *Item* 185. 9.
Cap. 20 10. Amaſa non obſervabat gladium quem habebat Joab. 147. 5.

Tertii Regum.

CAp. 6 ℣. 23. Fecit in oraculo duos Cherubin, de lignis olivarum. 249. 16.
Cap. 13. 2. Altare, Altare, hæc dicit Dominus. 41. 5.
℣. 3 Ecce altare ſcindetur, & effundetur cinis qui eſt in eo. 148. 9.
Ibid. 4 Extendit manum dicens: apprehendite eum, & exaruit manus ejus. *ibid.*
Ibid. 6 Ora pro me, ut reſtituatur manus mea mihi. *ibid.*
Cap. 14. 1. Surge, & commuta habitum, ne cognoſcaris quòd ſis uxor Jeroboam, & vade in Silo, ubi eſt Ahias Propheta. 271. 8.
℣. 3 Ipſe indicabit tibi quid eventurum ſit puero huic. *Ibid.*
Cap. 18. 17. Tune es ille, qui conturbas Iſraël? 4. 5.
℣. 18. Non ego turbavi Iſraël, ſed tu & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini. *ibid.*
℣. 33. Compoſuit ligna, diviſitque per membra bovem. 160. 7.
℣. 35. Currebant aquæ circum altare. *ibid.*
℣. 38. Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocauſtum, & ligna, & lapides, pulverem quòque, & aquam, quæ erat in aquæductu, lambens. *ibid.*

Quarti Regum.

CAp 4. ℣. 40. Mors in olla vir Dei .... at ille: afferte, inquit, farinam, cùmque miſiſſent mitit in ollam .... & non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla. 221 8.
Cap. 5. 10. Vade lavare ſepties in Jordane, & recipiet

recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis. 182. 6.
Cap.9. 10. Jeſabel comedent canes in agro Jezrahel. 74 12.
Cap 25. 7. Filios ejus occidit coram eo, & oculos effodit, vinxitque eum catenis, & adduxit in Babylonem. 30. 3.

Primi Paralipomenon.

CAp 21. ℣ 13. Multæ ſunt miſerationes ejus. 96. 14.

Secundi Paralipomenon.

CAp. 7. ℣. 1. Majeſtas Domini implevit domum. 273. 10.
Cap 20. 3. Timore perterritus: totum ſe contulit ad rogandum Dominum. 78. 16.
Cap 21. 4. Occidit omnes fratres ſuos gladio, & quoſdam de Principibus Iſraël. 26. 12.
Cap 33. 6. Multaque mala operatus eſt coram Domino, ut irritaret eum. 128. 9.
℣. 12. Poſtquam coangustatus eſt, oravit Dominum Deum ſuum, & egit pœnitentiam valde coram Deo. *ibid.*

Tobiæ.

CAp.6. ℣.3. Invadit me, & dixit ei Angelus: apprehende branchiam ejus, & trahe eum ad te. 221. 7.
℣. 5. & 6. Exentera hunc piſcem, & cor ejus, & fel, & jecur repone tibi, quod cùm feciſſet aſſavit carnes ejus, & ſecum tulerunt in via *ibid.*

Judith.

CAp.8 ℣.12. Non eſt iſte ſermo, qui miſericordiam provocet, ſed potiùs qui iram excitet. 131. 5.
Cap.9. 12. Fac Domine ut gladio proprio amputetur ejus ſuperbia. 27. 14.
Cap.13. 7. Confirma me Domine Deus Iſraël, & reſpice in hac hora ad opera manuum mearum. 72. 10.
Cap.16. 23. Porrò Judith univerſa vaſa bellica Holofernis . . . & conopæum quod ipſa ſuſtulerat de cubili ipſius obtulit in anathema oblivionis. *ibid. Item.* 174. 10.

Eſther.

CAp.4. ℣ 16. Ego cum ancillis meis jejunabo, & tunc ingrediar ad Regem, contra legem faciens non vocata, tradenſque me morti & periculo. 303. 12.

Job.

CAp.1. ℣.1. Quod non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo. 185. 10.
℣. 14. Boves arabant, aſinæ paſcebantur, irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia. 149. 11.
℣. 16. Cùm adhuc ille loqueretur venit alter. . . . . . Ignis cecidit de cœlo . . . . . oves conſumpſit. *ibid.*
℣. 17. Adhuc illo loquente venit alter . . . . . . Chaldæi invaſerunt camelos, & tulerunt. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intravit. *ibid.*
℣. 19. Domus corruens, oppreſſit liberos. *ibid.*
Cap.2. 3. Adhuc retinens innocentiam. 185. 10.
℣. 8. Teſtâ ſaniem radebat. 58. 17.
Cap 3. 5. Obſcurent eum tenebræ & umbra mortis. 117. 8.
℣. 24. Antequam comedam ſuſpiro. 186 10.
Cap 4. 13. In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines, pavor tenuit me. 126. 5.
℣. 14. Pavor tenuit me, & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt. 186. 10.
Ibid. 15. Inhorruerunt pili carnis meæ. *ibid.*
Cap.6. 7. Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt. 81. 5.
Cap.7. 11. Loquar in amaritudine animæ meæ. 186. 10.
℣. 11. Non parcam ori meo, loquar in tribulatione ſpiritûs mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ: numquid mare ego ſum aut cetus, quia circumdediſti me carcere. 4. 6.
℣. 14. Terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties. 126. 5.
℣. 17. Quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum. 277. 13.
Cap.10. 2. Noli me condemnare. 186. 10.
℣. 17. Inſtauras teſtes tuos contra me. 121. 14.
Cap.11. 19. Requieſces & non erit qui te exterreat. 71. 8.
Cap.14. 14. Expecto donec veniat immutatio mea. 132. 14.
Cap.15. 16. Abominabilis & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem. 80. 4.
℣. 25. Tetendit adversùs Deum manum ſuam, & contra Omnipotentem roboratus eſt. 21. 4.
Cap.17. 2. Et in amaritudinibus moratur oculus meus 186. 10.
Cap.18. 8. Immiſit in rete pedes meos, tenebitur planta illius laqueo. 10. 15. *Item* 177. 16.
℣. 8. Immiſit in rete pedes meos, & in maculis ejus ambulat. 138. 7.
Cap.19. 27. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. 20. 3.
Cap.20. 22. Cùm ſatiatus fuerit arctabitur, æſtuabit, & omnis dolor irruet ſuper eum. 64. 9.
Cap.21. 12. Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi: ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. 74. 12. & 213. 13.

Cap.24. 23. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam. 145. 3.
Cap.26. 13. Obſtetricante manu ejus, eductus eſt coluber tortuoſus. 101. 3.
Cap.27. 5. Donec deficiam non recedam ab innocentia mea. 132. 14.
℣. 6. Juſtificationem meam, quam cœpi, tenere non deſeram, neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. 185. 10.
Cap.28. 22. Numquid ingreſſus es theſauros nivis, aut theſauros grandinis aſpexiſti? 248. 15.
Cap.29. 2. Quis mihi tribuat, ut ſim juxta menſes priſtinos, ſecundùm dies quibus Deus cuſtodiebat me? 246. 12.
Cap 30. 1. Nunc autem derident me juniores. 246. 12.
℣. 7. Et eſſe ſub ſentibus delicias computabant. 79. 2.
℣. 9. Factus ſum eis in proverbium. 246. 12.
℣. 10. Abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conſpuere non verentur, *ibid.*
Cap.31. 12. Omnia eradicans genimina. 13. 7.
Cap.36. 14. Anima eorum in tempeſtate morietur. 71. 7.
Cap 37. 1. Super hoc expavit cor meum, & emotum eſt è loco ſuo. 209. 6.
℣. 18. Cœli ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt. 42. 7.
Cap.38. 15. Auferetur ab impiis lux ſua. 117. 9.
Cap.40. 14. Behemoth ſub umbra dormit. 227. 15.
℣. 16. Sub umbra dormit, in ſecreto calami, in locis humentibus. 71. 8.
℣. 20. Fune ligabis linguam ejus. 200. 11.
Cap 41. 15. Cor ejus indurabatur tamquàm lapis. 40. 3.
℣. 24. Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei 157. 3.
Cap.42. 10. Dominus converſus eſt ad pœnitentiam Job, & addidit omnia, quæ fuerant Job, duplicia. 246. 12.

Pſalmorum.

PSalm.1. ℣. 6. Novit Dominus viam juſtorum & iter impiorum. 167. 19.
℣. 7. Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine. 266. 4.
Pſalm.6. 1. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. 55. 14.
℣. 2. Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum, anima mea turbata eſt valde. *Ibid.*
℣. 7. Lavabo per ſingulas noctes lectum meum. 185. 12.
℣. 7. Lacrymis meis ſtratum meum rigabo. 245. 11.
Pſal.11. 9. Impii in circuitu ambulant. 261. 17.
Pſal.13. 3. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt. 281. 1.
Pſalm.14. 2. Ingreditur ſine macula & operatur juſtitiam. 144 3.
Pſalm.16. 11. Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. 67. 16.
℣. 13. Præveni eum & ſupplanta eum, & eripe animam meam ab impio. 285. 9.
Pſalm 17. 14. Magnus de cœlo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam. 47. 16.
℣. 24. Et ero immaculatus cum eo, & obſervabo me ab iniquitate mea. 294. 20.
℣. 29. Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas. 37. 14.
℣. 33. Poſuit immaculatam viam meam. 244. 8.
℣. 38. Perſequar inimicos meos, & non convertar donec deficiant. 215. 16.
Pſalm.18. 5. In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. 120. 12.
Pſalm.22. 4. Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. 133 16
℣. 5. Calix meus inebrians, quàm præclarus eſt. 225. 12.
Pſalm.23. 1. Domini eſt terra & plenitudo ejus. 269. 7.
Pſalm.24. 8. Dulcis & rectus Dominus. 152. 13.
Pſalm.25. 3. Miſericordia tua ante oculos meos eſt. 239. 19.
Pſalm.27. 19 Cogitabo pro peccato meo. 183 6.
Pſalm.28. 4 Vox Domini in magnificentia. 47. 16.
Pſalm.31. 4. Converſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina. 125. 4.
℣. 5. Delictum meum cognitum tibi feci & injuſtitiam meam non abſcondi. *ibid.* & 164. 15.
℣. 5. Dixi confitebor adversùm me injuſtitiam meam, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. *ibid.* & 93. 10.
℣. 6. In diluvio aquarum multarum. 142. 14.
℣. 10. Multa flagella peccatoris. 123. 2.
Pſalm 33. 6. Accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. 39. 17.
℣. 15. Diverte à malo & fac bonum. 194. 3.
℣. 19. Juxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde. 89. 3.
Pſalm.34. 17. Domine quando reſpicies? reſtitue animam meam à malignitate eorum. 67. 16.
Pſalm.35. 4. Noluit intelligere ut bene ageret. 117. 8.
℣. 5. Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo. 189. 15.
℣. 7. Homines & jumenta ſalvabis Domine. 269. 7.
Pſalm.36. 5. Revela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet. 162. 11.
Pſalm.37. 4. Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum. 124. 4.
℣. 5. Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum. 185. 10.
℣. 19. Cogitabo pro peccato meo. 148. 8.
Pſalm 39. 13. Comprehenderunt me iniquitates meæ: & non potui ut viderem. 36. 11.
Pſalm 41. 4 Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. 45. 11.
Pſalm 44. 9. Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis. 201. 13.
Pſalm.45. 6. Adjuvabit eam Deus mane diluculò. 286. 9.
Pſalm.48. 13. Qui comparatus es jumentis inſipientibus, & ſimilis factus es illis. 158. 4.
℣. 10. Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. 202. 13.
℣. 14. Omnis gloria ejus ab intus, in fimbriis aureis circumdata varietatibus. *ibid.*

℣. 20. Uſque in æternum non videbis lumen. 38. 16.
Pſalm.49. 12 Meus eſt orbis terræ & plenitudo ejus. 268 16.
℣. 17. Tu verò odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorsùm, ſi videbas furem, currebas cum eo. 231. 6.
℣. 21. Exiſtimâſti quod ero tui ſimilis. 231. 6.
℣. 22. Intelligite hæc, qui obliviſcimini Deum: nequando rapiat, & non ſit qui eripiat. 133. 16. & 233. 10.
Pſalm.50. 4. Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. 187. 12.
℣. 5. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. *ibid.* & 115. 5.
℣. 7. In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea 186. 11.
℣. 16. Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ 124. 4.
℣. 19. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum. 160. 6.
Pſalm.51. 10. Sicut oliva fructifera in domo Dei. 293 18
Pſalm 54 16. Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes. 73. 11.
℣. 18 Veſpere & mane & meridie narrabo, & annuntiabo; quia ſcilicet ſalvabit me. 302. 10
Pſalm 56. 5. Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam, & eripuit animam meam. 239. 19.
Pſalm. 61. 11. Nolite ſperare in iniquitate. 21. 4.
Pſalm 68. 3 Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. 186 10.
℣. 24 Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva. 77. 16.
℣. 26. Non me demergat tempeſtas aquæ, neque urgeat ſuper me puteus os ſuum, neque abſorbeat me profundum. 85. 12.
℣. 29 Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur. 265. 4.
Pſalm 70. 16. Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius. 239 19.
Pſalm.72. 9. Poſuerunt in cœlum os ſuum & male locuti ſunt de Deo. 114. 4.
℣. 20 Velut ſomnium ſurgentium Domine, imaginem illorum ad nihilum rediges. 137. 6.
℣. 22. Ad nihilum redactus ſum. 277. 13.
Pſalm.75. 7. Ab increpatione tua Domine, dormitaverunt omnes qui aſcenderunt equos. 130. 12.
Pſalm.76. 19. Illuxerunt corruſcationes tuæ orbi terræ. 118. 19.
Pſalm.77. 61. Tradidit Deus in captivitatem virtutem eorum & pulchritudinem eorum in manus inimici. 12. 5.
Pſalm.79. 14 Exterminavit aper de ſylva & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. 14. 7.
Pſalm. 80. 13 Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum. 131. 13.
Pſalm.81. 5. Neſcierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant, movebuntur omnia fundamenta terræ. 31. 4.
Pſalm. 82. 17. Imple facies eorum ignominiâ. 125. 4.
Pſalm.84. 2. Benedixiſti Domine terram tuam, avertiſti captivitatem Jacob. 281. 1.
℣. 12 Veritas de terra orta eſt. *ibid.*
Pſalm.85. 12. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum. 52. 10. *Item* 305. 17.
℣. 13. Quia miſericordia tua facta eſt ſuper me, eruiſti animam meam ex inferno inferiori. 53 10.
Pſalm.86. 5. Et ipſe fundavit eam Altiſſimus. 287. 11.
Pſalm 87. 10. Traditus ſum, & non egrediebar, oculi mei languerunt præ inopia. 10. 15.
Pſalm. 88 30. Thronus ejus ſicut dies cœli. 295. 2.
℣. 31. Si in judiciis meis non ambulaverunt. 208. 5.
Pſalm.90. 13. Conculcabis leonem & draconem. 214. 14.
Pſalm 91. 3. Ad annuntiandum manè miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. 152. 13
Pſalm 94. 8 9. 10. 11. Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, &c. 47. 16.
℣. 11. Quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. *ibid.*
Pſalm 95. 6. Confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus. 195. 5. *Item* 204. 1.
Pſalm.101. 6 Adhæſit os meum carni meæ, lingua mea adhæſit faucibus meis. 245. 11.
℣. 19. Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum. 89 3.
℣. 20. Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cœlo in terram aſpexit 89. 3.
℣. 21. Ut audiret gemitus compeditorum. *ibidem.*
Pſalm.102. 20. Ad audiendam vocem ſermonum ejus. 47. 16.
Pſalm.103. 5. Qui fundâſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam. 67. 17.
℣. 32. Qui reſpicit terram & facit eam tremere. *ibid.*
Pſalm.104. 5. Corripiet me juſtus in miſericordia. 111. 17.
℣. 37. Eduxit eos cum argento & auro. 246. 12.
℣. 37. Non erat in tribubus eorum infirmus. 295. 2.
Pſalm.106. 14. Sedentes in tenebris & umbra mortis. 117. 8.
℣. 16. Qui contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit. 295. 1.
Pſalm.108. 19. Fiat ei ſicut zona, quâ ſemper præcingitur. 43 8.
Pſalm.109. 4. Ex utero, & ante Luciferum genui te. 263. 1.
Pſalm 115. 11. Omnis homo mendax, 281. 1.
℣. 17. Dirupiſti vincula mea. 169. 1. *Item* 207. 5.
Pſalm. 118. 59. Cogitavi vias meas & converti pedes meos in teſtimonia tua. 115. 5.
℣. 61. Funes peccatorum circumplexi ſunt me. 157. 2.
℣. 99. Super omnes docentes me intellexi. 35. 11.
℣. 113. Iniquos odio habui. 20. 3. *Item* 60. 4.
℣. 118. Spreviſti omnes diſcedentes à judiciis tuis. 208. 5.

℣. 120. Confige timore tuo carnes meas. 20. 3, *Item* 207. 5.
℣. 163. Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum. 20. 3.
Pſalm 123. 5: Torrentem pertranſivit anima noſtra ..... aquam intolerabilem. 151. 12.
Pſalm.128. 3. Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores. 233. 9.
Pſalm.129. 1. De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. 10. 15.
Pſalm.136. 1. Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus: cùm recordaremur tui Sion. 17. 15.
Pſalm.138. 12. Et nox ſicut dies illuminabitur, 37. 13.
Pſalm.139. 4. Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis. 114. 4.
Pſalm.140. 4. Verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. 163. 13.
℣. 10. Cadent in retiaculo ejus peccatores, ſingulariter ſum ego donec tranſeam. 282. 1.
Pſalm.141. 8. Educ de cuſtodia Deus animam meam, &c. 10, 15.
Pſalm.143. 4. Homo vanitati ſimilis factus eſt. 277. 13.
Pſalm. 145. 8. Dominus ſolvit compeditos. 89. 3.
Pſalm.146. 1. Laudate Dominum quoniam bonus eſt pſalmus, Deo noſtro ſit jucunda decoraque laudatio. 244. 9.

Proverbiorum.

CAp.1. ℣.1. Parabolæ Eccleſiaſtæ filii David Regis Iſraël. 271. 8
℣. 10. Fili mi ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis. 63. 2.
℣. 21. Vocavi & renuiſtis, extendi manum meam & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, &c. 140. 12. *Item* 144. 1.
Cap.2. 14. Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis. 21. 4.
Cap 6. 9. Uſquequò piger dormies? quando conſurges è ſomno tuo. 68. 2.
Cap.7. 16. Intexui funibus lectulum meum. 54. 11.
℣. 19. Non eſt vir in domo ſua, abiit viâ longiſſimâ 73. 11.
Cap.8. 22. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum ... ab æterno ordinata ſum 282. 3.
℣. 36. Qui in me peccaverit lædet animam ſuam. 304. 15.
Cap.10. 7. Nomen impiorum putreſcet. 212. 10.
Cap.13. 9. Lucerna impiorum extinguetur. 117. 9.
Cap.18. 3. Impius cùm in profundum venerit, contemnit. 42. 8. *Item* 189. 15. *&* 258. 13.
Cap.19. 15. Pigredo immittit ſoporem. 77. 16.
℣. 29. Parata ſunt deriſoribus judicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus. 123. 2.
Cap.20. 13. Noli diligere ſomnum, ne te egeſtas opprimat. 77. 16.
Cap 23. 3. Ne deſideres de cibis ejus. 62. 7.
Cap.24. 16. Septies cadit juſtus & reſurgit 39. 17. *Item* 244. 10.
℣. 16. Cadit juſtus & reſurgit, impii autem corruunt in malum. 77. 16.
Cap.26. 11. Sicut canis qui revertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens qui iterat ſtultitiam ſuam. 254. 9.
℣. 18. Vir ? qui fraudulenter nocet amico ſuo. 64. 9.
Cap.29. 1. Viro qui corripientem durâ cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus. 87. 17.

Eccleſiaſtæ.

CAp.1. ℣ 1. Verba Eccleſiaſtæ filii David Regis Iſraël. 271. 8.
℣. 12. Ego Eccleſiaſtes fui Rex Iſraël. 49. 4.
Cap.4 12. Funiculus triplex difficilè rumpitur. 146. 4
Cap.8. 11. Quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala. 145. 3. *Item* 231. 5.
℣. 14. Sunt impii, qui ita ſecuri ſunt, quaſi juſtorum facta habeant. 69. 4. *Item* 258. 13.
Cap.9. 8. Omni tempore ſint veſtimenta tua candida. 201. 12.
℣. 12. Neſcit homo finem ſuum. 146. 5.
℣. 18. Qui in uno peccaverit, multa bona perdet. 12. 4. *Item* 19. 1.
Cap.10. 5. *&* 6. Eſt malum quod vidi ſub ſole... poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & divites ſedere deorſum. Vidi ſervos in equis, & Principes ambulantes quaſi ſervos ſuper terram. 252. 4.

Canticorum.

CAp.1. ℣.3. Trahe me poſt te, & curremus 118. 9.
Cap.2. 5. Renuntiate ei, quia amore langueo, 20. 3.
Cap.4. 7. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. 285. 8.
℣. 8. Veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon. *ibid.*
℣ 11. Favus diſtillans labia tua. 19. 9.
Cap.8. 5. Sub arbore malo ſuſcitavi te. 284. 6.
℣. 5. Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto. 243. 8.

Sapientiæ.

CAp.2. ℣.21. Excæcavit illos malitia eorum. 77. 16.
Cap 4 12. Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ, tranſvertit ſenſum ſine malitia. 24. 9.
Cap.10. 10. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas. 261. 17.
℣. 13 Deſcenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum. 90. 4.
Cap.17. 17. Unâ catenâ tenebrarum omnes erant colligati 116. 8.
℣. 17. Unâ catenâ tenebrarum colligati ſunt. 30. 2. *Item* 116. 8.

Cap.19. 16. Percuſſi ſunt autem cæcitate : ſicut illi in foribus juſti , cùm ſubitaneis cooperti eſſent tenebris , unuſquiſque tranſitum oſtii ſui quærebat. 38. 16.

Eccleſiaſtici.

CAp.1. ℣.13. Bene erit in extremis , & in die defunctionis benedicetur. 301. 9.
℣. 15. Perverſi difficilè convertuntur. 82. 6.
Cap 2. 16. De eis qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas. 261. 17.
Cap.3. 27. Cor durum malè habebit in noviſſimo. 45. 14.
Cap.4. 24. Pro anima tua ne confundaris dicere verum. 99. 18.
Cap.5. 5. De propitiato peccato noli eſſe ſine metu. 187. 12.
℣. 8. Non tardes converti ad Dominum & ne differas de die in diem. 138 8
℣. 11. Peccavi , & quid mihi accidit triſte ? 231. 5.
Cap 6. 27. Ne acedieris vinculis ejus. 200. 11.
℣. 28. Ne derelinquas eam , in noviſſimis eorum invenies requiem in ea , & erunt tibi compedes in poteſtatem fortitudinis , & baſes virtutis. 306. 18.
Cap.8. 6. Non deſpicias hominem avertentem ſe à peccato , nec improperes ei ; memento quoniam omnes in corruptione ſumus. 111, 17.
Cap.9. 3. Ne reſpicias ad mulierem multivolam, ne incidas in laqueos illius. 23. 8.
℣. 6. Ne perdas te & hæreditatem tuam. 18. 17.
Cap.10. 31. Fili ſerva animam tuam. 75. 13.
Cap.12. 10. Non credas inimico tuo in æternum , & ſi humiliatus vadat curvus , adjice animum tuum , & cuſtodi te ab illo , & ne ſtatuas illum penes te. 65 12.
Cap.13. 16. Quoniam cum ſubverſione tua ambulas. *ibid.*
Cap.14. 12. Memor eſto quoniam mors non tardat. 73. 11.
Cap.17. 25. In partes vade ſeculi ſancti. 146. 4.
℣. 26. Non demoreris in errore impiorum , ante mortem confitere. 145. 4.
℣. 26. & 27. A mortuo quaſi nihil perit confeſſio , confiteberis vivens , vivus & ſanus confiteberis , & gloriaberis in miſerationibus ipſius. 146. 4.
Cap.22. 2. Et omnis qui tetigerit eum, excutiet manus. 212 10.
Cap.24. 5. Ego ex ore Altiſſimi prodivi, 282. 2.
℣. 7. Ego in altiſſimis habitavi , & thronus meus in columna nubis. 295. 2.
℣. 19. Quaſi oliva ſpecioſa in campis. 293. 18.
℣. 23. Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris. 301. 9.
Cap.26. 25. In duobus contriſtatum eſt cor meum , & in tertio iracundia mihi advenit. 251, 4.
℣. 27. Qui tranſgreditur à juſtitia ad peccatum. 251. 4. *Item* 260. 17.
Cap.29. 24. Repromiſſio nequiſſima multos perdidit. 154. 15.
Cap.30. 4. Mortuus eſt pater , & quaſi non mortuus , ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe. 192. 18.
℣. 24. Fili, miſerere animæ tuæ. 90. 5
Cap.32. 15. Præcurre prior in domum tuam ... & age conceptiones tuas 285. 9.
Cap.34. 4. A mendace quid verum dicetur. 65. 12.
Cap.37. 3. O præſumptio nequiſſima, unde creata es ? 69. 4. *Item* 154 15.
Cap.38. 4. Altiſſimus creavit de terra medicamenta , & vir prudens non abhorrebit illa. 99. 18.
Cap.39. 33. Sunt ſpiritus qui ad vindictam creati ſunt , & in tempore conſummationis effundunt virtutem. 153. 14
Cap.40. 7. Tamquam qui evaſerit in die belli. 145. 3.

Iſaiæ.

CAp.1. ℣ 3. Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. 269. 7.
℣. 25. Convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam. 130. 13.
℣. 31. Erit fortitudo veſtra ut favilla ſtuppæ. 176. 14.
Cap.3. 9. Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt nec abſconderunt 51. 7.
Cap.5. 13 Propterea captivus ductus eſt populus meus , quia non habuit ſcientiam. 115. 5.
℣. 20. Dicunt malum bonum , & bonum malum , ponentes dulce amarum , & amarum dulce. 60. 4.
℣. 21. Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes. 77. 16.
Cap.10. 5. Virga furoris Domini & baculus ipſa ſunt. 133. 16.
Cap 11. 10. O Radix Jeſſe , qui ſtas in ſignum populorum. 272 9.
℣. 11. 12. 13. & 14 Pete tibi ſignum ſive in profundum inferni , ſive in excelſum ſuprà dixit Achaz : non petam , & non tentabo Dominum .... Audite ergò domus David : Numquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus , quia moleſti eſtis & Deo meo ? Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. 272 9.
Cap.19. 4. Tradam Ægyptum in manu Dominorum crudelium , & Rex fortis dominabitur eorum. 1. 2.
Cap.21. 5. Surgite Principes arripite clypeum. 77. 16.
Cap.22. 12. In die illa vocavit Dominus ad fletum planctum & luctum , & ad calvitium & ad cingulum ſacci, & ecce gaudium & lætitia occidere vitulos , & jugulare arietes , comedere carnes, & bibere vinum , comedamus & bibamus cras enim moriemur. 61. 4.
℣. 13. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. 31. 4
Cap.26. 7. Semita juſti recta eſt , rectus callis ad ambulandum. 261. 17.
℣. 9. Anima mea deſideravit te in nocte. 20. 3
Cap.27. 1. Cùm fortis armatus cuſtodit atrium , in pace ſunt omnia quæ poſſidet. 85. 11.
Cap.28. 14. & 15. Propter hoc audite verbum

Domini viri illuſores, dixiſtis enim : percuſſimus ſœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, flagellum inundans cum tranſierit, non veniet ſuper nos, quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus. 147. 6.
Cap. 30. 1. Ut addatis peccatum ſuper peccatum. 261. 17.
℣. 13. Subitò dum non ſperatur veniet contritio ejus. 73. 11.
℣. 18. Expectat Dominus ut miſereatur veſtri. 91. 6. *Item* 96. 14.
Cap. 31. 6. Convertimini ſicut in profundum receſſeratis filii Iſraël. 189. 15.
℣. 14. Sicut pullus Hirundinis ſic clamabo, meditabor ut columba. 167. 20.
Cap. 38. 15. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. 161. 9.
Cap. 40. 1. Conſolamini, conſolamini popule meus. 274. 11.
℣. 3. Parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri. 261. 17.
℣. 10. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur. 274. 11.
Cap. 42. 6. Dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium, ut educeres de concluſione vinctum. 297. 5.
℣. 14. Tacui, ſemper ſilui, patiens fui. 231. 6. *Item* 235. 12.
℣. 14. Loquar & diſſipabo, & abſorbebo ſimul. 235. 12.
Cap. 44. 18. Hæc omnia neſcierunt, neque intellexerunt. 31. 4.
Cap. 45. 8. Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum. 267. 5.
Cap. 46. 2. Anima eorum in captivitatem ibit. 1. 2.
℣. 12. & 13. Audite me duro corde, qui longè eſtis à juſtitia, propè feci juſtitiam meam, non elongabitur, & ſalus mea non morabitur. 41. 6.
Cap. 47. 10. Fiduciam habuiſti in malitia tua, ſapientia tua & ſcientia tua ipſa ſeduxit te. 148. 7.
℣. 11. Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum ejus, veniet ſuper te repente miſeria quam neſcies. 148. 7.
Cap. 49. 24. Tolletur à forti præda. 297. 5.
℣. 25. Captivitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerit, à robuſto ſalvabitur. *ibid.*
Cap. 50. 1. Ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis. 241. 3.
℣. 11. Ambulate in lumine ignis noſtri, & in flammis quas ſuccendiſtis. 3. 3.
℣. 11. De manu mea factum eſt hoc vobis, in doloribus dormietis. 133. 16.
Cap. 51. 20. Dormierunt in capite omnium viarum ſicut oryx illaqueatus, pleni indignatione Domini. 69. 4.
Cap. 52. 2. Recedite recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus. 178. 18.
℣. 2. Solve vincula colli tui captiva filia Sion. 10. 15.
Cap. 53. 2. Vidimus & non erat aſpectus. 274. 10.
℣. 6. Poſuit Deus in eo iniquitatem omnium noſtrûm 81. 4.
Cap. 59. 6. Telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis : opera eorum opera inutilia. 203. 15.
Cap. 61. 1. Ut prædicarem captivis indulgentiam & clauſis apertionem 89. 2.
℣. 1. Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxerit me, ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem, & prædicarem annum placabilem Domino. 1, 1. *Item* 264. 3.

Jeremiæ.

Cap. 1. ℣. 5. Antequam exires de vulva ſanctificavi te, & Prophetam in Gentibus dedi te. 185. 10.
Cap. 2. 12. Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer. 76. 15.
℣. 19. Arguet te malitia tua & averſio increpabit te. 6. 10.
℣. 36. Quàm vilis facta es, iterans vias tuas ! 251. 3.
Cap. 3. 10 Non eſt reverſa prævaricatrix in toto corde ſuo, ſed in mendacio. 188. 13.
℣. 11. Sanctus ſum ego dicit Dominus, & non iraſcar in perpetuum, verumtamen ſcito iniquitatem tuam. 187. 12.
Cap. 4. 1. Si reverteris Iſraël, ad me convertere. 198. 8.
℣. 22. Sapientes ſunt ut faciant mala, bene autem facere neſcierunt. 34. 8.
Cap. 5. 3. Percuſſiſti eos Domine, & non doluerunt, attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam, induraverunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reverti. 129. 11.
℣. 12. Negaverunt Dominum & dixerunt non eſt ipſe. 130. 12. *Item* 133. 16.
Cap. 6. 8. Erudire Jeruſalem, ne fortè recedat anima mea à te. 131. 13.
℣. 28. Crudelis eſt, & non miſerebitur. 64. 9.
℣. 29. & 30 Malitiæ eorum non ſunt conſumptæ. Argentum reprobum vocate eos quia Dominus projecit illos. 131. 13.
Cap. 7. 25. Miſi ad vos omnes ſervos meos Prophetas per diem, conſurgens diluculò & mittens. Et non audierunt me, nec inclinaverunt aurem ſuam, ſed induraverunt cervicem ſuam, & pejus operati ſunt quàm Patres eorum. 42. 6.
Cap. 8. 6. Attendi, & auſcultavi : nemo quod bonum eſt loquitur, nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo dicens : Quid feci ? 33. 8. *Item* 183. 6.
℣. 6. Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium. 183. 6.
℣. 10. A minimo uſque ad maximum omnes avaritiam ſequuntur 281. 1.
Cap. 9. 1. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum ? & plorabo die ac nocte. 185. 10.
℣. 4. Unuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam, quia omnis frater ſupplantans, ſupplantabitur, & omnis amicus fraudulenter incedet. 26, 12.

Cap.12. 11. Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt qui recogitet corde: excæcavit enim eos malitia eorum. 34. 8.
Cap.13. 16. Date Domino Deo veſtro gloriam, antequam contenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos. 152. 14.
Cap.15. 9. Occidit ei ſol cùm adhuc dies eſſet 148. 7.
℣. 18. Factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis. ... quia facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium. 62. 7.
Cap.17. 5. Maledictus homò qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. 21. 4.
Cap.18. 13. Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis Virgo Iſraël. 69. 2.
Cap.22. 30. Scribe virum iſtum ſterilem: hæc dicit Dominus. 14. 11.
Cap.30. 8. Conteret jugum ejus de collo tuo, & vincula ejus diſrumpe 10. 15. *Item* 37. 14.
Cap.31. 19. Poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum, confuſus ſum & erubui. 187. 12.
Cap.50. 24. Illaqueavi te, & captus es Babylon & neſciebas. 78. 17.
Cap.51. 39 Dormient ſomnum ſempiternum, & non expergiſcentur. 73. 10.

Threnorum.

CAp.1. ℣.1. Princeps provinciarum facta eſt ſub tributo. 3. 4.
℣. 5. Parvuli ejus ducti ſunt in captivitatem. 12. 5.
℣. 10. Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus. *ibid. Item* 14. 8.
℣. 11. Vide Domine & conſidera quoniam facta ſum vilis. 6. 10.
℣. 12. Vindemiavit me. 13. 6.
Cap.3. 7. Ut non egrediar, aggravabit compedem meum. 258. 14.
℣. 15. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſynthio. 61. 5.
℣. 53. Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me. 82. 6.
Cap.4. 5. Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. 212. 10.

Baruch.

CAp 3. 38. In terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. 274. 11.

Ezechielis.

CAp.3. ℣.14. Spiritus levavit me & aſſumpſit me. 184. 7.
Cap.16. 42. Auferetur zelus meus à te, nec iraſcar ampliùs. 131. 13.
℣. 61 Recordaberis viarum tuarum & non confunderis. 184. 7.
Cap.17. 15. & 16. Numquid proſperabitur, vel conſequetur ſalutem, qui fecit hæc? Et qui diſſolvit pactum, numquid aufugiet. Vivo ego dicit Dominus .... in medio Babilonis morietur. 255. 9.
Cap.18. 24. Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, omnes juſtitiæ, quas fecerat, non recordabuntur. 13. 6.
Cap.32. 27. Deſcenderunt ad infernum cum armis ſuis. 73. 10.
Cap.33. 12. Filii hominis dic ad domum Iſraël: Vivo ego, dicit Dominus Deus, & nolo mortem impii, ſed ut convertatur & vivat. Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua. 241. 4.
Cap.47. 3. Cùmque egrederetur vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu ſua ... traduxit me per aquam uſque ad talos. 151. 13.
℣. 4. Traduxit me per aquam uſque ad genua. *ibidem.*
℣. 5. Traduxit me per aquam uſque ad renes. *ibidem.*

Danielis.

CAp.2. ℣.4. Vidi ſomnium & mente confuſus ignoro quid viderim. ..... Dic ſomnium ſervis tuis & interpretationem ejus indicabimus. 162. 12.
℣. 5. Niſi indicaveritis mihi ſomnium, peribitis vos. *ibid.*
Cap.4. 31. Senſus meus redditus eſt mihi, & Altiſſimo benedixi, & ad honorem regni mei decoremque perveni, & figura mea reverſa eſt ad me. 243. 7.
℣. 48. Tibi dicitur Nabuchodonoſor Rex, regnum tranſibit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum beſtiis erit habitatio tua, fœnum quaſi bos comedes. 74. 12.
Cap.5. 5. In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ Regis. 45. 15.
℣. 25. Mane, Thecel, Phares. *ibid.*
Cap.7. 4. Prima quaſi leæna, & alas habebat aquilæ, aſpiciebam donec evulſæ ſunt alæ ejus, & ſublata eſt de terra, & ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei. 128. 8.
Cap.13. 9. Declinaverunt oculos ſuos, ne viderent cœlum. 67. 16.

Ozeæ.

CAp.5. ℣.4. Fornicatus eſt Ephraim, contaminatus eſt Iſraël. 52. 9.
℣. 4. Non dabunt cogitationes ſuas, ut revertantur ad Deum ſuum, quia ſpiritus fornicationum in medio eorum. *ibid*
Cap.9. 9. Profundè peccaverunt ſicut in diebus Gabaa. 189. 15.
℣. 16. Radix eorum exſiccata eſt. Fructum nequaquam facient. 14. 7.
Cap.10. 11. Quaſi Ephraim docta diligere trituram, 68. 3.

Cap.13. 9. Perditio tua ex te Iſraël. 209. 6.
℣. 12. Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum ejus. 150. 12.

Joëlis.

CAp.1. ℣.5. Expergiſcimini Ebrii, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore veſtro. 64. 11.
℣. 17. Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo. 212. 10.
Cap.2. 12. Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio & fletu, ſcindite corda veſtra. . . . 241. 4.
℣. 25. & 26. Reddam vobis annos quos comedit locuſta Bruchus & eruca. Fortitudo mea magna quam miſi in vos. 15. 11. *Item* 241. 4.

Amos.

CAp.4. ℣.1. Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ. 132. 15.
℣. 2. Juravit Dominus Deus in ſancto ſuo, quia ecce dies venient ſuper vos, & levabunt vos in contis, & reliquias veſtras in ollis ferventibus *ibid.*
℣. 6. Dedi vobis . . . . . . indigentiam panum in omnibus locis veſtris, eſtis reverſi ad me, dicit Dominus. *ibid.*
℣. 7. Prohibui à vobis imbrem, ita ut terra facta ſit arida. *ibid.*
℣. 9. Percuſſi vos in vento urente, & in aurugine, multitudinem hortorum veſtrorum, & vinearum veſtrarum, oliveta veſtra, & fruteta veſtra comedit eruca. *ibid.*
℣. 10. Miſi vos in mortem, percuſſi in gladio juvenes veſtros . . . . . & aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum in nares veſtras. *ibidem.*
℣. 11. Subverti vos ſicut ſubvertit Deus Sodomam & Gomorram, & facti eſtis quaſi torris raptus ab incendio. *ibid.*
Cap.6. 4. Dormitis in lectis eburneis & laſcivitis in ſtratis veſtris. 69. 4.

Abdiæ.

CAp. unico ℣.5. Si fures introiſſent ad te, ſi latrones per noctem, quomodò conticuiſſes. Nonne furati eſſent ſufficientia tibi. 15, 12.
℣. 12. Non lætaberis ſuper filios Juda in die perditionis eorum: & non magnificabis os tuum in die anguſtiæ. 110. 16.

Ionæ.

CAp.1. ℣.3. Surrexit ut fugeret à facie Domini. 65. 13.
℣. 5. Miſerunt vaſa quæ erant in navi in mare, ut alleviaretur ab eis. 69. 5.
Cap.3. 4. Adhuc quadraginta dies & Ninevé ſubvertetur. 108. 14.

Michææ.

CAp.2. ℣.1. Væ qui cogitatis inutile. 213. 11.
Cap.4. 10. Venies uſque ad Babylonem, & ibi liberaberis. 17. 16.

Habacuc.

CAp. unico ℣. 11. In ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ. 12 4.
℣. 18. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo. 21. 4.

Sophoniæ.

CAp. unico ℣. 17. Ambulabunt ut cæci. 38. 16.

Zachariæ.

CAp.3 ℣ 4. Auferte veſtimenta ſordida ab eo. 201. 12.
Cap.4. 7. Et educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ ejus. 287. 11.
Cap.10. 6 Convertam eos, quia miſerebor eorum, & erunt ſicut fuerunt quando non projeceram eos. 241. 3.
Cap.14. 20. In die illa erunt lebetes in domo Domini, quaſi phialæ coram altari. 244. 9.

Primi Machabæorum.

CAp. 1. ℣. 23. Intravit in ſanctificationem cum ſuperbia, & accepit candelabrum luminis. 32. 6.
Cap.2. 9. Vaſa gloriæ ejus captiva abducta ſunt. 13. 5. *Item* 19. 1.
℣. 62. A verbis viri peccatoris, ne timueritis, quia gloria ejus ſtercus & vermis. Hodie extollitur, & cras non invenietur. 212. 10.
Cap.4. 45. Sed incidit illis conſilium bonum, ut deſtruerent illud. Acceperunt ergò lapides integros ſecundùm legem, & ædificaverunt altare novum ſecundùm illud quod fuit prius. 288. 13.

Secundi Machabæorum.

CAp.1. ℣.20. Non invenerunt ignem ſed aquam craſſam. 247 13.
℣. 22. Accenſus eſt ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. 247. 13.
Cap.9. 12. Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo; & mortalem non paria Deo ſentire. 155. 18.

Cap.11.

Cap.11. 8. Apparuit præcedens eos eques in veſte candida, armis aureis haſtam vibrans. 12. 4.

Matthæi.

CAp.1. ℣. 2. Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Judam & fratres ejus: Judas autem genuit Phares & Saram de Thamar, &c. Jeſſe autem genuit David Regem, David autem Rex genuit Salomonem. Salomon genuit Roboam, &c. 27. 15.

℣. 20. Nomen ejus Emmanuel: quod eſt interpretatum nobiſcum Deus. 274. 11.

Cap.4. 6. Si Filius Dei es mitte te deorſum. 25. 11.

℣. 19. Faciam vos fieri piſcatores hominum. 105. 8.

Cap.5. 25. Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris, amen dico tibi non exies inde donec reddas noviſſimum quadrantem. 131. 14.

Cap.6. 21. Ubi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum. 277. 13.

Cap.7. 13. Lata porta & ſpatioſa via quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. 212. 11.

℣. 14 Anguſta porta & arcta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam. *Ibidem.*

Cap.8. 20. Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. 270. 7.

℣. 25. Domine ſalva nos, perimus. 28. 16.

℣. 26. Tunc ſurgens imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas. *Ibid.*

℣. 30. Clamaverunt dæmones, dicentes quid nobis & tibi Jeſu Fili Dei veniſti huc ante tempus torquere nos? ſi ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui ſunt in aquis. 5. 9.

Cap.10. 28. Qui poteſt corpus & animam mittere in gehennam. 21. 4.

℣. 16. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. 201. 12.

℣. 34. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem adverſùs patrem ſuum, & filiam adverſùs matrem ſuam. 303. 13.

Cap.11. 2. Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. 28. 16.

Cap.12. 32. Si quis peccaverit in Spiritum ſanctum, non remittetur ei. 235. 13.

℣. 36. Dico autem vobis quoniam omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. 213. 11.

℣. 44. Revertar in domum meam unde exivi, & veniens, invenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam, tunc vadens aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & intrantes iterum habitant ibi, & facta ſunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. 192. 19.

Cap.16. 19 Tibi dabo claves regni cœlorum. 8. 11. *Item* 94. 11.

℣. 26. Quid enim prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? 209. 6.

Cap.18. 18. Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. 157. 3.

℣. 21. & 22. Domine quoties in me peccabit frater meus & dimittam ei? uſque ſepties? Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties. 55. 13.

℣. 32. Serve nequam omne debitum dimiſi tibi quoniam rogaſti me, nonne ergò oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus Dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum. 111. 16.

Cap.21. 2. Ite in caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam & pullum cum ea, ſolvite & adducite mihi 158 4. *Item* 180. 3.

℣. 7. Diſcipuli impoſuerunt ſuper eum veſtimenta ſua. 181. 3.

℣. 31. Publicani & meretrices præcedent eos in regnum Dei. 97. 15.

Cap.24 39. Et non cognoverunt, donec venit diluvium & tulit omnes. 73 11.

Cap.25. 26. Serve male & piger ſciebas quia meto ubi non ſemino, & congrego ubi non ſparſi: oportuit ergò te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura. 194. 4.

Cap.26, 21. Unus veſtrûm me traditurus eſt. 126. 6 *Item* 248. 14.

℣. 21. Amen amen dico vobis: quia unus veſtrûm me traditurus eſt. 6. 10.

℣. 22. Cœperunt ſinguli dicere numquid ego ſum Domine? *Ibid.*

℣. 23. Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet. *Ibid.*

℣. 24. Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo iſte. 186. 11.

℣. 40. Sic non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum? Vigilate & orate. 70. 7.

℣. 42. Si Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de Cruce, & credimus ei. 268. 5.

℣. 43 Invenit eos dormientes erant enim oculi eorum gravati. *Ibid*

℣. 45. Dormite jam & requieſcite. 71. 7.

℣. 58. Sequebatur eum à longè 198. 8.

℣. 75. Recordatus eſt Petrus verbi Jeſu quod dixerat. 180. 3

℣. 76. Et egreſſus foras flevit amarè. 172. 7.

Cap.27. 3. Pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos Principibus ſacerdotum, & ſenioribus, dicens: Peccavi tradens ſanguinem juſtum. 108. 11.

℣. 4. Quid ad nos? tu videris. 106. 11. *Item* 126. 6.

℣. 5. Abiens laqueo ſe ſuſpendit. *Ibidem.*

℣. 5. Videns Judas quod damnatus eſſet Jeſus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, dicens: Peccavi tradens ſanguinem juſtum 126. 6. *Item* 167. 19.

℣. 34. Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum,

mixtum, quod cum guſtaſſet noluit bibere. 199. 9.

℣. 51. & 52. Petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt. 43. 10.

Cap.28. 19. Diſcipuli ejus noctu venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus. 219. 5.

Marci.

CAp.1. ℣.31. Accedens elevavit, & apprehenſâ manu ejus, & continuò dimiſit eam febris, & miniſtrabat eis. 199 10.

Cap.2. 7. Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus. 157. 3

Cap.5. 42. Surrexit puella & ambulabat. 200. 10.

Cap.6. 45. Statim coëgit diſcipulos aſcendere in navim. 58 18.

Cap 9. 16. Magiſter attuli Filium meum ad te, habentem ſpiritum mutum. 87. 14.

Cap.11. 4 Invenerunt pullum ligatum ante Januam foris in bivio. 158. 4.

Cap.13. 33. Videte, vigilate & orate, neſcitis enim quando tempus ſit. 77. 16.

℣. 37. Quod autem dico vobis, omnibus dico: Vigilate. 78. 17.

Cap 15. 46. Joſeph autem mercatus ſindonem, deponens eum, involvit ſindone. 290 16.

Cap.16. 3 Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti. 219. 5.

℣. 4 Et reſpicientes viderunt revolutum lapidem. *Ibid.*

Lucæ.

CAp.1. ℣.15. Spiritu ſancto replebitur adhuc in utero matris ſuæ. 186. 14.

℣ 28. Ave gratiâ plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. 294 1.

℣. 31. Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum hic enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. *Ibid.*

℣. 38. Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum. *Ibid.*

℣. 49. Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. 287. 10.

℣. 78. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri. 237. 16.

Cap.2. 1. 2. 3. 4 5. 6. & 7. Exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis. Hæc deſcriptio prima, facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino: & ibant omnes ut profiterentur ſinguli, in ſuam civitatem. Aſcendit autem & Joſeph à Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem .... ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante. Factum eſt autem, cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies ut pareret; Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio, quia non erat eis locus in diverſorio. 265. 4.

℣. 10. Evangelizo vobis gaudium magnum. 271. 9.

℣. 11. Quia natus eſt hodie Salvator, 272. 9.

℣. 12. Et hoc vobis ſignum: invenietis infantem pannis involutum. *Ibid.*

℣. 29. Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. 296. 3.

Cap 4. 18. Spiritus Domini ſuper me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem. 1. 1.

℣. 29. Duxerunt eum uſque ad ſupercilium montis, ut præcipitarent eum. 25. 11.

Cap.5. 24. Tibi dico ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. 135. 3.

℣. 25. Confeſtim conſurgens tulit lectum in quo jacebat, & abiit in domum ſuam, magnificans Deum. *Ibid.*

Cap.7. 15. Acceſſit & tetigit loculum. 137. 7.

℣. 15. Adoleſcens tibi dico ſurge, ... reſedit qui erat mortuus & cœpit loqui. 135. 5.

℣. 37. Stans retrò ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus. 196. 6.

℣. 38. Mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, lacrymis cœpit rigare pedes ejus. 115. 6.

℣. 50. Remittuntur ei peccata multa. 196. 5.

Cap.8 28 & 29. Quid mihi & tibi eſt Jeſu Fili Dei altiſſimi? Obſecro te ne me torqueas. 5. 8.

℣. 30. Interrogavit autem illum Jeſus, dicens: Quod tibi nomen eſt? At ille dixit: Legio: quia intraverant dæmonia multa in eum. *Ibid.*

℣. 31. Rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyſſum irent. 88. 16.

Cap.11. 14. Erat Jeſus ejiciens dæmonium & illud erat mutum. 85 11.

Cap.12. 19. Anima mea comede epulare, habes multa bona in annos plurimos. 73. 11.

℣. 20. Stulte hac nocte animam tuam repetent à te. *Ibid.*

℣. 22. Univerſa ejus arma auferet. 11. 3.

℣. 24. Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem & non inveniens, dicit: revertar in domum meam unde exivi. 259. 15.

℣. 40. Quâ horâ non putatis Filius hominis veniet. 146. 5.

℣. 45. Moram facit Dominus meus venire. 73. 11.

℣. 45. Cœpit percutere ſervos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari, aperire armaria, cellamque vinariam ut epularetur cum ebrioſis. *Ibid.*

Cap.13. 11. Erat mulier quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata nec omninò poterat ſursùm reſpicere. 67. 16.

Cap.14. 18. Et cœperunt omnes excuſare, primus dixit ei villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam, rogo habe me excuſatum. 54. 12.

℣. 19. Juga boum emi quinque, & eo probare illa. *Ibid.*

℣. 20. Uxorem duxi, & ideò non poſſum venire. *Ibid.*

Cap.15. 7. Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat. 276. 12.

℣. 8. Congratulamini mihi quia inveni drachmam quam perdideram 243. 7.

℣. 13. Diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè. 50. 5.

℣. 17. In

℣. 17. In ſe reverſus ait : ſurgam & ibo ad patrem meum. 115. 5.
℣. 18. Surgam & ibo ad patrem. 157. 2.
℣. 19. Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus. 242. 6.
℣. 20. Cecidit ſuper collum ejus. 226. 14.
Cap 17. 10. Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſervi inutiles ſumus. 190. 15.
Cap. 18. 41. Quid tibi vis faciam? ..... Domine ut videam. 117. 8.
Cap. 19. 8. Et ſi quid aliquem defraudavi reddo quadruplum. 154 16.
℣. 33. Solventibus illis pullum dixerunt Domini ejus ad illos, cui ſolvitis pullum? 158 4.
℣. 41. Videns civitatem flevit ſuper illam. 253. 7.
℣. 42. Si Cognoviſſes & tu. 116. 6.
Cap. 21. 7. Tunicâ ſuccinxit ſe, & miſit ſe in mare, cæteri verò navigio venerunt. 248. 14.
℣. 15. Simon Joannis diligis me plus his? *Ibid.*
Cap. 22. 42. Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. 225. 12.
℣. 43. Factus in agonia prolixiùs orabat. *Ibid.*
℣. 44. Sicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. 236. 15.
℣. 58. Non novi illum 116. 7.
℣. 61. Et converſus Dominus reſpexit Petrum. *Ibidem.*
℣. 62. Et egreſſus foras Petrus flevit amarè. *Ibidem.*
℣. 63. Et viri qui tenebant illum ..... velaverunt eum. *Ibidem.*
Cap. 23. 34. Pater dimitte illis quia neſciunt quid faciunt. 93. 9.
℣. 42. Domine memento mei. *Ibidem.*
Cap. 24 50. *&* 51. Elevatis manibus benedixit eis. Et factum eſt dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum. 297. 5.

Ioannis.

Cap. 1. ℣. 11. In propria venit, & ſui eum non receperunt. 270. 7.
℣. 14. Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. 263. 1. *Item* 274. 11.
℣. 29. Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi. 102. 3.
Cap. 2. 15. Cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque & boves, & nummulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit, dicens his qui columbas vendebant : auferte iſta hinc 171. 4
Cap 3. 3. Amen amen dico vobis, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. 292. 17.
℣. 8. Spiritus ubi vult ſpirat. 47. 16.
℣. 19. Hoc eſt autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magìs tenebras quàm lucem 116. 8
Cap. 4. 6. Erat ibi fons Jacob Jeſus ergò fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem. 224. 11. *Item* 270. 8
Cap. 5. 8. Tolle grabatum tuum & ambula : & ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit grabatum ſuum & ambulabat. 135. 4.
℣. 8. Tolle grabatum tuum. 107. 11.
℣. 14. Ecce ſanus factus es, noli peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat. 252. 5.
Cap 6. 52. Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi. 266. 5.
Cap 7. 7. Ego Teſtimonium perhibeo de illo quia opera ejus mala ſunt. 65. 11.
Cap 8. 32. Et cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. 2. 3.
℣. 33. Semen Abrahæ ſumus & nemini ſervivimus umquam, quomodò tu dicis liberi eritis? *Ibidem.*
℣. 34. Reſpondit eis Jeſus : Amen amen dico vobis : quia omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. *Ibidem.*
Cap 9 4. Venit nox in qua nemo operari poterit 153. 13.
℣. 34. In peccatis natus es totus. 185. 10.
Cap. 10. 9. Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet 228. 16.
Cap. 11. 34 Ubi poſuiſtis eum? 43. 9.
℣. 38. Erat autem ſpelunca *Ibidem.*
℣. 43. Lazare veni foras. *Ibidem.*
℣. 43. Et voce magnâ clamavit Lazare veni foras. 137. 7. *Item* 159. 5.
℣. 44. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata, dixit illis Jeſus : ſolvite eum & ſinite abire. *Ibidem*
℣. 44. Solvite eum & ſinite abire. 111. 16.
Cap. 12. 46. Ego lux veni in mundum ut omnis qui credit in me in tenebris non maneat. 117. 8.
Cap 13. 18. Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum ſuum. 36 12.
℣. 24. Erat autem recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu Jeſu, quem diligebat Jeſus. Innuit ergò huic Simon Petrus, & dixit ei : Quis eſt de quo dicit. 248. 14.
℣. 30. Cùm accepiſſet buccellam continuò exivit, erat autem nox. *Ibidem.*
Cap. 14. 6. Ego ſum via veritas & vita. 228. 16.
℣. 27. Non turbetur cor veſtrum neque formidet. *Ibidem.*
Cap. 15. 5. Sine me nihil poteſtis facere. 177. 16.
Cap. 16. 24. Petite & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum. 143. 15.
Cap 18. 3. Et cùm accepiſſet cohortem & à Pontificibus & Phariſæis miniſtros, venit illuc cum laternis & facibus & armis. 126. 6.
℣. 17. Dixit ergò Petro ancilla oſtiaria, 58. 18.
Cap. 20 22. Inſufflavit & dixit accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. 102. 4. *Item* 159. 6
℣. 23. Quorum retinueritis retenta ſunt. *Ibid.*
℣. 27. Infer digitum tuum huc, & noli eſſe incredulus ſed fidelis. 106. 9.
Cap. 21. 7. Tunicâ ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare, alii autem diſcipuli navigio venerunt. 182. 5.

Actorum.

Cap. 2. ℣. 2. Factus eſt repentè de cœlo ſonus, tamquam advenientis ſpiritûs vehementis. 105. 8.
Cap. 5. 14. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu conſilii. 20. 3.
Cap. 7. 51. Durâ cervice, & incircumciſis cordibus,

dibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut patres veſtri, ita & vos. 42. 7. *Item* 186. 11.

℣. 54. Diſſecabantur cordibus ſuis. 42. 7.

Cap. 9. 4. Saule Saule quid me perſequeris? 208. 5.

Cap. 10. 13. Surge Petre occide & manduca. 103. 7.

℣. 14. Abſit Domine, quia numquam manducavi omne commune & immundum. *Ibidem.*

℣. 15. Et vox iterum ſecundò ad eum: quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. *Ibidem.*

℣. 16. Hoc autem factum eſt per ter: & ſtatim receptum eſt vas in cœlum. *Ibidem.*

Cap. 12. 3. Videns quia placeret Judæis, appoſuit ut apprehenderet & Petrum, quem cùm apprehendiſſet miſit in carcerem. 1. 1.

℣. 4. Tradens quatuor quaternionibus militum ad cuſtodiendum. 19.

℣. 5. Petrus quidem ſervabatur in carcere. 11.

℣. 5. Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo 89. 2. *Item* 229. 2.

℣. 5. Petrus ſervabatur in carcere, vinctus catenis duabus. 29. 39 *&* 48.

℣. 6. Vinctus catenis duabus inter duos milites. 59.

℣. 6. Cùm autem producturus eum eſſet Herodes ipsâ nocte erat Petrus dormiens, inter duos milites, vinctus catenis duabus, &c. 8. 12. *Item* 68.

℣. 6. Cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem. 281. 2.

℣. 7. Et ecce Angelus Domini aſtitit. 88. *Item* 100.

℣. 7. Lumen refulſit in habitaculo. 112.

℣. 7. Percuſſoque latere Petri excitavit eum. 122. *Item* 123. 2.

℣. 7. Excitavit eum dicens: Surge. 134.

℣. 7. Surge velociter. 136. 6. *Item* 144.

℣. 7. Ceciderunt catenæ de manibus ejus. 156. *Item* 294.

℣. 8. Calcea te caligas tuas. 169.

℣. 8. Circumda tibi veſtimentum tuum. 136. 6. *Item* 179.

℣. 8. Sequere me, & exiens ſequebatur eum. 136. 6. *Item* 193.

℣. 9. Neſciebat quia verum eſt quod fiebat per Angelum, exiſtimabat autem ſe viſum videre. 203. 16.

℣. 10. Tranſeuntes primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream. 204.

℣. 10. Venerunt ad portam ferream, quæ ultrò aperta eſt eis. 216.

℣. 10. Et exeuntes proceſſerunt vicum unum, & continuò diſceſſit Angelus ab eo. 229. 2.

℣. 11. Petrus ad ſe reverſus dixit: Nunc ſcio verè, quia miſit Deus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis. 240.

℣. 12. Conſideranſque venit ad domum Mariæ, matris Joannis. 250. *Item* 251. 2. *&* 302. 11.

Cap. 13. 10. O plene omni dolo, & omni fallaciâ, fili diaboli, inimice omnis juſtitiæ, non deſinis ſubvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns ſolem uſque ad tempus. Et confeſtim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circuiens quærebat, qui ei manum daret 38. 17.

Cap. 16. 6. Vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia. 120. 12.

Ad Romanos.

CAp. 2. ℣. 4. Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. 96. 14.

Cap. 6. 6. Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & non ultrà ſerviamus peccato. 26. 13.

℣. 12. Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis veſtris. 50. 4.

℣. 17. Servi peccati. 15. 11.

℣. 19. Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ, ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ. 188. 14.

Cap. 7. 8. Occaſione autem acceptâ peccatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. 176. 14.

℣. 14. *&* 15. Ego autem carnalis ſum, venumdatus ſub peccato, quod enim operor non intelligo, non enim quod volo hoc ago, ſed quod odi, illud facio. 23. 7.

℣. 18. Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio. 56. 11. *Item* 83. 8.

℣. 19. Non enim quod volo bonum hoc facio, ſed quod odi malum hoc ago. *Ibidem.*

℣. 23. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. 210. 7.

℣. 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Ibidem.*

Cap. 8. 1. Nihil nunc damnationis eſt in iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu. 191. 18.

℣. 8. Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. 57. 16.

℣. 12. Fratres debitores ſumus, non carni, ut ſecundùm carnem vivamus. 210. 7.

℣. 16. Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro quod ſumus filii Dei. 242. 5.

Cap. 13. 11. Jam hora eſt nos de ſomno ſurgere. 137. 6.

℣. 12. Induamur arma lucis. 11. 3.

℣. 14. Induimini Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis. 201. 12.

Primæ ad Corinthios.

CAp. 2. ℣. 14. Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritûs Dei, ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere. 67. 16.

Cap. 3. 16. Neſcitis quia templum Dei ſanctum eſtis. 171. 4.

Cap. 4. 4. Nihil mihi conſcius ſum, 190. 15.

Cap. 9. 26. Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo. 209. 6.

℣. 27. Ne cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. *Ibidem.*

Cap. 15. 10. Non ego, ſed gratia Dei mecum.

Omnia

Omnia poſſum in eo qui me confortat. 222. 8.
Cap.15. 34. Evigilate juſti, & nolite peccare. 77. 16.

Secundæ ad Corinthios.

CAp.4. ℣. 10. Semper mortificationem Jeſu, in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu ſemper manifeſtetur in corporibus noſtris. 207. 4.
Cap.5. 2. Superindui cupientes. 201. 12.
℣. 3. Si tamen veſtiti & non nudi inveniamur. 203. 15.
℣. 20. Pro Chriſto legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos obſecramus pro Chriſto reconciliamini Deo. 90. 6.
Cap.6. 2. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Hortamur ergò vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 265. 3.
Cap 7. 10. Triſtitia quæ mortem operatur. 21. 4.
℣. 10. Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. 20. 3.
Cap.8. 9. Scitis gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti. 275. 12.
Cap.11. 21. In quo quis audet, audeo & ego. 20. 3.

Ad Galatas.

CAp.1. ℣.6. Miror quod tam citò transferimini ab eo: qui vos vocavit in gratiam Chriſti. 254. 8.
Cap 4. 31. Non ſumus ancillæ filii ſed liberæ. 59. 19.
Cap.5. 1. State & nolite iterum jugo ſervitutis contineri. 262. 21.
℣ 17. Caro concupiſcit adversùs ſpiritum. 58. 19.
℣. 19. Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, Impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia. 59. 19.
℣. 24. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. 191. 18 *Item* 206. 4. *&* 213. 13.
Cap.6. 1. Fratres ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum. 111. 17.
℣. 14. Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. 211. 9.

Ad Epheſios.

CAp.1. ℣ 16. Non ceſſo, gratias agens pro vobis memoriam veſtri faciens in orationibus meis: ut Deus, Domini noſtri Jeſu Chriſti pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis, in agnitione ejus. 39. 17.
Cap.2. 3. Eramus naturâ filii iræ, ſicut & cæteri. 281. 1.
℣. 13. Vos qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in Sanguine Chriſti. 265. 3.
Cap.4. 8. Aſcendens Chriſtus in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. 12. 3. *Item* 297. 5.
Cap.6. 11. Induite vos armaturam Dei. 228. 16.
℣. 17. Indui loricam juſtitiæ. Sumentes ſcutum fidei .... galeam ſalutis, & gladium ſpiritûs. 12. 3. *Item* 13. 7.

Ad Philippenſes.

CAp.2. ℣.6. Cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. 264 2.
℣. 21. Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti. 281. 1.
Cap.3. 7. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta, verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam. 211. 10.
℣. 12. Sequor autem ſi quomodò comprehendam. 204. 1.
℣. 19. Quorum Deus venter eſt. 122. 16.
Cap.4. 4. Gaudete in Domino ſemper. 21. 4.

Primæ ad Theſſalonicenſes.

CAp.5. ℣.3. Cùm dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus. 70. 5.

Primæ ad Timotheum.

CAp.1. ℣.2. Timotheo dilecto filio in fide, gratia, miſericordia, & pax à Deo. 107. 12.

Secundæ ad Timotheum.

CAp.1. ℣. 2. Timotheo chariſſimo filio, gratia, miſericordia & pax. 107. 12.
Cap.2. 26. Reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem. 5. 8.

Ad Titum.

CAp.2. ℣.11. Apparuit gratia Salvatoris noſtri Dei omnibus hominibus. 264. 3.

Ad Hebræos.

CAp.5. ℣.6. Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. 288. 13.

℣. 7. Cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia. 43. 10.
Cap.6. 4. Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte & participes facti ſunt Spiritûs ſancti, guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſeculi venturi & prolapſi ſunt rurſus renovari ad pœnitentiam. 55. 13. *Item* 262. 20.
Cap.9. 28. Apparebit expectantibus ſe in ſalutem. 78. 17.
Cap.10. 28. Irritam quis faciens legem Moyſi ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moriatur, quantò putamus deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit. 121. 14
Cap.11. 31. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, & quid adhuc dicam? 53. 11.
℣. 33. Per fidem vicerunt regna operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum. *Ibidem.*
℣. 36. Alii verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres. 4. 6. *Item* 98 17.
Cap.12. 1. Deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum per patientiam curramus, ad propoſitum nobis certamen. 24. 10.
℣. 2. Aſpicientes in Authorem Fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit Crucem, confuſione contemptâ. 98. 17.
℣. 16 Ne quis fornicator aut profanus ut Eſau, qui propter unam eſcam vendidit primogenita ſua; ſcitote enim quoniam & poſtea cupiens hæreditare benedictionem reprobatus eſt, non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam. 232. 8.
℣. 17 Non invenit pœnitentiæ locum, quamvis cum lacrymis inquiſiſſet eam. 168. 21.

Secundæ Petri.

CAp.1. ℣.19. Ut Lucifer oriatur in cordibus veſtris. 39. 17.
Cap.2 19. A quo enim quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt. 2. 3. *Item* 150 4.
℣. 22. Canis reverſus ad vomitum ſuum; & ſus lota in volutabro luti. 254 8.
Cap.3 14. Satagite immaculati & inviolati ei inveniri in pace. 293. 20.

Epiſtolæ Iacobi.

CAp 4 ℣.7. Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. 153. 15.

Epiſtolæ primæ Ioannis.

CAp. 2. ℣ 15. Nolite diligere mundum. 65. 12.

Epiſtolæ ſecundæ Ioannis.

CAp.unico ℣.8. Videte voſmetipſos ne perdatis, quæ operati eſtis, ſed ut mercedem plenam recipiatis. 18. 17.

Epiſtolæ Iudæ.

CAp.1. ℣.4. Homines impii ..... Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam. 186.11.
Cap.2. 13. Quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum. 37. 13.

Apocalypſeos.

CAp. 1. ℣. 18. Habeo claves mortis & inferni. 8. 11. *Item* 295. 1.
Cap.2. 10 Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini, & habebitis tribulationem. 4. 6.
℣. 12. Hæc dicit qui habet romphæam utrâque parte acutam, ſcio ubi habitas, ubi ſedes eſt ſatanæ. 95 13
℣. 21. Dedi illi tempus ut pœnitentiam agat, & non vult pœnitere. 70. 6.
Cap.3. 12. Qui vicerit, faciam illum columnam in regno Dei. 296. 2.
℣. 17. Dives ſum & locupletatus, & nullius egeo; & neſcis quia miſer es, & pauper, & nudus. 15. 11.
℣. 20. Ecce ſto ad oſtium & pulſo. 116. 7.
Cap.5. 5. Ecce vicit leo de tribu Juda .... aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus. 226. 14
℣. 6. Vidi & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum Agnum ſtantem tamquam occiſum, *Ibidem.*
℣ 7. Et venit & accepit de dextera ſedentis in throno librum. *Ibidem.*
℣. 8. Et cùm aperuiſſet librum, quatuor animalia; & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram Agno. *Ibidem.*
Cap.12. 1. Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta ſole. 277. 13.
Cap.13. 10. Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet. 299. 7.
Cap.16. 15. Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet. 203 15.
Cap.17. 3. Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem, & mulier erat circumdata purpurâ & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo & margaritis. 61. 5.
Cap 18. 2 Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritûs immundi. 3. 4
℣. 21. Suſtulit unus Angelus fortis lapidem quaſi molarem magnum, & miſit in mare dicens: hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultrò non invenietur. 261. 18.
Cap.21. 8. Timidis & incredulis & execratis, pars illorum in ſtagno ardenti, igne & ſulphure. 255. 9.

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM

HUIUS ADVENTUS,

In quo prima cyfra paginam, ſecunda verò cujuſque Sermonis numerum marginalem demonſtrat.

A.

AAron non benè culpam adorationis vituli conjecit in populum. 156, 16

Abjectio Chriſti quanta fuerit, & quo fine ſuſcepta. 270, 8

Abner dormiens, dum Saulem cuſtodire deberet, malè ſecuræ conſcientiæ typus eſt. 72, 9

Abraham de terra & cognatione fugiens, occaſionem peccati docet vitandam. 173, 8

Abſalom Ammonem invitans ad convivium, ut ibi occidat, mundi fallacias exhibet & ipſe incitatus ad coronam ſuſpenſus ad quercum, mundi luſus factus eſt. 63, 8

Abſolutio Sacerdotis, peccatorum vincula diſſolvit. 157, 2. Illius dignitas commendatur. 157, 3. Ejus figuræ adferuntur 158, 4. & 159, 5. Fructus ipſius enumerantur 160, 5. Negatio illius non reddit pœnitentem pejorem. 160, 6

Abſtinentia præſentiſſimum adversùs luxuriam remedium. 206, 3

Acedia vitanda. 199, 9

Achan ſerò culpam agnoſcens, differentium confeſſionem figura eſt. 149, 10

Achaz diffidens Deo, noluit ſignum ab ipſo petere. 272, 9

Accuſatio in confeſſione, debet eſſe ſui non alterius. 164, 15

Adam nudus nuditatem peccatoris oſtendit. 15, 11

Adami cęcitas poſt lapſum oſtenditur. 35, 10

Adjutorium Dei neceſſarium ad pœnitentiam ſalutarem. 113, 3

Admonitio Dei multiplex 126, 5. Eam non audiens projicitur. 131, 13

Adventus Chriſti ut captivos à ſervitute peccati redimat. 91, 6. & 264, 2. ac 294, 1.

Adverſitatibus homo ad Deum reducitur. 128, 8. & 9

Adverſarius peccatorum in bonum duplex, conſcientia & virga Dei. 131, 14. Huic adverſario citò parendum. *Ibid.*

Affectus terreni eruendi ſunt. 279, 14

Afflictio populi Deum movet. 89, 4

Altare pollutum à Gentibus etiamſi repararetur, cederet in opprobrium Dei. 288. 11

Amman acceſſum Eſtheris impediens ad Regem, figura eſt diaboli acceſſum impedientis ad Mariam 303, 12, 13 Amman è patibulo à ſe, Mardocheo parato pendens, & Architophel proprio laqueo interemptus, mundi deceptoris fabulæ ſunt. 63, 8

Amans periculum peccati, peccat. 176, 14

Amantes, ſui obliviſcuntur. 271, 8

Amaſa inconſideratorum exemplum. 147, 5

Ambitio facit hominem ſervum & quàm miſerum. 2, 3

Ambulantes in tenebris Deus ſæpè percutit amentiâ & cæcitate. 38, 16

Amiſſio Paradiſi minùs curatur quàm partis terræ. 16. 14

Amor ſui malorum principium. 20, 4. Amor extaſim facit. 273, 8

Ancilla oſtiaria Petri, figura carnis eſt, quæ omni vitio portam aperit 58. & 59, 19

Angeli boni & mali hominibus adſunt 88, 16. Angelum ſequi eſt converti ad pœnitentiam, & exercere virtutes. 194, 2. Angeli cuſtodia reddidit

ſecurum. 216, 1. Spem in Deo collocantibus aſſiſtunt. 220, 5

Animæ peccatricis ſervitus, figuratur in devaſtatione Jeroſolymæ. 3, 4. Animæ perditio minùs ploratur quã unius civitatis ruina. 16, 14. Animæ fideli currendum eſt ad gratiam Dei. 118, 9

Anima minùs quàm fortunæ bona incerto eventui exponenda. 76, 16. Anima pulchra dicitur ratione imaginis, & captiva ratione criminis. 181, 4. Anima hominis à Chriſto, à carne, mundo, & diabolo ſollicitatur. 279, 15

Animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt, & quare. 67, 18

Animus ad fortia exſtimular. 218, 4

Antiochi confeſſio infructuoſa in fine vitæ terrere deberet, pœnitentiam in illud tempus differentes. 155, 18

Antiochus primò candelabrum luminis accepit, & tunc profanavit, & ſpoliavit templum Jeroſolymitanũ ex integro, ſic & dæmon practicat cum templis Dei viventibus. 32, 5

Apprehenſiones duritiæ in exercitio virtutum, per ſpem in Deum temperandæ. 220, 5

Aqua, ab initio fuit perfecta, & quare. 291. & 292. 17

Arca teſtamenti figura Mariæ. 309, 16

Arcta via ad patriam tenenda. 212, 11

Arma captivorum auferuntur à judice. 11, 2. Illa à peccatoribus dæmon rapit. *Ibidem*. Spiritualia deſcribuntur. *Ibidem*

Aſiatici propter cordis duritiam lumine prædicationis privati ſunt. 120, 12

Aſpectus laſcivi & curioſi vitandi 175, 12. & 178, 18.

Aſpidi ſurdæ aures obturanti induratus peccator ſimilis factus eſt. 42, 7

Avaritia hominem in ſervitutem redigit & in qualem. 2, 3. Inſtar ſtercoris reputanda ſunt quæ concupiſcit. 212, 10

Avari pedes tardi ſunt ad cœleſtia *Ibidem*, Breviſſimè pereunt, quæ diu appetit. *Ibidem*.

Audacia peccatorum in Juda corripitur. 6, 10. Audacia contra Deum belligerat timetque nihil. 21, 4

Averſio pœnitentiam execratur. 21, 4

S. Auguſtinus infirmitatis humanæ voluntatis teſtimonium dedit. 223, 10. S. Auguſtinus pravæ conſuetudinis nocumentum expertus. 83, 8. A confeſſione aperta commendatur. 97, 16

Auxilii divini ſubtractio peccatorem in carcere diaboli tenet. 83, 7

Auxilium Dei neceſſarium ad pœnitentiam ſalutarem. 113, 3. Auxilium Dei ad omne opus bonum requiritur. 113, 3

Azotii, ſemel iterumque collapſum Dagon reſtituentes, & denuò adorantes, ſtultitiam eorum figurant, qui à mundo ſæpè deluſi adhuc illi credunt. 64, 11

B.

IN Babyloniam abducit peccatorem diabolus, hoc eſt in vitam confuſione plenam. 30, 3

Balthaſar Rex ſuo infauſtiſſimo exemplo docet, induratum, nec in ipſa morte præmonita pœnitere. 45, 15

Benedictio cœleſtis virtutum odore impetratur. 201, 14

Benedicere ex parte Dei eſt benefacere creaturis. 297, 5

Beneficium non cognoſcere, non æſtimare, & illi non correſpondere diverſa ſunt. 96, 14

Benignitare Dei ad damnationem abutuntur obſtinati. 96, 14

Beſtiæ venatorum retibus illapſæ laborant ut exeant, & minùs agunt qui in diaboli retiacula cadunt peccatores. 69, 4

Bibere iniquitatem ſicut aquam quid ſit. 80, 4

Bona reorum addicuntur fiſco. 11, 2. Bona ſpiritualia à ſuis captivis, dæmon aufert. 12, 4. Bona opera exercenda ad vitam æternam. 194, 3. Bona temporalia malè à pluribus amantur. 212, 10. Præferuntur virtutibus, & rebus æternis. 218, 3

Bonitas Divina erga peccatores 90, 4. *& ſeq.* & 232, 7. Bonitas Dei erga peccatores multis fit peccandi occaſio, quæ debuerat eſſe pœnitendi. Ejus magnitudo in Nativitate Salvatoris

toris patuit 272, 9. Illâ abuti peccatum 231,7. *& ſeq.* graviſſimum 235, 13. Contemptus ejus lac miſericordiæ in ſanguinem juſtitiæ convertit, & pro venia facit cruorem Salvatoris contemptûs vindictam. 236, 14. 15. 16.
Bonorum temporalium jactura nulla eſt reſpectu ſpiritualis *Ibid.* 5. Ea ut ſtercora reputanda 211, 20. *& ſeqq.* Bonorum temporalium amiſſio magis lugetur quàm ſpiritualiû 15.12
Bruta minùs ſuſtinent diaboli obſeſſionem corporalem quàm peccatores quos poſſidet ſecundùm animam. 5, 8, & 9

C

CÆcitas mentis plaga maxima, in tenebris Ægyptiis figuratur. 33,7. Cæcitas mentis omni corporali deterior. 77,16. Duplex eſt. 116,8
Cæcus ſpiritualis corporali miſerior, & quare. 32,5. Cæcus populus, & ſimul oculos habens, quis ſit. 34, 9
Cain Abelem ad deambulationem invitans, ut eum trucidet, vera mundi inſidiatoris figura eſt. 63, 8
Calceamenta de pedibus ſolvenda terrenos affectus exuendos indicant. 279, 14
Capaces abſolutionis quinam ſint. 117,11
Captivitas Jacob figurat ſervitutem peccati. 281, 1
Captivati à dæmone, minùs curat homo, quàm à tyranno. 9.13
Captivi à dæmone tenentur ad ipſius voluntatem. 5, 8 Captivi Principis terreni, magis pro ſua liberatione ſoliciti, quàm peccator. 142, 14. Captivi exarmantur. 11, 2. Captivi Principis ſententiâ mortis corporalis imminente, dormire nequeunt; & captivus ſatanæ qui debet omni horâ ſententiam mortis æternæ pertimeſcere, in ſomnum cadet? 68, 2. Capta fera inceſſanter laborat ut expedire ſe poſſit à filis venatorum, & homo captus à dæmone non meditatur effugium. 69, 4
Captivus diaboli ligatur in anima. 22, 5. Captivus diaboli odit diligendos, & odiendos diligit. 25, 10. Captivus diaboli non videt quæ ſpectant ad cœleſtia. 33, 8. Captivus ad mortem damnatus, lautè tractatur, ne occidi apprehendat, ita & cum ſuis agit mundus. 62,7. Captivus fugâ illapſus, ſi iterum in manus cadat, multis vinculis aggravatur, ita & qui in peccata relabitur. 258,14
Carcer ſatanæ malorum peſſimum. 4, 5. Carcere nihil durius. *Ibid.* Carcer animæ horribiliſſimus. 5, 8
Caro ubi dominatur, ſpiritu ancillante, perverſa domus eſt. 58.19. Caro ab intra cuſtodit peccatorem pro dæmone, mundus ab extra 48.2.& 204,1. Sub hoc milite nemo placere Deo poteſt. In omnibus ſuo captivo abblanditur, ſed doloſè, & ut perdat 49,3 Non fugit nec fugatur ab ullo *Ibid.* Illi plus fidit ſatan quam ſibi *Ibid.* De Rege facit mancipium, ut in Salomone patuit. 49, 4. Regnat in mortali corpore & virtutes convertit in vitia. 50,4. Diſſipat ſubſtantiam, id eſt intellectum hominis. 50, 5, & 6. Impetu ſuos regit, non ratione. 51,6. Quærit ſocios ſceleris & exultat in rebus peſſimis *Ibid.* 7. Peccatum ſuum prædicat quaſi Sodoma. 51,7. & 8. Cunctam cogitationem hominis intentam facit ad malum. 51. 8. Et illum etiam in gemitu ſuo laborare cogit, quidquid hoc ſit. 56,14. Hieronymis & Paulis non parcit. 56, 14, & 15. Ac Sanctiſſimos dejecit. 58, 17
Carnales affectus extinguendi antequàm ad S. Sinaxim accedamus. 167,5
Carnem habere, & in carne eſſe, duo ſunt longè diverſa 57.16. Hanc durè tractavit Job, ne ab illa malè tractaretur. 58, 17. Illi bellum indicendum. 204,1.& crucifigenda eſt. 206, 3. Etiam Sanctiſſimi illam debent pertimeſcere. 58, 18. Ejuſque occaſiones fugere. *Ibidem*
Carni, claves domûs noſtræ, tradendæ non ſunt. 58.19. Ne vel ſemel carni obtemperandum. 110. 8
Caſtigatio, amoris divini ſignum. 131, 18. Ubi

W. Ubi ceſſat, peccatoribus damnatio proxima eſt. 131. 13. Caſtigatio corporis ad perſeverandum in bono neceſſaria. 208, 5
Catenas Chriſti ligneas mundanus conterat, ut perfeçat ferreas. 66, 14
Catenæ Petri, excæcationem & indurationem peccatoris figurant. 29, 2
Certum tenendum, præ incerto 150, 13
Ceſſatio à bono opere juſtitiæ Chriſtianæ adverſatur. 194, 3. Habitus bonos corrumpit. 196, 5. Et Spiritum ſanctum expellit. 195, 5
Charitas tam erga Deum, quàm proximum exhibenda à converſis. 199, 10 Per aurum figuratur. 202, 13. Charitas proximo in neceſſitate exhibenda. 111, 16
Chriſti Adventus, ut peccatores à dæmonis ſervitute redimat. 1. 1 Ejus Sanguis ſuper obſtinatos in damnationem effuſus è Cruce lignea. 238, 17. Chriſti fletus ſuper Jeruſalem planctum figurat ſuper peccatorem, illius actio noſtra eſt inſtructio. 268, 6. Matrem ſuam præſervativè redemit. 286, 9
Chriſtiana vita perpetua pœnitentia eſt. 191, 17, & 18
Chriſtum quiſlibet ſequi debet per imitationem. 197, 7. Idque non à longè. 198. 8. Pro nobis Sanguinem effudit in ſignum amoris. 267, 5. Quare de Cruce non deſcenderit, tam benè quam de cœlo. 268, 5
Chriſtus ſolus habet claves inferni. 8, 10, & 11. Chriſtus à corde repellitur, dum vitiis locus paratur. 270, 7. Illius abjectio ſuſcepta in terris, ut nos elevaret in cœlis, & ut mundi gloriam damnaret 270, 8. Præ amore ſalutis noſtræ, ſui quaſi oblitus fuit. 271, 8. Deitatem occultavit, ut appareret homo. *Ibidem*. Datus eſt nobis, & merita ejus communicata ſunt nobis. 280, 15. Animam noſtram ſolicitat, datamq; reficiet. *ibidem*. Angelis gratiam dedit ne caderent, itemque Matri ſuæ. 287, 10. Chriſtus, ut Sindonem non mundatam ſed novam, ita immaculatam Virginem elegit in qua requieſceret. 290, 16
Circuitus in quo ambulant impii per molam Sampſonis figuratus. 24. 9
Claves à Chriſto Sacerdotibus datæ, ut peccatorem de carcere educant. 91, 6. 94, 11. Claves cœli commiſſæ Petro, & ſucceſſoribus. 94. 11
Cognitio peccati ad jugem dolorem excitat. 187. 12. Cognitio ſui ad converſionem inducit. 115, 5. & 6
Columba ramum olivæ ad Noë deferens, figura eſt Spiritûs S. æterno Patri Filium offerens Mariæ. 293, 18
Columna nubis figura Mariæ. 295, 2
Colloquia obſcæna vitanda. 175, 12
Comminationes Dei pertimeſcendæ. 147, 6
Communionis, digna præparatio recenſetur. 269, 5
Compaſſio Dei ad peccatorem major, quàm peccatoris ad ſeipſum. 90, 5. & 6.
Conatus ad virtutes adhibendi 218. 16
Conceptio immaculata D. Virg. eſt opus totius SS. Trinitatis. 281, 1. Fuit intellectualis alia, corporalis alia 282, 2. Secundùm primam, ex ore Altiſſimi prodivit, ante omnem creaturam. *ibidem*. Qualiter hoc factum ſit. 283, 3. Secundùm alteram non ex concupiſcentia, ſed ex mandato Dei producta eſt, à Joachimo & Anna jam ſenibus. 283. 4
Concionatorum eſt potiùs in peccatores inſurgere, quàm Confeſſariorum. 105. 8 & 9
Concupiſcentia peccatum dicitur, & quare. 23, 7. Concupiſcentia mulieri multivolæ aſſimulatur. *ibidem*. 8. Perpetuâ mortificatione frænanda. 208, 5. Concupiſcentia excæcat, & qualiter. 24. 9
Confeſſarii conditio fragilis, pœnitentem animare debet ad confeſſionem 97, 15. & 103. 6. Confeſſarii debito rigidiores animas incarceratas tenent. 100, 1 & 2. Sæpè in cauſa ſunt quòd committantur ſacrilegia. 101, 3. Phariſæis aſſimilantur. 106, 11. Confeſſarii munus propriè eſt ad miſericordiam. 100, 1. & 159. 6. Et ideo per dationem Spiritûs ſancti eis

eis poteſtas conceditur. 102. 5. Et piſcatoribus aſſimilantur. 105, 7. Aliqua ineptè à pœnitentibus interdum exigunt. 107, 11. Poteſtas eorum peccata ſolvendi incomparabilis. 157. 3
Confeſſio dilata ſecurum reddit dæmonem de capta præda. 85, 11. Illam maximè impedire conatur. 86. 11. Confeſſio carcerem aperit. *Ibid.* Dæmones cruciat. 87, 14. Confeſſionis erubeſcentia diabolica. 85, 15. Confeſſio aperta veniam operatur. 91, 8. Eſt ad ſalutem. 91, 6. Confeſſionis Sacramentalis differentia ab ea, quæ fit in terreno judicio. 92, 7. Confeſſio à ſigillo & utilitate commendabilis. 99, 17. Non differenda, 145, 4. In fine vitæ periculoſa & difficillima, 148, 8. Imò rarò fructuoſa. 149, 10. Confeſſio debet eſſe integra. 157, 2. Confeſſio recidivorum ſuſpecta 156, 11. Et ſæpè ſimilis confeſſioni ſatanæ. 159, 12. Confeſſio ad dignam Verbi ſuſceptionem præparat. 166, 5. Confeſſio debet eſſe clara & diſtincta quoad numerum, ſpeciem, & circumſtantias notabiliter aggravantes 161, 10. Debet etiam eſſe integra. 166, 19. Et doloroſa. 167, 20 Horum defectu magis coinquinat peccatorem. 169, 22. Sine illa non liberatur peccator, 181, 3. Confeſſio mundi. 66, 15
Confiteri peccatum honorificum eſt. 97, 15 Et meliùs quàm in æternum confundi. 98, 16
Corona triplex oblata ſponſæ, triplicem Mariæ præſervationem oſtendit. 283, 8
Conſcientiæ remorſus, ad excitandum peccatorem à Deo immittitur, 123, 3
Conſcientiam tripliciter tangit Deus. 135, 5
Conſuetudinarii peccatorum pondere non amplius premuntur, & quare 8, 14. Imò illos peccata delectant. *ibid.* 5. Ac in cathedra peſtilentiæ ſedent, à qua difficulter extrahuntur. 82, 6. Et auxilia ſua ſpecialia iis Deus ſubtrahit. 83, 7. Fiunt ſimiles aviculæ incluſæ, aut certè filo alligatæ. 84, 10
Conſuetudo peccandi hominem in carcere dæmonis ſervat. 80, 1. & 3. Quamdam neceſſitatem inducit. 89. 7. Illius nocumentum expertus eſt S. Auguſtinus. *ibid.* 8. Conatus meliores impedit & recidivam cauſat. 84. 9. Aſſimilatque peccatorem cani ligato. *ibid* 10. Conſuetudo bona fiduciam auget. 153, 15. Et bonum generat habitum. 214, 14
Conſideratio propriæ fragilitatis ad miſericordiam inducit. 110, 16
Conſortia prava vitanda. 170, 3. & 172, 7
Contemptus venialium ad mortale inducit. 77, 16
Converſionis veræ indicium eſt dolor de peccatis continuus. 184. 7
Converſio malè differtur, nec valet aliquorum pœnitentia ſera, 76, 14. & 15.
Cor durum quid ſit ex Bern. 40, 3.
Corvus in cadavere priùs oculos petit, intellectum verò diabolus in peccatore, 30. 3
Cuſtodes diaboli ſunt peccandi conſuetudo, & dilatio confeſſionis. 80, 2

D.

Dalila Sampſonem Philiſthæis tradens, in exemplum eſt proditionis mundi. 65, 12
David de ſe glorioſiùs triumphavit quàm de Goliath. 27, 15. Uni paſſioni ipſe ceſſit, quantò magis peccator cedet pluribus? 29, 1. Apertæ & integræ confeſſionis exemplum dedit. 164, 15. Etiam timoris Domini. 208, 5. Nihilominus in actu pœnitendi ſenſit titillationes carnis. 56, 14. Confitens peccatum abſolvitur 93, 9. Egit cum Uria ut mundus cum ſuis, honorem exhibens & mactans. 62, 7. Ejus lapſus probat hoſtes internos externis pejores eſſe. 25, 10. Et cæcitas ipſius poſt peccatū oſtenditur. 35, 11. Ejus confeſſio extollitur, 97, 16. Et modus judicandi aliter de-

de alienis quã propriis improbatur. 109,15. Ipſius miſericordia cum Saule minor eſt miſericordiâ Dei. 232,7. Pœnitentia ejus exponitur, quæ illum in priſtinum ſtatum reſtituit. 245, 11. Et ſollicitudo ut à peccatis ſolveretur, extollitur. 10, 15
Dæmon peccatori ad malum faces accendit. ad bonum offuſcat, ut in Juda patuit. 37, 14
Dæmones in morte omnium inſenſiliſſimi. 153, 14
Delectatio in peccatis ſenſim inducitur. 81, 5
Denarium Deo ſolvit, qui decem ſervat præcepta. 265, 4
Deſcriptio mundi in Nativitate Domini adſcriptionem electorum in æternitate figurabat. 265, 4.
Deiparæ conceptioni immaculatæ tota SS.ma Trinitas allaboravit. 181, 1. *& ſeqq.* Exponitur qualiter ipſa ex ore Altiſſimi prodierit ante omnem aliam creaturam 293, 3. Etiamſi immediatè poſt conceptionem liberata fuiſſet ab originali non ſatis evitaretur opprobrium Chriſti. 28.13
Deſideria corrumpunt homines. 20,4
Deſperatio peſſima. 21, 4.
Deus remunerat omnia. 18, 17. Peccatorum vincula diſrumpit. 89,3. Nobis per incarnationem ſimilis factus eſt, ut ſimilitudinem Dei reformaret in nobis, & ut omnes liberaret à ſervitute dæmonis. 266,4 & 276, 12. Totaliter quaſi in alterum per Nativitatem immutatus eſt. 273,12. In ſtabulo voluit naſci, ut de ſtercore vitiorum erigeret pauperẽ. 269,7. Quaſi unus ex nobis factus eſt. 127. 12. In diverſorio locum non habuit, ut tu illum præparares ei in corde. *Ibid.* Drachmam perditam in Nativitate ſua invenit. 276, 12. Deus in rubo, Chriſtus eſt in humanitate. 294, 2. Peccatores illuminat. 114,4 Sic aliquorum miſeretur, ut tamen alios juſtiſſimè damnet. 151, 13
Diaboli carcer omne malum. 4, 6. Illius exprobratio quam Chriſto ejuſque Matri facere poſſet, ſi maculatè fuiſſet concepta, adducitur. 289, 13. Ejus cuſtodes ſunt ante oſtium carceris, qui confeſſionem impediunt. 88, 1. Illius voluntas, ad quam captivi ejus tenentur, eſt ſtatim perdere & præcipitare. 5,8
Diabolus peccatores pejùs tractat, quàm quos tantùm corporaliter obſidet. 5, 8. Et ad res turpiſſimas cogit ſua mancipia. 11. 1. Jubilat in ruina peccatoris. 13, 7. Captivum ſuum excæcat & indurat. 30,2. Sub ſpecie bonorum peccatori mortem parat. 68,1. Dormit in ſomnolento peccatore. 71, 8. Et dormientes opprimit, 72.9. Verecundiam peccandi auferens. pro ea reddit verecundiam confitendi. 87, 15. Ubique ſuum infernum ſecum trahit. 88,16. Maximè patitur à confitentibus. *Ibid.* Inſuperabilem difficultatem in præcepto, & res majores fingit quàm ſint. 218, 3. Nititur impedire acceſſum hominis ad Mariam, & Mariæ ad Filium 302, 12
Differentibus pœnitentiam repentinus ſupervenıet interitus. 78, 17. & 137. 6. *& ſeq.*
Differens pœnitentiam propter miſericordiam Dei, illâ abutitur. 229, 2. Et Saüle pejor effectus eſt. 231, 7. Nec graditur ſine proximo damnationis periculo. 234, 11
Difficultas in præcepto malè apprehenditur. 217, 12
Diffidentes Deo ejuſque adjutorio, Achaz ſimiles ſunt. 272, 9. Nihilominùs ipſis miſericordiæ ſignum Deus in Nativitate ſua exhibuit. *Ibid.*
Dignatio bonitatis divinæ erga Peccatores oſtenditur. 90, 4
Dilatio abſolutionis non reddit pœnitentem pejorem. 160, 6. Dilatio confeſſionis hominem cuſtodit in carcere diaboli. 80, 2. periculoſa eſt, 137, 7. *& ſeqq.* Item inexcuſabilis. 138. 8. Et dæmones lætificat. 143, 15
Diogeni, Tiberium Cæſarem à ſe repellenti, peccator ſimilis. 139, 12
Diſmas crimen Pilato confitens damnatur, confitens Chriſto abſolvitur, ut confeſſionis diverſitas manifeſtetur. 93. 9
Divinæ derelictionis ſignum peſſimum eſt

eſt, ſecuritas in peccatore. 70, 5
Dolor verus de peccatis in gravi infirmitate difficilis. 150, 12. & ſeq. Continuari debet, aut ſaltem renovari ſæpiùs, ut converſio recens ſit ſtabilis. 182, 5. & ſeq.
Dominus in ſibilo apparens, lenitatem docet Confeſſarios 101, 4. Et ideò etiam hominem liberaturus venit ut agnus. 102, 4
Dormire eſt ſalutis remedia reſpuere. 69, 3. Petrus id facere in carcere ſuo potuit, ſed diaboli captivus in illo dormire non poteſt. 68, 2. Dormientes in diaboli carcere minùs timent æternam mortem, quàm alii terrenam. Ibid. Dormire in mortali, eſt præſumptio nequiſſima. 69, 4. Id minus faciendum quàm in periculo naufragii & tempeſtate. 70, 5
Drachma perdita & inventa, imaginem & ſimilitudinem Dei ſignificat, & priora merita per pœnitentiam recuperata. 243, 7
Dulcedo ſpiritualis animæ, Deum amanti, ſuavior eſt, quàm quævis altera: ſed à carnalibus non guſtatur. 223. 10

E.

EBrio ſimilis eſt, qui mundi amaritudinem non ſentit. 64, 11
Ebrii vocantur, qui non ſentiunt Dei verbera ad emendationem. 130. 11
Elati & ſuperbi ad percuſſiones Dei non evigilant. 130. 12
Elementa mundi carnalis ſunt vitia capitalia. 175, 12
Ephraim & Iſraël exemplo ſuo probant fornicarios non cogitare de reditu ad Deum 52, 9. Ephraim tri-turam diligens, mundi carniſque amatores figurat. 68, 1
S. Ephrem eremita vidit peccatores à diabolo captivos duci. 2, 2
Error impiorum eſt dilatio pœnitentiæ. 145. 4
Erubeſcendum de peccati commiſſione, non de confeſſione. 97, 15. & 98, 16.
Eſau non bene pœnituit, defectu doloris, de peccatis. 168, 21. Ex nimia præſumptione de paterno affectu perditus, figura eſt peccatorum malè præſumentium de miſericordia Dei. 232, 8
Evæ reſponſum occaſionem vitandam docet. 175, 14
Examen conſcientiæ in infirmitate mortali valde difficile. 150, 12. Ad Sacramentum pœnitentiæ requiritur. 160, 8. Debet eſſe diligens. 161, 9
Excæcat diabolus peccatores, ne viam veritatis agnoſcant. 30, 3
Excæcatio & induratio duæ peccatorum catenæ ſunt. 29, 2
Excæcationem induratio ſequitur. 39, 2
Excæcatus peccator nihil timet. 30, 3. Quaſi neceſſariò legem tranſgreditur. 31, 4. Et ita convertitur ad ſuum curſum, ſicut equus impetu ad prælium, & inde omne malum. 34, 8
Excuſationes peccatorum & pallia in confeſſione damnantur. 163, 13
Exempla ſunt ſemina futurorũ. 124, 3
Exitus filiorum de Ægypto, figura eſt peccatoris à dæmonis ſervitute liberati. 174, 11
Exprobratio ſatanæ adversùs Chriſti ejuſque Matris gloriam, in caſu maculatæ conceptionis, adducitur. 289, 13
Extaſis quid ſit 273, 10. Faciem immutat. Ibid.
Ezechiæ converſio vera, quia cum dolore de peccato præterito conjuncta. 167, 20

F.

FAber ferrarius ab Iſraëlitis ablatus, contritio eſt ablata de corde peccatoris. 12. 4
Facem ſuperni luminis peccatori Deus præfert. 114, 4
Fallaciarum mundi figuræ & exempla adferuntur. 62, 6. & 7. & 63, 8
Farina ollam Prophetarum dulcificans gratiam Dei oſtendit. 221, 8
Faſtidium boni operis peſſimum. 199, 9
Fera capta magìs ſolicita pro libertate, quàm captivus ſatanæ. 69, 4
Feſtivitas Dei eſt, in qua ſalus hominis promovetur. 275, 12. & ſeq.
Fidei potentia cùm in aliis, tùm maximè

mè in converſione Rahab ab Apoſtolo commendatur. 53,& 54, 11
Fiducia inordinata eſt,quâ quis differt pœnitere propter bonitatem Dei. 233. 10.Nimia multos perdit. 148, 7.
Filii ſervorum ſunt ſervi. 14, 10
Filius lucis in Baptiſmate factus, fit filius tenebrarum peccando. 34, 9
Finis hominis incertus. 146,5
Flagella Dei non curans cane pejor. 129, 10. Et petra inſenſibilior. 129, 11. Ea immittit Deus ad correctionem. 127,7
Fletus ſuper Jeruſalem myſticè fletum ſignificat ſuper peccatorem. 16, 13
Fœdus cum morte percutere,eſt mala audacter perpetrare. 147, 6
Fomes peccati lex dicitur, & unde. 210, 7
Fortior eſt qui ſe vincit, quàm mœnia. 27, 15
Fornicarius non dat cogitationem ſuam ut revertatur ad Deum. 52, 9
Fratrum quoque gratia rara. 26,12
Fuga in hieme vel Sabbato, eſt fuga peccati tarda, & ſera. 38,16
Fugam hanc differentibus tam denſæ ſæpè fiunt tenebræ, ut nequidem poſtea conſcientiæ oſtium cum Sodomitis reperire valeant. 38, 16
Fundamentum ædificio conveniens fuit immaculata Virgo reſpectu ſacratiſſimi Templi Salvatoris ſui. 287, 11. Illud fundavit Altiſſimus, non vetus Adam. *Ibid. & ſeqq.*
Fur non omnia bona aufert ſicut diabolus. 14,12

G.

GLadio & lanceâ ſpoliabantur Hebræi, peccator armis ſpiritualibus omnibus. 22,4
Gloria victoriæ Deo attribuenda. 205, 2. Gloria mundi vana. 212,10
Grando infeſta fructibus & peccata lapſis. 13,6
Gratia Dei neceſſaria eſt, ut quis de peccato ſurgat. 10, 15. & 113,3. ac 150, 12. *& ſeqq.* In quocumque conſiſtat velocem poſtulat aſſenſum. 118, 9. Illi reſiſtere periculoſiſſimum. 119, 10. & 139, 11. Requiritur ad omne bonum. 177, 16. Sine illa, concupiſcentia non eſt ſuperabilis. 210, 7. Facilem reddit viam virtutis. 217, 2. *& ſeqq.* Omnia dulcificat. 221,7. *& ſeqq.* Eâ amiſſâ homo fit cæcus & ſurdus. 32, 5. Illi reſiſtens injurioſus eſt ſanguini Salvatoris. 121, 14. Datur conantibus. 135, 4. Specialem Deus conſuetudinariis ſæpè ſubtrahit. 83, 7. Item converſionem differentibus. 140, 12. Quid operetur in juſtis. 246, 12. Aquam craſſam peccatorum in charitatis ignem convertit. 247, 13. Conſervanda eſt in finem vitæ 262, 21. Gratia Salvatoris maximè apparuit in Incarnatione. 264, 3. Illam in vacuum recipit, qui de ſomno peccatorum non ſurgit. 265, 3
Gravitas peccati continuum dolorem exigit. 187, 12. Proprii criminis non ita apprehenditur quàm alieni. 110, 15. & 16

H.

HAbitus boni non tantùm per vitia oppoſita, ſed & per ceſſationem à bono, perduntur. 196, 5. Pravi ſenſim tantùm expelluntur. 183, 6
Hæreditas cœleſtis per peccatum amiſſa, pœnitentibus reſtituitur. 242, 6
Hamo deliciarum mundi capiuntur homines. 64, 10
Hebræi, monita Dei ſpernentes, exemplum ſunt hominum malè præſumentium. 147, 6. Ditiores egreſſi de Ægypto figurant ſtatum pœnitêtis, à ſervitute dæmonis liberati. 246. 12. Ægyptum verò repetentes, peccatores adumbrant, qui ad peccandi occaſiones revertuntur. 251,3
Heli non potens videre lucernam Dei antequàm extingueretur, excæcatorum & induratorum figura eſt. 38,15
Hieronymus inter omnes pœnitentias ſuas à carnis incentivis non fuit immunis. 56,14
Homines boni umbra Dei, mali verò umbra diaboli ſunt. 227,15
Hominis vilitas & abjectiô oſtenditur. 277, 13. Ipſius medium eſt cor illius. 52, 9. Æſtimatur à Deo, ac ſi eſſet ipſius theſaurus. *Ibid.* Ejus

natura ad Divinitatem ſublimata in Verbo, nobilem vitam exigit. 277, 13
Homo inſenſibilior ad amiſſionem bonorum ſpiritualium, quàm temporalium. 15, 12
Hora mortis incerta. 146. 5
Humilitas ad dignam Verbi ſuſceptionem præparat. 267, 5. Hanc in ſua Nativitate Salvator docuit. *Ibid.*
Humilibus & vigilantibus Nativitas Salvatoris annuntiatur. 272, 9

I.

JAcob, ut Simeonē liberet è carcere, munera mittit ad Joſeph, ita & peccator mittat ad Deum. 10, 16. Jacob & Eſau in utero ſimul exultantes, in egreſſu verò ſupplantantes invicem, figura ſunt mundi fallaciter peccatorem decipientis. 60, 3. Jacob idola ſepeliens, mali occaſionem docet auferendam. 173, 9
Jactura bonorum ſpiritualium lugetur minùs quàm temporalium. 16, 12
Jaël Siſaram lactans ad mortem, fallacis mundi figura eſt. 62, 6
Ichabòd inglorius, & quare. 14, 9
Idumæa impœnitens ad comminationem totalis ruinæ, imago eſt peccatoris. 15, 12
Jechonias quare vir ſterilis. 14, 11
Jerechuntini ad clangorem tubarum Sacerdotalium non converſi, culpâ ſuâ perierunt. 95, 12
Jeremias veri pœnitentis exemplum. 185, 10. & 187, 12
Jeroboam ad Prophetæ verba non compunctus, ubi tamen altare ſcindebatur, cor peccatoris lapide durius commonſtrat. 41, 5. In fine vix ſperandam ſeriam converſionem idem docet. 148, 9
Jeroſolymorum devaſtatio myſticè peccatricem animam figurat. 3, 4
Jezabel in lectum miſſa, ut in peccatis obdormiat, extremæ derelictionis Dei exemplum, & malè ſecuri peccatoris figura eſt. 79, 6
Ignorantiæ peccatorum deſcribuntur. 31, 4
Illuminatio divina peccatorem ad pœnitentiam adducit. 115, 6. & 116, 7. Eam impediens Judæis ſimilis, eſt. 116, 7
Imaginem Dei in ſe exhibet, qui vitam ducit Immaculatam. 165, 4. Per peccatum deturpatur, & per pœnitentiam reſtituitur. 243, 7
Immaculata Conceptio B. V. à tota SS.^ma^ Trinitate procurata 281, 1. Adumbratur in Iſraëlitarum tranſitu per mare rubrum. 284. 5 Et probatur ex verbis ſponſi ad ſponſam in Canticis. 284, 6. Confirmaturque ex maxima convenientia à ſimili. 285, 7. *& ſeqq.*
Immaculatus quilibet eſſe debet in exitu de hac vita, licèt talis non fuerit in ingreſſu. 293, 10
Impavidi ad Dei comminationes Hebræis ſimiles. 147, 6
Impii ſecuritas mortis æternæ prodroma. 258, 13
Impœnitentia malum ſignum. 184, 8. *& ſeqq.*
Impœnitentes perdit Altiſſimus. 142, 14
Impoſſibilia naturæ fiunt poſſibilia per gratiam, imò facilia. 219, 5
Impoſſibilitas ad Deum redeundi poſt peccata non abſolutè, ſed propter difficultatem dicitur. 55, 13
Impunitatis gratiam priorem ad mala conſuetudinem detorquentes non liberantur amplius in foro fori, & multi recidivi in hoc ipſis ſimiles ſunt quoad forum poli. 257, 12
Incarcerati quotidie mortis tormenta ſuſtinent. 4, 6
Incarnatio Salvatoris ima ſummis ſociavit. 263, 1. Et Dei miſericordiam ad hominem manifeſtavit. 264, 3. Etiam in carne noſtra exhiberi debet per mutationem vitæ in melius. 279, 13. Sine Virginis conſenſu quare perfecta non fit. 294. 1. Illi ingrati ſunt, qui vitiis potiùs quàm Deo locum parant in corde. 280, 7. Per hanc Deus totaliter quaſi in alterum mutatus eſt. 278, 10. Eſt omni prodigio ſuperior. 274, 11
Incendium domûs magis curatur quàm animæ. 75, 13
Incertitudo mortis pertimeſcenda. 74, 12. Ideoque vigilandum. 78, 17. & 146, 5. *& ſeqq.* Incertitudo vitæ de-

deberet peccatores expergefacere. 63, 2. Incertitudo temporis & gratiæ ſubitò nos docet de ſomno ſurgere. 119, 10. & 11. & 144, 1. *& ſeqq.*
Incertitudo pœnitentiæ in fine vitæ. 154, 16. *& ſeqq.*
Incuria peccatorum damnabilis. 69, 4
Induere Chriſtum, eſt imitari ejus virtutes. 101, 12
Indurat diabolus peccatores & excæcat. 30, 2
Induratio eſt quaſi apoplexia incurabilis totius animæ. 41, & 42, 6
Induratum cor quid ſit & quot vitiis infectum. 40, 3
Induratus contemnit omnia. 42. 8. Curat nihil. 40, 2. Et jacula divina repercutit in ipſum Deum. *Ibid.* Re nullâ movetur. 48, 1. Ac vix umquam verè reſurgit. *Ibid.* & 9. Lumineque externo qualicumque & ipsâ mortis ſententiâ non flectitur. 45, & 46, 15. Ad percuſſiones Dei eſt cane pejor. 129, 10. A Deo abjicitur. 131, 13. Illum ad pœnitentiam movere eſt inſtar miraculi. 44. 10
Infernus inferior luxurioſorum eſt. 53. 10
Infirmi ex multis cauſis inidonei redduntur ad debitè pœnitendum & confitendum. 148, 8. *& ſeqq.*
Infirmitates & adverſa fortuna ad emendationem vitæ immittuntur. 118, 8
Ingratitudo exhæredationem meretur. 242. 5. Tollit debitum naturæ. *Ibid.* Saüli ſimiles efficit. 252, 5
Inimico uti non fidendum, ita nec mundo. 65, 12.
Iniquitas facit ut homo videre non poſſit. 36, 11. Hanc ſicut aquam bibit, qui peccare non timet. 80, 4
Innocentia faciliùs ſervanda, quàm recuperanda. 191, 18
Inopinata aliorum mors cautos deberet reddere viventes. 75, 13
Inſenſatus eſt peccator pluſquam beſtiæ. 9, 13
Inſenſibilia magis Deo obediunt quàm homines. 28, 16
Inſenſibilitas peccatoris oſtēditur. 19, 1
Inſidias homo homini ſtruit. 26, 16
Integritas eſt de neceſſitate confeſſionis. 16, 10. *& ſeqq.* & 166, 18. *& ſeqq.*
Interrogatio dæmonis illius tentatio eſt. 60, 4
Inveteratus peccator vix ſurgit. 136, 5
Joab quaſi in oſculo Amaſam fratrem occidens, mundi exhibet deceptiones. 63, 8
Joannes Baptiſta verbo & opere pœnitentiæ neceſſitatem docuit. 186, 11
Job aſſiduè pro peccato dolendum & orandum oſtendit. 185, 10. Ejus labia incorrupta propter verbi Dei ſcripti prædicationem, Immaculatæ Conceptionis Virginis convenientiā majorem oſtendunt propter verbi Dei vivi productionem. 185, 7.
Jonâ in tempeſtate dormiente pejor eſt peccator in mortali dormiens. 69. 5. Illius ira nimia correpta miſericordiam exercendam docet cum peccatoribus. 108, 14
Joſeph magis ſolicitus pro ſuâ libertate corporali quàm peccator pro libertate animæ. 9, 14
Joſue manſuetudo ad Acham. Confeſſarios docet lenitatem. 106, 10
Ira excæcat homines. 21, 4
Ire in domum, eſt conſcientiam ſubintrare. 135, 3
Iſboſeth in ſomno occiſus, figura eſt peccatoris malè ſecuri. 71, 8
Iſraëlitarum felicitas. 17, 15. Eorumdem fletus ex recordatione amiſſionis bonorum. *Ibid.*
Jubilat dæmon in ruina peccatoris. 13, 7
Judas oſculo Salvatorem tradens, mundi riſum oſtendit. 65, 12. Ad Chriſti monitionem obſurdeſcit. 116, 6. Stimulos conſcientiæ non curat. *Ibid.* Confitetur ſuum crimen tantùm diminutè. 166, 19. Continuò à cœna nocte exiens, peccatorē demonſtrat, qui à Chriſto vera luce, recedens, etiam in tenebris ambulat. 36. & 37, 12. Ejus audacia, in cœna Domini exemplum eſt peccatoris inconſiderati. 6, 10
Judas Machabæus noluit in altari ſemel profanato offerre Sacrificium propter opprobrium vitandum, unde deducitur inconvenientia ſi id Chriſtus obtuliſſet in matre priùs

per originale polluta. 288, 13

Judæi in morte Chriſti exemplo ſunt, quod etiam orbe concuſſo indurati non moveantur. 43, 10. Ad Stephani prædicationem, ſilicis inſtar, ignem ſpirabant, propter obdurationem. 41, 7

Judex in propria cauſa mitis, & in aliena durus improbatur 109, 15. Et Judæ antiqui teſtamenti aſſimilatur. 110, 16

Judicia Dei illius mandata ſunt. 208, 5. Etiam pro conſiliis ipſius occultiſſimis ſumuntur. *Ibid.* Et meritò ab illis timendum. *Ibid.* Alia ad miſericordiam, alia ad juſtitiam ſpectant. *Ibid.*

Judith periculi memoriam abolendam oſtendit. 174, 10

Jugum Chriſti ſuavius eſt, quàm putetur 226, 13. & *ſeqq.* Imò quàm jugum mundi. 66, 14

Juſtitia Dei ad ſanctum timorem in memoriam ſæpè reducenda. 239, 18. & 19.

Juſtitiæ opera terrenis hominibus inſtar ſerpentis horribilia apparent. 220, 6. Juſtitiæ Chriſtianæ officium eſt declinare à malo & facere bonum. 194, 3. & *ſeqq.* Illi magis ſerviendum quàm iniquitati. 189, 14.

Juſtus Deus non minùs quàm miſericors. 151, 13

Juſtus cadens tamdiu ſurgit quamdiu lapſum ſuum cognoſcit. 39, 17

L.

Labia Job à corruptione præſervata docent Virginem Mariam multò magis ab originali corruptione debuiſſe præſervari. 285, 7

Laboratur ampliùs pro rebus temporalibus, quàm æternis. 218, 3.

Lætitia exultat in peſſimis. 21, 4.

Lamiæ lac præbentes, ut dilanient, mundi proditoris figura ſunt. 63, 8

Lapis fundamentalis templi materialis cruce ſignatur, ne Angelus percutiens eò introeat. 287, 12

Lapide ſæpè inſenſibilior peccator. 41, 5

Lapſi & prolapſi diſparitas aſſignatur. 55, 13.

Latro unus impœnitens terrorem incutere deberet pœnitentiam differentibus. 154, 17

Latronum inſtar ſunt, qui non confitentur peccata, niſi infirmitatibus & pœnis adacti. 156, 1

Latus ſuum aperiri Chriſtus voluit, ut nos conſcientiæ ſinum panderemus. 98, 17

Lazari exemplo monetur peccator velociter ſurgere. 137, 7

Legem omnem excæcatus violat. 31, 4

Lex in tabulis lapideis digito Dei ſcripta indicat in corde lapideo non ſcribendam legem niſi per Deum, qui ſolus poteſt de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ. 44, 12

Liberatio alia antecedens, alia ſubſequens. 286, 9. Per priorem Sampſon ſuos parentes, & Chriſtus Virginem Matrem liberat. 286, 10. Liberatio à peccatis multò labore conſtat. 180, 2 Obtinetur per gratiam Dei & pœnitentiam. 1, 1. Liberatio Petri ex carcere per Angelum, figura eſt liberationis à dæmonis captivitate per gratiam. *Ibidem.*

Libertatem oblatam non acceptans, meretur illâ privari in perpetuum. 140, 13

Libidinoſi jumentis ſimiles. 212, 10

Libri obſcæni abjiciendi ſunt. 174, 9

Loca prava vitanda. 174, 9

Loculus filii viduæ Naim conſcientiam figurat. 135, 5

Longanimitate Dei ad liberiùs peccandum perverſi abutuntur. 211, 5 & *ſeqq.*

Loth juſſus in montem fugere, occaſionem docet fugiendam. 172, 6

Lucrum temporale citiùs trahit homines, quàm ſpirituale. 138, 8

Lucta contra mundum, carnem & vitia non intermittenda. 215, 16. Lucta carnem inter & ſpiritum in S. Auguſtino oſtenditur. 223, 10. Lucta paſſionum, in Jacob & Eſau figuratur. 23, 7

S. Ludovicus Bertrandus ſuâ manſuetudine vicit peccatorem graviſſimum. 108, 13

Lumen Dei neceſſarium, ut peccator reſurgat. 113, 2. Aufertur à negligentibus

gentibus. 118,9. Id negligit qui in peccatis perſeverat. 115, 5. Facit cognoſcere ſtatum miſerum peccatoris. *Ibid.* Ab eo plerique faciem avertunt, magis amantes tenebras. 116,7. & 8. Repulſa ejus damnationis ſignum 117,8. Illud velociter ſequendum 118,9. *& ſeqq.* Ubi occumbit peccator in æternæ mortis periculo graditur. 121,16.& 122,1

Luxuria hominem miſerabili ſervituti ſubjicit, & quali. 2, 3. Rationem offuſcat & aufert. 50, 5. Ac pudorem expellit 51,7. Et univerſam hominis cogitationem intentam reddit ad malum 51,8. Eſtque febris verè maligna ſupernorum meditationem impediens. 52, 8. & 9. Cauſat maximum gaudium dæmoni,& eſt ſummæ adhærentiæ. 52,9. Curatur per abſtinentiam. 206, 3

Luxurioſus à vitio non liberatur niſi per miſericordiam extraordinariã, ut faſſus eſt David. 53,10.Imò quaſi miraculum eſt,ut Apoſtolus in Rahab oſtendit.*Ibid.*11.Intexit funibus lectum ſuum.54,11.Et eſt ipſi quaſi impoſſibile ad Deum venire, ut probatur ex dicto illius,qui uxorem duxit & confirmatur ex verbis Apoſtoli 54, 12. & 55. 13. Imò in ipſo actu pœnitendi carnis incentivam ſæpiſſimè patitur cum Davide. 56, 14

M.

Madianitæ luxuriæ exemplum. 206, 3

Magdalenæ pœnitentia in exemplum datur. 196,6

Magnanimitas ad ardua impellit. 228, 4. In via virtutis omnia facilitat. 228, 12 *& ſeq.*

Mala à Deo immitti propter peccata perverſi non credunt. 130, 12

Malum omne à paſſionibus. 24. 10

Mancipium peſſimum peccator. 6, 10 & 11,1.ac22,5.Vileſcit à vili Domino. 11. 1

Mandatorum tranſgreſſio omnium turbationum ac malorum cauſa. 4,5

Mandata Dei, ſi initio utcumque dura, certè poſtea tam gravia non ſunt. 226,13. & 14

Mare præſentem vitam figurat. 70,5

S.Maria per Rubum adumbratur.279, 14. Exponitur ejus gaudium in Nativitate Salvatoris. 268,6.Figuratur per terram benedictam, de qua veritas Chriſtus ortus eſt. 281, 1. A SS^ma^ Trinitate cuſtodita fuit, ne originali inficeretur. 282,1. *& ſeqq.* Prodivit ex ore Altiſſimi ante omnẽ creaturam, & quid hoc ſit 282, 2. Proximè accedit ad Verbum. *Ibid.* Fuit ſemper à Deo poſſeſſa,à diabolo numquam.282, 3 Filio ſuo, quoad fieri poterat,in omnibus fuit ſimilis. 283, 3. Illius conceptio eſt opus gratiæ potiùs quàm naturæ. 283.4. *& ſeqq.* Ab hac tamen conſervata fuit, ab illa prælecta, & à lege venerata. 284, 5. Suſcitavit ipſam Deus ſub arbore malo, ut à veneniſico ſerpentis morſu declinaret. 284,6.A triplici peccato illam præſervavit. 285, 8. Et præſervativè redemit. 286. 9, & 10.Indeque primiceria Redemptoris dicta eſt. *Ibid.* Fundâſſe eam dicitur Altiſſimus, eò quòd originali gratiã prævenerit. 287,11. Ab eã magis arceri debuit ſatan, quàm à templo materiali. 288, 12. Nullum locum habet ubi de culpã agitur.*Ibid.* Ignominia ejus cederet ad improperium Filii. *Ibid. & ſeqq.* Ad eam accedere non potuit ſatan propter nimiam ejus ſanctitatem, ut Incarnationis myſterium in ipſa cognoſceret,adhuc minùs ut originali inficeret. 290, 15. Figuratur per aquam, ſuper quàm Spiritus Domini ferebatur. 291,17. Itemque per Paradiſum. 292, 18. Et per olivam. 293. 18. Caput ſerpentis contrivit. 293, 19. Et cauſa ſalutis nobis facta eſt. 294, 2. *& ſeqq.* Similis exiſtit columnæ nobis. 295, 1. Et omnes Gentes, eã opitulante, illuminantur. 296. 3. Plus orat pro nobis, quàm Rachel pro Hebræis. 297, 4. Aſſumpta in cœlum dedit dona hominibus.297. 5. Captivos à vinculis ſolvit. 298, 6. Preces ejus apud Filium efficaciſſimæ. 298, 7. Illi major pars peca-

peccatorum converſionis gratiam debet. 299. 7. *& ſeqq.* Devotio ejus commendatur per trinam pulſationem ad ſalutationem Angelicam. 301, 10. In neceſſitatibus invocanda. 302, 11. Ejus acceſſum diabolus impedit. 303, 12. Cupitque illam ſeparare à filio 303, 13
Marianam devotionem impedire ſatan nititur. 303, 12. *& ſeqq.* Illam dimittens animæ ſuæ injurius eſt. 304, 15. Virtutem & fortitudinem animæ confert, 306, 18
Medicinalis curatio duplex, præſervativa, & reparativa. 286, 9. Prior cœleſti medico Chriſto, intuitu Mariæ convenit. *Ibidem. & ſeqq.*
Memoria amiſſionis bonorum ad pœnitentiam excitat. 17, 15. & 16.
Memoria delectationum maximè carnalium abolenda. 175, 13
Memoria peccati doloroſa ad perſeverantiam in bono conducit. 183, 6. *& ſeqq.* & 253, 5
Merces cœleſtis plena, non terreſtris. 18, 17
Meretricem ſalvari, res ſumma. 53, 11.
Merita univerſa amittit peccator. 16, 13. & 19, 1. Merita omnia reviviſcunt per pœnitentiam. 140, 2 *& ſeq.*
Milites duo, peccatorem cuſtodientes pro dæmone, ſunt caro & mundus. 48, 2
Miſeret Deum magis peccatoris, quàm peccatorem ſui. 90. 4
Miſericordia Dei eſt, quæ peccatorem captivum liberat. 89, 2. Magnitudo illius oſtenditur. 90. 5. & 6. In ſe infinita eſt, ſed non infinities parcit. 96. 14. Commendatur in inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ. 159. 6. Miſericordia Dei ad peccatores extenditur. 114, 4. Abuti eâ peſſimum. 113. 1. & 239. 13. Incertum quouſque peccatori communicabitur. 119, 10. *& ſeqq.* & 15. 13. Illius præſumptio amputanda. 120, 12. Neque converſio idcirco differenda. 231, 5. *& ſeqq.* Miſericordia Dei etiam ad diffidentes extenditur. 272. 9. Eâ abutuntur qui ejus intuitu liberius peccant. 229, 2. Fit peccandi occaſio ubi debuerat eſſe pœnitendi. 231, 5. *& ſeq.* malè expectatur à non emendantibus ſe. 233, 10. Una præcedens non infert aliam poſt futuram. 234, 11. *& ſeq.* eâ abuti peccatum graviſſimum, & quod lac divinæ miſericordiæ in juſtitiæ ſanguinem convertat. 235, 13. *& ſeqq.*
Miſericordiæ exemplum. 114, 4. Nimia minùs culpabilis eſt, quàm exceſſiva ſeveritas. 106, 9
Miſericorditer ſecum agi volens, ita faciat cum altero. 109, 14. *& ſeqq.*
Miſerias immittit Deus ad converſionem. 118. 8 & 9
Mitti in lectum eſt mitti in ſecuritatem peccandi. 70. 6
Mola Sampſonis figura circuitûs impiorum. 24. 9. & 30, 4
Monitio Dei multiplex certificat peccatorem de ſuperventuro interitu. 76. 14
Monumentum Chriſti novum propter illius reverentiam, docet multò magis Mariam ab omni culpa originali debuiſſe eſſe vacuam. 291, 16
Mors non tardat & illius inconſideratio malorum damnationis cauſa. 73. 11. & 74. 12. Incerta eſt. *Ibid.* & 146, 5
Mors certò cauſari poteſt per plurima, vita certò promitti non ita. 78, 17. & 146, 5
Mortis cogitatio ad orationem impellit. 77. 16
Morientes vix de anima, & converſione cogitant. 148, 8 *& ſeqq.* eorum confeſſio difficilis & rarò vera, & quare hoc. *Ibid. & ſeqq.*
Morientibus infenſiſſimi ſunt dæmones. 153, 14
Mortaliter peccans fit captivus diaboli. 1. 2. & 11, 1. Mortaliter peccantis ſervitus miſera crudelis & ignominioſa. 1, 2
Mortificationes ſpiritûs & carnis etiam à Sanctiſſimis ad perſeverandum in bono adhibitæ. 186, 10. & 11. & 190, 15
Mortificatio exterior ſignum eſt interioris. 187. 12. Debet eſſe ſtabilis, 207. 4. Non eſt tam formidabilis quàm ſæpè apprehenditur. 218, 3. *& ſeqq.*

& ſeqq. Requiritur ut corpus habeat partem in pœna ſicut in culpa habuit & ad ſatisfactionem divinæ juſtitiæ. 188, 13. *& ſeqq.* Viam aperit ad cœleſtia. 205, 2. Dæmones fugat. 205, 3
Mortificantur bona opera per peccatum. 14, 7. & 19, 1
Mortificationes carnis non tam duræ ſunt, quàm putantur. 226, 3. *& ſeqq.*
Moyſen ex petra elicuiſſe aquas non tam mirabile Chryſoſtomo eſt, quã quod ex oculis Saulis lacrymas extraxerit David. 44, 10. loco 11
Moyſes omnia bona Iſraëlitarum ſecum tulit, ne compellerentur redire in Ægyptum. 170, 3
Mulier multivola concupiſcentia eſt. 23, 8. Mulier ſuper beſtiam ſedens mundum figurat. 61, 5
Mulierũ vitanda conſortia. 58, 18. & 19
Mundus cuſtodit exteriùs, interiùs caro. 48, 2. *& ſeqq.* Illius gloria Salvatoris exemplo contemnenda. 168, 6 Mundus peccatorem oblectat ne cogitet de fugiendo ex carcere dæmonis 59, 2. ac 60, 4. Et tenet poſtea plantam pedis ejus ne exeat. 60, 3. Babylonios imitatur, verba cantionum ab Hebræis in ſua captivitate interrogantes. 60, 4. Dicit malum bonum, & bonum malum. *Ibid.* Inebriat captivum vino abominationis, quæcumque ad malum offerens. 61, 5. Licèt illius potus amaritudinibus plenus ſit, plerique eas non percipiunt, quia jam per frequentatos actus inebriati ſunt. *Ibid.* & 64. & 65, 11. Agit cum peccatoribus, ut Jaël cum Siſara, & paſcit ad mortem. 62, 6. & 63, 7. & 9. Vel certè Davidèm imitatur in tractando Uriam 62, 7. Panes ejus ſunt panes mendacii, potuſque non niſi mendacium aquarum, & ideo ſperni deberent. *Ibid.* Promittit proſpera & largitur adverſa. 63, 7. & 65. 13. ejus fallaciarum adferuntur exempla plurima. 63, 8. Et ideò ſtulti ſunt, qui illius deliciis ultrà faſcinari geſtiunt. 64, 10. & 66. 13. & tanto deceptori ſubeſſe. 64, 11
Mundi gaudium non breve tantùm ſed inſtantaneum eſt. 65, 11. Ejus opera mala. *Ibid.* Diligendus non eſt, ſed ut inimicus habendus 65, 12. Caro pretio vendit preſſuras. 65, 13. Ejus jugum gravius jugo Salvatoris 66, 14. Et nulla quidem ipſius remuneratio. *Ibid.* Inſignis mundi confeſſio adducitur. 66, 15. Qui ad terrena ſemper inclinat ut avertat à cœleſtibus 67, 16. Et hominem tandem in terram ire faciat qui à ſolo illius amore dici debet terrenus. & quem non niſi miſericors Chriſti reſpectus revocare poteſt ad cœlum 67, 16. & 17. Illi bellum indicandum. 204, 1. Crucifigendus eſt prius nobis & dein nos illi & qualiter hoc fiat. 111, 9. Pompis ejus & fallaciis renunciandum. *Ibid.* Qualiter obſtat ſe convertere volentibus, oſtenditur. 223, 10
Munera peccator Deo offerre debet pro ſua liberatione à diabolica ſervitute, & quæ. 11, 16
Murus eſt pro defenſione noſtra. 305, 17. Qui illam amant bene habebunt in noviſſimis. 306, 18. Qui offendunt lædunt animam ſuam. 304, 15
Mutus in Evangelio liberatus, typus eſt confitentium peccata. 87, 14. Muti peccatores ſedem parant ſatanæ. 95, 13. Et Dei benignitatem ſpernunt. 96, 14
Myrrha gutta & caſia mortificationẽ, humilitatem & fidem figurant. 202, 13

N.

Nabuchodonoſori ſimiles ſunt qui peccata reticent in confeſſione. 162, 12
Nathan agendi modus cum Davide commendatur Confeſſariis. 109, 15
Nativitas Salvatoris in Bethlëem peracta eſt, ut ipſum ſciremus eſſe verum panem vitæ & ut omnem affectum carnalem extingueremus in nobis, dum ad Synaxim accedimus. 267, 5. Gaudium verè maximum hominibus contulit. 275, 11. Et feſtivitatem ipſi etiam Deo fecit. 275, 12
Naturæ humanæ excellentia nobilem vitam in nobis exigit. 178, 13. Naturæ ſine gratia opera virtutum gravia

grävia ſunt; cum gratia non ita. 122, 9
Nini affectio ſtulta erga Semiramidem reprobatur. 110, 8
Nivi & grandini peccator ſimilis. 148, 15 Nivis theſaurus eſt verus pœnitens. Ibid.
Nocturna ſacrificia diſplicent Deo. 152, 14
Numulariorum æs à Chriſto effuſum docet occaſionem mali vitandam. 171, 4

O.

OBduratus non movetur miraculis. 44, 13. Illius horribile exemplum. 237, 17. Peccatorum funibus conſtringitur. 46,15. Et de remediis ſalutis diabolo trophæum erigit. 96, 14
Objectum deſiderii bonum abſens. 14, 8
Oblivio peccatorum ſubitanea, converſionem reddit ſuſpectam. 184, 8
Obſcuratio oculi cordis pœna maxima. 38.16
Obſtinati ad Sacerdotales tubas non commori culpâ ſuâ pereunt. 95,12. Dei benignitate ad damnationem abutuntur. 96, 14
Occaſio peccatorum vitanda, & qualiter. 170, 2. & ſeqq. & 251, 2. Illam poſt liberationem repetens, Hebtæis ſimilis Ægyptum repetentibus. 251, 2. Cum caſu conjungitur, & inde occaſio dicta. 171, 5. Qui illam amat, amat peccatum 176. 14. Fortiſſimos & ſanctiſſimos perdidit. 178, 18
Oculus dexter æternorum intuitio eſt, ſiniſter verò concupiſcentia præſentium. 32, 5
Oculum dexterum tunc diabolus eruit, quando impedit cœleſtium contemplationem. Ibidem.
Oculi proto-parentum caligaverunt ad primum ſatanæ alloquium, & inde eorum lapſus. 34.10
Odium malorum cauſa eſt. 20.4
Odor veſtimentorum Jacob, odor virtutum cui benedicit Deus. 202.14
Officium Chriſtiani hominis eſt, declinare à malo & facere bonum. 194, 3
Omiſſio voluntaria alicujus peccati gravis in confeſſione damnabilis. 162, 12
Omnes peccaverunt, intelligitur de poſteris Adæ in decretis Dei, vel de concluſis in pacto, aut certè de non præſervatis per ſpeciale privilegium, non verò omnino univerſaliter. 281.1
Onus Chriſti fit leve per gratiam. 222, 9. & ſeqq.
Opera bona ad vitam æternam neceſſaria ſunt. 194. 3. & ſeqq. Cauſant animæ pulchritudinem. 195, 5. Et veram pacem. 196, 5. Intermitti nequeunt. 197, 7. Dæmones in fugam convertunt. 205, 3. Nec tam ardua ſunt quàm putantur. 219, 4. & ſeqq. Otiari à pœnitentia & bono opere diabolo locum præbet. 192, 19. Spiritum ſanctum expellit. 195, 5. Et habitus bonos diminuit. 196, 5.
Opera captivorum diaboli mortua. 14, 10 & 11. Ante captivitatem facta reviviſcunt. 15, 11. Durante captivitate facta manent mortua & ingloria. Ibidem. Opera Chriſtianorum ſunt in quadruplici differentia. 241, 4. Quæ viva, quæ mortua, quæ mortificata & quæ vivificata dicantur. Ibidem.
Oratio Deum movet ad miſericordiam. 89, 2
Ordo decretorũ Dei exponitur. 283, 3
Oryx in retibus venantium dormiens, peccatori ſimilis, qui in mortali quieſcit. 69, 4
Os Altiſſimi eſt intellectus Divinus. 282. 2. Os peccatorum occludens ſatan, illos demergit. 85, 12
Oſtium carceris clauſum, os eſt peccatoris peccata confiteri erubeſcentis. 85, 11. & 12
Otiantibus à bono, Dei beneficia non præſtantur. 203, 16. Sed econtrà damnationis periculum eos manet. 213, 11
Ovem perditam per Nativitatem ſuam invenit Deus. 275, 12

P.

PAradiſi præſervatio à diluvio. Mariæ præſervationem ab originali oſtendit. 292, 18
Paralyticus juſſus grabatum tollere oſtendit mali occaſionem fugiendam. 171, 5
Paralytici lectus eſt corpus animæ virtutibus deſtitutæ, domuſque ejus conſcientia. 135,3
Partus ſequitur ventrem. 14.10
Paſſio inter amicos & proximos dominatur. 26. 12. Paſſio fortiter tolerata tam amara non eſt quàm putetur. 225,12
Paſſiones hominis nudecim numerantur. 20,3. In ſe malæ non ſunt. *Ibid.* Ex bono vel malo earum uſu rationem boni aut mali ſortiuntur. *Ibid.* Eiſdem utitur dæmon contra peccatores. *Ibid*
Paſſiones hominem in carcere diaboli cuſtodiunt & quomodo. 20,3 & 4. In contraria impellunt. 22,5. & 23, 7. Tyrannizant peccatores. 22, 6. Nunquam quieſcunt. *Ibid.* Rebellant voluntati. 23,7. Omne malum cauſant. 24,10
Paſſionibus etiam fortiſſimi cedunt. 23,7. & 9. Paſſioni vel unicæ homo reſiſtendo non eſt. 25, 10. Illis reſiſtendum. 26,12
Paſſiones corporis peccati membra ſunt. 26, 13. & 27. 14. Eas vincere glorioſiùs quàm hoſtes. 27,15. Figurantur per ventos naviculam concutientes. 28. 16. Dum ſæviunt, recurrendum ad Chriſtum. *Ibid.*
Patientiâ Dei multi abutuntur ad liberiùs peccandum. 231, 5
Paulus in exemplum captivi adducitur. 23,7. Reprobari timens corpus ſuum caſtigaret. 209, 6. Necdum tamen poſt omnes ſuas caſtigationes ab incentivis carnis fuit immunis. 56,15
Pauperibus Verbum incarnatum gaudium attulit. 272, 9. & 279, 14
Paupertas ad dignam Verbi ſuſceptionem præparat. 267, 5. A Verbo in ſuâ Nativitate commendata eſt. *Ibid.*
Pax vera ſine bono operę non obtinetur. 196,5
Peccans mortaliter fit captivus diaboli. 1,2. & 19,1. Servitus ejuſdem miſera crudelis & ignominioſa 2,2. Omnium peſſima. 3, 3
Peccator quot vitiis tot Dominis ſervit. 3. 4. Privatur omni bono. 6,10. & 12,5. Et à ſervitute ſua non poteſt liberari niſi per Deum. 8,10. & 12. Diaboli juſſis obtemperat ut vinciatur, & Dei juſſa non facit ut liberetur 9, 12. Inſtar Sampſonis voluntariè à diaboli ſatellitibus ligari ſe ſinit. 9, 13. Et minùs pro liberatione animæ, quàm corporis ſolicitus eſt. 9, 13. & 14. Ipſis beſtiis inſanior eſt. 9, 13 Et ſæpè dæmone pejor. 25, 11. Nec non cæcis cæcior & quare. 33. ante n. 7. Nuditatem ſuam cognoſceret, ſi ut Adam, aperiret oculos. 15. 11. Sed terrena ſapit, non cœleſtia. 34,8. Ac ſic de Paradiſo ſaltat in infernum. 18, 16. A paſſionibus ſuis excæcatur & patitur peſſima. 20, 4. & 24, 9. Habet nomen beſtiæ in fronte, & jugum iniquitatum in collo, ne cœleſtia videat. 46,15. In mortali dormiens, orici ſimilis eſt, qui in ipſis venatorum retibus ſomnum capit. 69, 4. Ejus ſecuritas maledicta. 69, 4 Maximè in tempeſtatibus animæ, ubi etiam Sanctiſſimi anguntur & laborant. 70.5. Somnus ejus divinæ derelictionis ſignum. 70.6. Et æternæ mortis prodromus eſt. 70, 7. Mortis damnationiſque pericula non conſiderans, inopinatè abripitur. 73. 11. Diabolum in corde ſuo dormire ſinit. 227.15. Sub ſentibus delicias putat. 79,2. Et ut Petrus ab Herode ita multipliciter à diabolo ſervatur in carcere 79,2. Culpâ ſuâ perit non Dei. 94 10 Illique ante ſuam liberationē non inſidet Jeſus. 181,5
Peccatores à diabolo captivos duci vidit S Ephrem orans in templo. 2, 2. Interim quia ſe captivos eſſe non vident, non ſe credunt tales. *Ibid.* Vel certè neſciunt. 2. 3. Et inſtar Judæorum Joan. 8. indignantur objicientibus ſibi ſuam captivitatem.

tem. 1,1. & 3. Eorum inconſideratio deflenda, in Juda monſtratur. 6, 10. Excæcantur & induiantur. 29, 2. Tractantur à dæmone eo modo, quo viri Jabes Galaad tractantur à Naas. 31,5. Deus prôvocat illos per ſe & ſuos. 112, 1. Jumentis ſimiles ſunt 158, 4. Plus laboris inſumunt pro morte quàm pro vita, & dæmoni quàm Deo fideliores exiſtunt. 189, 14. Eorum ſtatus miſerrimus exponitur. 230, 4. Illis maximè cavendum eſt, ne luti inſtar ad irradiationes ſolis juſtitiæ induréſcant magis. 47, 16

Peccata lapſis nocent, ut grando fructibus. 13, 6. In conſuetudinariis manent quaſi in centro. 81, 4. Eorum numerus numero bonorum operum compenſandus. 196, 6

Peccatrix anima non eſt quod fuit. 18, 16

Peccatum unum mortale habere in anima horribilius eſt, quàm integrá dæmonum legionem habere in corpore. 5, 8. Animam infructiferam reddit. 13, 7. Illius corpus deſtruendum eſt & quid hoc ſit. 26, 13. Servitus ejus per Adventum Chriſti redempta eſt. 1, 1. Illius gravitatem perpendens, ſemper dolebit de commiſſo. 187, 12. Et erectionis gratiam recognoſcet. 230, 3. Privat hominem Jure ad hæreditatem cœleſtem, idque quia Deo injuriam irrogat. 242, 5

Percuſſio lateris Petri temporalem á Deo correctionem peccatoris ſignificat. 113, 2

Periculum mali vitandum. 174, 10. *& ſeqq.* Illud amans amat peccatum & jam peccat. 176, 14. Sanctiſſimos perdidit. 178, 18

Perſecutio publica minùs nocet quàm occulta. 25, 10

Perſeverantia in bono reddit hominem ſecurum. 262, 21. Sine carnis mortificatione continua difficilis eſt. 208, 5

S. Petrus in carcerem miſſus figura eſt captivitatis diabolicæ peccatorum. 1, 1. Idem per Angelum liberatus adumbrat peccatorum liberationem per gratiam Dei & pœnitentiam. *Ibid.* Detinetur in carcere, ut diutiùs torqueatur. 5, 7. Et circumſpectè ſervatur ne miraculosè evadat. 79, 2. Corpore quidem in ergaſtulo, ſed animo in cœlis erat. 11, 2. E carcere liberatus ad domum Mariæ tendens, devotionem erga Virginem docet. 302, 11. Quatuor quaternionibus militum cuſtodiendus traditus, typum exhibet peccatoris traditi ſuis paſſionibus. 19, 2. Ejus lapſus ad ancillæ interrogationem, ſicut & Davidis ad aſpectum Bethſabeæ mulierum conſortia docent fugienda. 58, 19. Illum in Domino Deo confiſum dormire inter duos milites, mirum non eſt, ſed diaboli captivos inter carnem & mundum dormire hoc admirandum. 68, 2. & 80, 3. Claves ipſi commiſſæ, ut ex propria fragilitate diſcat compati aliis. 103, 6. & 7 Lapſus illius ex occaſione provenit. 172, 7. Ideò pœnitens foras exivit. *Ibid.* Et tunc de liberatione fuit ſecurus, quando vicum unum proceſſerat, non antè 178, 19. Normam veræ pœnitentiæ dedit. 181, 5. & 185, 9. Ad prunas ſe calefaciens, ibique ab igne malo correptus, pericula occaſionis oſtendit. 179, 1. Sequi nondum poterat Chriſtum propter naturæ debilitatem. 221, 10

Pharao Iſraëlis exitum de Ægypto nolens, figura diaboli eſt confeſſionem nolentis. 86, 13 Plagis vexatur à Deo, ut emendetur, 127, 6. Bona Iſraëlitarum detinere voluit, ut compellerentur redire. 170, 3

Philantia, ſeu amor ſui, omnis mali principium. 20, 4

Philiſthiim Hebræos armis ſpolians, figura eſt dæmonis ſpiritualibus armis peccatorem privantis 12, 4

Picturæ obſcœnæ auferendæ de medio. 174, 9

Plagas immittit Deus ut hominem corrigat. 127, 7. Eas non curans Pharaone durior & leænâ Danielis ferocior eſt. *Ibid. & ſeqq.* Illas ſuſpendit Deus, dum peccatorem jam projicit. 131, 13

Poculum dicitur mulier ſuper beſtiam ſedens habere in manu, quia verè paucum eſt quidquid offerre mundus poteſt 61, 5

Pœna non ſemper remittitur, remiſsâ culpâ. 192, 18

Pœnalitates hujus vitæ in comparatione infernalium nihil ſunt. 210, 4

Pœnitentes leniter extrahendi ex carcere dæmonis. 102, 4. Juſti vocantur, 244. 10. Et, ac ſi omnem Dei voluntatem feciſſent, ſic tractantur. 245, 11. Redduntur ipſis omnia duplicia & ſpiritualiter ditiores fiunt. 246, 12. Per aquam craſſam id eſt lacrymas aſperſi, ignem charitatis concipiunt, & ſæpè ferventiores redduntur quàm antè fuerant. 247, 13 *& ſeqq.* Imò Angelis appropinquant. 249, 16. Et licèt ſecundò geniti ſint, primogenitis, & multis innocentiam primam ſervantibus præferuntur. 249, 17. Tales verè non ſunt, qui peccata non minuunt. 257, 12. Imò illi pœnitentes diaboli ſunt: quia pœnitet eos quaſi ſe pœnituiſſe de peccato, & ideò in illud reincidunt. 252, 4

Pœnitentia quorundam ſera non benè in exemplum aſſumitur 76, 15. Illius dilatio periculoſiſſima. 139, 9. *& ſeqq.* & 146, 5. ac 151, 13. & 154, 15. A pœna derivatur. 191, 17. Exterior ſignum eſt interioris. 187, 12. *& ſeqq.* Pravos habitus extirpat. 192, 18. Non eſt tam formidabilis quàm putetur. 220, 6. *& ſeqq.* Profundè agenda eſt & quid hoc ſit. 189, 15. Quàm juſtum ſit internè ſimul & externè pœnitere pro peccato. 189. 14. & 193, 1. Sanctiſſimi utramque pœnitentiam exercuerunt in finem. 190, 15 Si ad interna exterior non ſequatur, eſt ſimilis ficui infructuoſæ. 190, 16. Per totam vitam Adamo impoſita eſt à Deo propter unum peccatum. 191, 17. Perpetua eſſe debet in quolibet verè Chriſtiano. 191. 17. & 18. Si negligatur, fiunt noviſſima pejora prioribus 191, 19. Eam differens miſericordiâ Dei abutitur. 229, 2. Etſi ſit tantùm unius horæ ſæpè dura videtur iis, qui propter vanam delectationem noctes inſumant. 218, 3 *& ſeqq.* Animæ nitorem reſtituit, & facit eam ſtellæ ſimilem. 244, 8. & 9. Abolet nomen peccatoris. 244. 9. & 10. Et ſimul cum gratia reducit priora merita. 240, 2. *& ſeqq.* Eſt pars integralis Sacramenti confeſſionis. 180, 2. Ad converſionem ſtabilem requiritur. 181, 3. *& ſeqq.* Continuanda vel ſæpius iteranda eſt. 183. 6. Stabiliter agenda non perfunctoriè. 184, 8. *& ſeqq.* Procraſtinanda non eſt. 234, 10

Pœnitentiæ Sacramenti finis & dignitas. 92, 7. Eſt ſecundus baptiſmus. 181, 4. Differentia ejus à tribunali ſeculari. *ibid.*

Porci minùs dæmones ſuſtinere poſſunt quàm peccatores. 5, 9

Porta videtur multis ferrea, quæ ducit ad cœlum. 218. 3. Porta hominis duplex, introitus & exitus de hac vita. 293, 19

Poſſeſſus à diabolo quoad animam pejus ab eo tractatur quàm poſſeſſus quoad corpus. 5, 8

Poteſtas Dei oſtenditur. 232, 7. Timenda eſt. 235. 12. Poteſtas ligandi & ſolvendi ſolis Præsbyteris competit. 157, 3. *& ſeqq.*

Potus mundanus amaritudinibus replet, ſed non ſentiuntur ab inebriatis per frequentatos actus. 60, 5

Prædeſtinati per vias rectas gradiuntur, reprobi non ita. 261, 17

Præparatio ad ſacram Synaxim adfertur. 267, 5

Præſumentes de miſericordia Dei ſunt ſimiles Eſau. 232, 8

Præſumptio de miſericordia Dei reſecanda 220, 12. Sæpè ruinæ ſpiritualis cauſa eſt, 139, 9. & 10. Eam propter occaſioni ſe ultrò exponere, eſt damnabile, etiamſi fiat propter ſpem gratiæ aut vires proprias. 177, 16. & 17

Primogeniti vocantur retinentes innocentiam primam; ſecundò geniti qui illam perditam recuperârunt. 249, 17

Principia mali fugienda. 175, 12

Proconſul audiens Elymam magum ad Pauli verba cæcitate percuſſum, ſe

ſe ſtatim ad fidem convertit, docens procraſtinandum non eſſe in via ſalutis, dum tam multos excæcatos videmus. 38, 17. & 139. 9. *& ſeqq.*
Prodigia omnia nihil habent ad Verbi incarnationem. 274, 11
Prodigo peccator ſimilis eſt. 242, 6
Prodigus in exemplo eſt ſubſtantiam perdentis per luxuriam. 50, 5. Item à peccato ſurgentium. 143, 16. Et in priſtinum ſtatum reſtitutorum propter pœnitentiam. 242, 6
Prophetiæ per incarnationem Verbi impletæ ſunt. 274, 11
Propitiatorium utrimque tectum fuit, ne continuus aſpectus contemptum induceret. 238, 18
Propoſitiones univerſales non ſemper univerſaliter accipiendæ. 281, 1
Propoſitum emendationis ad Confeſſionem requiritur. 168, 21
Providentiam Dei non æſtimans diſciplinam odit. 231, 6
Prudentia ſerpentis in quo imitanda. 201, 12
Pſalmus *Miſerere* quare Pſalmus in finem dictus. 185, 9
Pudor ſemel expulſus non facilè redit. 51, 7
Pugnandum hîc ſtrenuò contra mundum carnem & vitia, donec deficiant. 215, 16
Pulchritudo animæ per bona opera acquiritur. 195, 5
Puſillanimitas difficultatem fingit in præcepto. 217, 3. Inducitur à dæmone, dum res majores apprehendi facit quàm ſint. 218, 3. In via virtutis maximè vitanda 226, 13. *& ſeq.*
Putipharis uxor oſtendit quod ignis concupiſcentiæ impediat viſum ſolis totius juſtitiæ. 50, 6

Q.

QUatuor quaterniones militum, quibus peccator à diabolo cuſtodiendus traditur, ſunt paſſiones undecim, cum quinque aliis vitiis capitalibus. 19. *& ſeqq.* 2, 3, 4.

R.

RAhab meretricem fide ſalvatam eſſe, pro ſummo prodigio affertur ab Apoſtolo. 53, 11
Razias viſcera ſua ſuper inimicos projecit, Chriſtus Sanguinem de Cruce ſuper obduratum. 237, 14
Reatus pœnæ non totus ſimul cum culpa remittitur. 183, 6
Rebeccam peſſimè quidam imitantur in confeſſione, porcinàm carnem pro agnina vendentes. 166, 18
Receſſus profundus quid hoc ſit. 189, 15
Recidiva peccatorum qualiter vitanda. 170, 1. *& ſeqq.* Illius occaſio fugienda. 251, 2. Illam quærentes Hebræi, morte plexi ſunt præter Caleb & Joſue. 251, 3
Recidivi Deum ad iracundiam provocant & diabolum ipſi præferunt, 251, 4. & 259, 15. Imò quantum in ſe eſt, liberatorem ſuum occidere nituntur. 252. 5. Eorum ſtatus deterior eſt quàm antè & ingratitudo major erga Deum. 253, 6. Lacrymas ex oculis Salvatoris eliciunt præ Paganis. 253, 7. Porciſque ſimiles efficiuntur, & canibus ad vomitum revertentibus. 254, 8. & 9. Imò execrabiles Deo redduntur, & veniâ indigni. 255, 9. Malè ſibi promittunt, quod ut priùs, ita poſtea reſurgent. 256, 11. *& ſeqq.* Fiunt noviſſima eorum pejora prioribus. 259, 5
Reconciliatio omnia priora merita reducit. 241, 2. Et ad hæreditatem cœleſtem rehabilitat. 242, 5. *& ſeqq.*
Recordatio amiſſionis bonorum pœnitentiam operatur. 16, 14. & 17, 15. & 16. Sed mali præteriti ad malum induceret, ideoque abolenda. 175, 13
Redemptio ſine conſenſu Virginis perfecta non eſt. 294. 1. Alia eſt præſervativa & antecedens, alia extractiva & ſubſequens, 285, 9. Prior utpote nobilior Chriſto intuitu Mariæ competit. *Ibid. & ſeqq.*
Relapſus frequens reprobationis ſignum. 255, 9. & 260, 16
Relabentes in peccata alii quaſi inviti,

& dolentes, alii omnino incurii ſunt. 255, 10. Poſteriores maximè non videntur habere fidem, 255, 9. Eorum confeſſiones meritò ſunt ſuſpectæ & difficulter poſt relapſum reſurgent, idque ex triplici capite. 256, 11. *& ſeqq.* Dominus à ſimilibus recedit fiuntque Sampſoni ſimiles. 256, 12. Confitentur inſtar ſatanæ. 257, 12. In circuitu ambulant. 261, 17. Contemnunt peccata. 258, 13. A diabolo terribiliter aggravantur. 258. 14. *& ſeqq.* A Deo morte plectuntur. 260, 16. Æterniſque pœnis addicuntur. 260, 17. Et impetu quaſi auferentur de medio. 261, 18. & 19. Fitque ipſis ſalus moraliter quaſi impoſſibilis. 262. 21

Remedia pœnitentiæ malè differuntur. 233, 9. Adhuc pejus propter eorum frequentiam quis peccat liberius. 233. 9

Remorſus conſcientiæ ad excitandum peccatorem immittitur à Deo. 123, 2. *& ſeqq.* Quàm gravis monitor ſit. 124, 4. Sprevit hunc Caim, ſed David & Nabuchodonoſor ab illo compuncti ſunt. *Ibid.* & 125, 5

Reprobatio ex parte peccatoris venit, ideoque ſemper pertimeſcenda. 209. 6

Reprobi in circuitu ambulant, prædeſtinati non ita. 261, 17

Reſignatio Divinæ voluntati tranquillitatem animi cauſat. 229, 2

Reſipiſcentia neceſſaria ut peccator non projiciatur à Deo. 131, 13

Reſiſtere diabolo & tentationibus, quàm hoc utile ſit. 153, 15

Reſurrectionis ſpiritualis ſignum triplex in filio viduæ Naim oſtenditur. 136, 5

Reticentia peccatorum in confeſſione damnabilis. 162. 12

Rex terrenus, ſi peccator, non Rex ſed ſervus reputandus eſt. 4, 5

Rigor nimius Confeſſariorum nocivus multùm. 100, 2. *& ſeqq.*

Rubum ardentem elegit Deus propter flammæ puritatem, & Virginem à peccato originali immunem. 89, 14

S.

Sacerdotalis poteſtas in abſolvendo commendatur. 157, 2. *& ſeqq.* Nulli alteri quàm Presbyteris competit. 159, 5. Præcipuè data eſt ad effectum miſericordiæ, 159, 6. Extenditur nihilominùs ad retentionem peccatorum. 159, 6

Sacramenti pœnitentiæ inſtitutio divinæ commiſerationis effectus eſt. 91, 6. Ejus finis, dignitas & differentia à tribunali mundano. 92, 7. & 8

Sacrificium minùs convenienter obtuliſſet Chriſtus in Matre, ſi præviè fuiſſet per originale polluta. 288, 13

Salvator plus fecit propter infirmum genus humanum, quàm uxor Jeroboam propter ægrotantem filium. 271, 8. Ejus Nativitas gaudium magnum, æternæ ſcilicet pacis attulit mundo. 271, 9. Peccatorum pondere premitur, conſuetudinarii non ita & quare. 81, 4

Salutationis Angelicæ ſignum ad memoriam Incarnationis Verbi, & Mariæ devotionem excitandam introducta eſt ab Eccleſia. 301, 10

Samaritanæ virtus eſt ardua & puteus altus, ſed Chriſtum ſequentibus non niſi fons. 224, 11

Sampſon Dalilæ cedens figura eſt peccatoris cedentis concupiſcentiæ. 23, 9. Ejus mola exprimit circuitum, in quo impii ambulant. 24, 9. Uni paſſioni ſuccubuit; quantò magis peccator pluribus. 29, 1. Oculis captus & ad molam ligatus peccatoris adumbrat miſeriam. 30, 4. Parentes ſuos præſervativè à leone liberans, modum oſtendit, quo Chriſtus ſuam Matrem à Leonis rugientis morſu & originali peccato liberavit. 286, 10. In ſinu Dalilæ dormiens, peccatorum in mortali & damnationis periculo dormientium oſtendit incuriam. 69, 4 & 139, 9. Sanguis Chriſti in horto fuſus peccatorum vindictam clamat contra abutentes miſericordiâ Dei, licèt fuſus in Cruce petierit pro peccatoribus veniam. 236, 15. Ille eſt, qui

qui emundat nos à peccatis in Baptiſmo & confeſſione. 243, 7

Sara Iſmaëlem matremque expellens, conſortia prava vitanda docet. 176, 15. Illam imitatur diabolus, Mariam ſimul cum Filio expulſam volens de corde hominum. 304, 14

Satisfacere pro peccato quàm dignum & juſtum ſit. 188, 13. *& ſeqq.* Derivatur à facere ſatis. 191, 17. In præſenti melius eſt, quàm ſatiſpati in futuro. 191, 17

Saul exemplum eſt perversè odientis, & malè diligentis. 25, 11. Et Davidem creans tribunum, ut ſub honoris ſpecie in manus incidat Philiſthinorum, mundi partem repræſentat. 63, 8. Propter factam ſecum à Davide miſericordiam motus, docet nos divinâ miſericordiâ ad converſionem debere uti. 231, 7. Ipſius dormientis prolapſus in manus Davidis, ſomnolenti peccatoris pericula demonſtrat. 72, 9. Idem ſcypho & haſtâ in ſomno privatus, monet obdormientes in peccatis, ſæpè extremis Sacramentis privandos. 79, 1. Et volens Davidem cum pariete configere, figurat eos, qui per recidivam, quantùm in ſe eſt, Salvatorem ſuum rurſus crucifigere nituntur. 252, 5

Securitas in peccatore maledicta, & malorum ſummum. 69, 4. In Jezabele figuratur. 70, 6

Securus eſſe poteſt, qui ſuper Dominum jactat curam ſuam. 229, 2

Sedecias juſtus Domini interpretatur, & occiſſo filiorum ejus ac excæcatio ipſius à Nabuchodonoſore facta, figurat ſtatum, in quo diabolus peccatorem ponit, bona opera illius mortificando, & ipſum excæcando. 30, 3

Segnities in bono vituperatur. 198, 8. *& ſeqq.*

Sequi Chriſtum à longè, eſt quaſi non ſequi. 198, 8

Sera pœnitentia raró vera. 151, 13. *& ſeqq.*

Servitus voluntariâ ſubjectione contrahitur ſecundùm D. Thomam. 2, 3. Malum peſſimum eſt quia hominem privat omni jure. 3, 4. Eò vilior reputatur quò vilior Dominus. 11, 1

Servitus peccati per Adventum Chriſti redempta. 1, 1. Hæc eſt pejor omni alterâ. 3, 3. Eam non excutiens meretur mulctari ſervitute perpetuâ. 141, 13. Qui hanc bene conſiderat, gratiam converſionis dignè æſtimabit. 230, 3. A ſolo Chriſto ſolubilis. 8, 10. & 11

Servus dimitti ſibi poſtulans, & nolens dimittere aliis, quorumdam Confeſſariorum rigidiorum figura eſt. 111, 16

Severitas nimia Confeſſariorum pœnitentes perdit. 108, 13

Sigillum confeſſionem commendat. 99, 17

Signum magnum eſt mulier amicta ſole, ſed majus Sol juſtitiæ involutus vilibus pannis. 277, 13

Sodomitarum cæcitati peccatorum cæcitas non abſimilis. 34, 9

Somnium ſurgentium quid ſit. 137, 6

Somnus in peccato mortali non ferendus. 68, 2. & 69, 3. *& ſeqq.* Mortis æternæ prodromus eſt. 70, 7. A qua vix differt. 71, 8

Sopor in peccatis malorum peſſimum. 70, 6

Spes in homine poſita, maledicta. 21, 4

Spes ſine meritis præſumptio eſt. 234, 10

Spiritualis dulcedo omni alterâ ſuavior animæ Deo ſervienti. 223, 10

Spiritus S. de Maria velut oliva fructifera æterno Patri ramum attulit Filium ejus. 293, 18

Standum in gratia, ne reprobemur. 262, 21

Statûs naturæ lapſæ infirmitatis & miſeriæ panduntur. 177, 16

Stephanus prece ſuâ cœlos flectere potuit, Judæorum corda non potuit. 42, 7

Sterilis dicitur, qui filios producit ingloriòs. 14, 11. & 19, 1

Sterilia ſunt opera, quæ durante captivitate, & in peccato mortali facta ſunt. 15, 11

Stimuli conſcientiæ pravæ acutiſſimi. 126, 5. & 6

Stola prima innocentiam primam ſigni-

ſignificat. 242, 6
Strepitu nimio piſces fugantur, & homines à confeſſione arcentur. 106, 10
Subſtantia hominis non bona terrena ſunt, ſed ratio. 50, 5
Superbia peccati caput probatur in Holoferne. 27, 14
Superbum Deus dejicit, ut emendet. 137, 8. Non auſcultat ad multiplices monitiones Dei. 130, 12
Superbia hominis tanta eſt, ut ſe omni vitio altiorem reputet. 178. 13
Surgere cur Petrus ab Angelo jubeatur. 134. 2. Surgere eſt mentem à torpore erigere. 135, 3. & 4
Surgendum velociter. 136, 5. & 6. & 144. 1. *& ſeqq.*
Syndon non mundata, ſed nova, in qua Chriſti corpus involutum fuit, immaculatam Virginis conceptionem demonſtrat. 290, 16

T.

TActus etiam jocoſi vitandi. 175, 12
Temeritas peccatorum in peccatis dormientium arguitur. 74, 12. Et peccatorum converſionem differentium oſtenditur. 139, 9. & 10. & 145, 3. *& ſeqq.* & 232, 7. & 8. Non poteſt dici ſpes in Deum. 233, 10
Temporalia ſpiritualibus à multis præferuntur. 218, 5
Tempus gratiæ incertum. 119, 10. Illius brevitas monet velociter ſurgendum. 136, 5. Eo abutuntur peccatores. 145. 3. Malè ſibi à quoquam promittitur in fine vitæ. 146, 4. *& ſeqq.* & 234, 11. Quod datur ad converſionem non eſt negligendum. 235, 12
Tenebræ in Scripturis cum umbra mortis conjunguntur, & quare. 117, 8. Et in iis manere illaſque diligere peſſimum. *Ibid.*
Tentationibus homo ſuccumberet, niſi gratiâ fulciretur. 177, 16
Tepiditas in bono opere vituperabilis. 198, 8
Terra benedicta Mariam figurat. 281, 1. Tremens verò ad Dei reſpectum, ſignificat hominem potiùs quàm terram quam calcamus. 67, 17
Terrena non ſapiens, terrenus non eſt. 67, 17. Illa mundus proponit, ut avertat à cœleſtibus. 67. 16. Eorum affectus exuendi ſunt. 279, 14
Terror vires refrænat. 219, 4
Theodoſii Imperatoris confeſſio illi ceſſit ad laudem. 97, 16
Theſauro Nivis ſimilis eſt peccator pœnitens. 248, 15
Timor & pavor ad ſingula unde in peccatore oriantur. 125, 4. Hominem torquet. 21. 4. Ab incertitudine reprobationis & occultis Judiciis Dei augendus eſt. 208. 5. *& ſeqq.* Et inde prava deſideria perpetuò comprimentur. 207. 5
Timotheo ferventiori miſericordiam commendat Paulus ad inſtructionem Confeſſariorum. 107. 12
Tolerantiæ exemplum Salvator dedit. 225, 12
Triphon Jonathan amicè receptum trucidans fallentis mundi ſcenam exhibet. 36. 8
Triſtitia mortem operatur, animos dejicit & res majores apprehendit, quàm ſint. 218, 3. *& ſeqq.*
Tyrannicè peccatoribus dominantur paſſiones, & vitia. 12, 4

V.

VAnitas mundi, exemplo Salvatoris contemnenda eſt. 268, 6
Vaſa templi non poterant fieri ex auro Idolorum, minùs Virgo ex mancipio diaboli Mater Dei. 289, 14
Venialium contemptus ſternit viam ad mortalia. 77, 16
Venti figurant paſſiones. 28, 16
Venus intellectum ſapientis furatur. 50, 5
Verbum in Divinis eſt Filius 263, 1. Hoc erat in principio, id eſt in Patre, ante omne principium. *Ibid.* Formam ſervi accepit, & quidem ſervi peccati, ut peccatum ſolveret. 264, 2. Naſci voluit in Bethlehem, domo panis, ut nobis æternæ vitæ alimoniam daret. 266, 5. In præſepio reclinatur, ut lapſos erigat. 269, 7. In propria veniens à ſuis non reci-